Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
3 0
113

Digitized by Google

DEFENSIO VESTIGATIONVM PERIPATETICARVM

MATTHÆI FERCHII VEGLENSIS

Theologi in Vniuerſitate Patauina

AB OFFENSIONIBVS.

BELLVTI, ET MASTRII.

14
3 - 0
13



BIBLIOTECA NAZ. ROMA
ORD. PRAED.

PATAVII, M.DC.XLVI.

Typis Io: Baptiſtæ Paſquati. Sup. Permiſſu.

Ex libris P. M. F. Angeli Iuliani pro Bibliotheca S. M. S. Minervae

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Admodum Reuerendo Patri Magiſtro

PETRO MARTYRI
R V S C A

Min. Con. Generali Vicario Sanctiſsimæ Inquiſitionis in Patauina Diœceſi, Domino meo Colendiſsimo.

IACOBVS GEORGIVS S. P. D.

CVM in meis valdè vrgentibus anguſtijs, Admodum Reuerende, atq; Admodũ Benigne Pater, ſuppetias tuleris: æquum eſt, vt pro magnitudine tuorum erga me meritorum & gratias quàm maximas poſſum habeam, & oblata occaſione referam. Igitur præclara nunc mihi oportunitas eſt id, quod debeo reddendi. Defenſiones veſtigationũ Peripateticarum Adm. Reu. Pat. Magiſtri Matthæi Ferchij Veglenſis in vniuerſitate Patauina Theologi, chariq; præceptoris, mea cura impreſſas: opus magnum, tibi magno viro nuncupandum æquiſſimo iure exiſtimaui. Etenim dum RVSCA cognatio fulgentiſſimis eniteſcit ſplendoribus, ex ea tu fęcundiſſimus ſurculus & illuſtraris, & illuſtras. Antiquiſſima nobilitas RVSCARVM à Cicerone laudata, à Cæſare illuſtrata, Ducibus bellicoſiſſimis, illuſtriſſimis Equitibus, Doctoribus excellentiſſimis, Principibus generoſiſſimis, grauiſſimis Pręlatis, multiſque ſanctiſſimis eniteſcit Heroibus, & glorioſè ferax exuberat. De duobus tamen ſpecialis memoria mihi facienda eſt. Etenim Sebaſtianus Ruſca eques illuſtris, animi, & corporis dotibus admirabilis, ob inſignia opera erga Sereniſſimam Rempublicam Venetam à Sereniſſimo Principe Hieronymo Priulo, *De Republica optimè meritus* eſt declaratus, atq; tùm ipſe, tùm Laurentius frater ciuis Venetus eſt creatus. Succedit Antonius Ruſca ſummę prudentiæ, & probitatis in religione Franciſcana,

Digitized by Google

ſcana, Diuo Bernardino in primis operante, electus miniſter generalis, ad ſodalitij diſſidia pacanda: quod dexteritate, exemplis, prçceptis feliciter prçſtitit. Ex his tu natus Venetus, renatus Franciſcanus, ſpirans in Venetos Dominos amorem, in Fråciſcanos charitatem, præcelſos addis eiſdem in dies fulgores illibatæ vitæ, egregiæ doctrinæ: ob quas Eminentiſſimus Cardinalis Cecchinus Sanctiſſimi D. N. INNOCENTII DECIMI Prodatarius, te ſui Theologi decorauit officio: & Sacroſancta Generalis Inquiſitio, S. Petri martyris tutelaris ſui cernens te et eodem nomine, & ſimili zelo fidei ardentem, Vicarium generalem ſancti officij Patauini conſtituit. Vitam tibi proroget Deus, nàm cum hiſce primis viridis iuuentæ floribus, fructus vberrimos in Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Franciſcani ordinis, Ruſcanæ domus amplificationem produces.

Scitè Horatius.

Fortes creantur fortibus: & bonis
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus; nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Interea quũ pietate erga omnes, patrocinio verſus clientes, affabilitate, atq; munificientia in amicos ſplendeas; opus Patris Veglenſis tibi dico, cui & authorem ipſum magnoperè addictum agnoſco propter tuas magnas, multaſque erga ſe honeſtiſſimas actiones. Tuum erit me ſuſcipere defendendum, & munus, quod offero, amplificandum, qua ſoles in omnibus prudentia, grauitate, benignitate. Vale.

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM ÆQVVM.

IACOBVS GEORGIVS S.

Holophanta.

SCIENTIAE deſiderium omnes trahit homines: & me quoque Patauium adduxit Philoſophiæ percipiendæ cauſa. Quam ſolicitè dum quærerem, ſancto Paulo hortante, etiam, quæ ſurſum ſunt, diſcere conſtitui, tacens illud Perſianum.

O curuæ in terris animæ, & cæleſtium inanes.

Igitur ad rem tantam fama ductus, delegi inſtitutorem Adm. Reu. Pat. Magiſt. Matthæum Ferchium Veglenſem Theologiam Patauij publicè profitentem. Quo piè, ſanctèq; docente, pia, & ſancta neceſſitudine illi adeò obſtrictus manſi, vt nòn cum Socrate, vel Platone: ſed cum eo loquens (abſit verbo hyperboles) colloqui viderer cum Hieronymo, vel Auguſtino. Contigit fortè me in bibliotheca quadam & legere, & audire legentes patrum Bartholomæi Maſtrij, & Bonauenturæ Belluti de generatione librum, in quo ferociter impugnatur præceptoris mei veſtigatio de factione ex nihilo. Multa & legebantur, & dicebantur cum offenſione decoris fulgentis in prælectore publico pridem metaphyſicæ, ſubinde Theologiæ. Non potui non commoueri ardentiſſimè ex zelo honoris, quem debeo exercere erga præceptorem. Memor ergo Ariſtotelici dicti in 9. Nicomac. cap. 1. Non poſſe honorem æquiparabilem doctoribus philoſophiæ exhiberi: ſed ſatis eſſe, ſicut etiam erga Deos & parentes id, quod fieri poteſt: rumorem illum caliginoſum, ex alijs etiam & perſonis, & locis crebreſcentem, quo præclariſſimi Peripatetici ſcripta, & nomen obſcurabantur, ad ipſum detuli primo quoque tempore. Pater Veglenſis reſpondit; ſe [illegible] ſapientes deferre iudicium de ſcriptis proprijs, & ſcriptis Belluti, ac Maſtrij. Quòd ſi viri docti iudicaſſent à ſe non verè ſcriptum: æquo animo ſe eorum cenſuram recepturum. Sed tamen & ab alijs pluribus, & [illegible]rè poſtea de obmurmurationibus eiſdem certior factus, librum aduerſariorum multis diſcipulis præſentibus me legere iuſſit, vt perſpiceret, an veſtigatio [Pe]ripatetica ex Peripatetici principis doctrina impugnaretur, an ex proprio [ingen]ite Belluti, & Maſtrij. Apparuit nihil ex Ariſtotele fuiſſe allatum ab

Offen-

Offenſoribus ad Ariſtotelis mentem aperiendam. Quamobrem decernebat Pat. Ferchius, nihil obijcientibus, nihil reſpondere. Hortantibus verò & amicis, & me in primis dicente, ſatius eſſe reſpondere, quàm ſilendo maiorem ignominiam incurrere. Arripuit calamum, ac reſpondit. Verùm à duobus annis cum ægritudine lethifera colluctantem præceptorem, nouus, grauiſq; impetus morbi inuaſit. Tunc mihi accerſito, atque defenſionum quaſi authori, libros defenſionum dedit, vt vel doctis legendos, vel, ſi poſſem, imprimendos curarem: quòd ipſe vel morbo, vel morte impediretur. Ego libro accepto, nil moratus typis tradidi, vniuerſo legendum: quòd non modò defenſiones fortes, ſed & eruditiones varias, atque arcana Peripatetica contineret. Librum quartum, in quo cum Patre Ferchio defenditur Illuſtriſſ. & excellentiſſ. D.D. Ioan. Baptiſta Contarenus, Dominici Filius primum poſui honoris ergò. Argumentum primo, ac tertio libro claritatis cauſa præpoſui. Conualuit tandem Pat. Theologus, & conualeſcentiam cum publicis laboribus iungens potius ægritudine intermiſſa, quàm ſanitate recuperata frui cæpit, noluitq; contradicere impreſſioni à me factæ, ne quod donauerat, repeteret: neuè meæ gratitudini videretur ingratus obſiſtere. Accipe Lector, vt æquus iudex librum, offenſioneſq;, atq; defenſiones legito; quæ ſi Offenſoribus non ſufficiant, offenſiones expectato.

Digitized by Google

Noi Reformatori dello Studio di Padoa.

HAuendo veduto per fede del R. P. Inquiſitor di Padoua, che nel libro intitolato Defenſio Veſtigationum Peripateticarum Matthæi Ferchij Veglenſis Theologi in Vniuerſitate Patauina; non ſi troua coſa alcuna contra la ſanta fede catolica; & parimenti non vi ſi troua coſa alcuna contra Prencipi, & buoni coſtumi; concedemo licenza, che ſia ſtampato; douendoſi oſſeruar quanto in propoſito di ſtampa; con conditione, che non ſia cominciato à vender, ſe Prima non vien portato vn libro legato per la libraria publica, & vn'altro per quella di Padoua, giuſta le leggi in queſta materia. *In quorum fidem, &c.*

Data à 10. di Ottobre 1645.

{ PIETRO FOSCARINI Reformator.
{
{

Almiſe Querini Segret.

Digitized by Google

Digitized by Google

DEFENSIO
VESTIGATIONVM
MATTHÆI FERCHII
Ab oppugnationibus Belluti, & Maſtrij.

PROLOGVS.

QVICVNQVE in ſtudio veritatis aliquid ſcribere audet, is debet ſine dubio expectare contradictores: ſemper enim ſunt, qui aut amore veritatis moti, aliquem re vera errorem ſcribentis reijciant: aut qui prætextu veritatis contecti, veram ſcribentis doctrinam, vel euertere, vel obſcurare nitantur. Elegànter hoc Cicero in 2. Tuſc. expreſſit. *Quanquam non ſumus*, inquit, *ignari, multos ſtudioſè contradicturos: quod vitare non potuimus, niſi nihil omnino ſcriberemus*. Qui igitur contradìctores non vult, nihil ſcribat. Sed tamen propter hoc ineuitabile malum non debet homo veritatis ſtudioſus deſiſtere à ſcribendo: ne ſit deſertor potius, quàm amator veritatis; cum ne agricola quidem à laborando deterreatur propter ingruentes algores, & æſtus, quos nullatenus poteſt euitare. Quin potius ità quilibet ſcriptor ſeſe comparare debet, vt primùm ſit aſſertor veritatis: poſtea verò, cum opus fuerit, etiam ſit veritatis propugnator. Iniuſtum quippè eſſet, ſi agricola videretur ſolicitior pro cibo ventris, quàm animi cultor pro paſtu mentis.

Itaque cum Veſtigationes meas Peripateticas ſuperioribus annis in lucem ederem, ità mecum decreueram, vt ſi quis in Ariſtotele exercitatus, contra me Ariſtotelicæ mentis Veſtigato-

rem ſcriberet, eūm aduerſus me dicentem cum laude complecterer. Qui ſi me aberrantem oſtendiſſet, eidem duplicatas agerem gratias, nempè de benefico animo, & de beneficio ingenti in me collato. Si verò ille aberraret (homines enim ſumus ad errorem procliues) illius dicta relinquerem, dicenti tamen pro beneuolentia erga me demonſtrata gratias meritò redderem. Tantum autem abeſt, vt contra me ſcribi noluerim, vt id etiam maximè optauerim. Nunquam etenim tanta gloria Platonis, & Ariſtotelis in philoſophia, Aquinatis, atque Scoti in Theologia effulſiſſet: niſi Doctiſſimorum hominum crebertimis viguiſſet contentionibus, atque diſſenſionibus. Neq; odoramenta ſpirant ſuauitatem odoris; neque muſicorum organa reſonant armoniæ pulchritudinem, niſi illa igne ſuccenſa, hæc manu ſint percuſſa. Profectò ſiquis aduerſus me oportunis armis decertaſſet, talem reprehenſorem amarem non minus, quàm laudatorem. Nam reprehenſor probus illuminat mentem, laudator facilè obſcurat.

Verumtamen delectus eſt habendus inter contradicentes. Ariſtoteles quippè in primo Top. cap. 9. prudenter monet. *De quouis contraria opinionibus proferente ſolicitum eſſe, ſtultum eſt.* Quidam nanque in philoſophia familiares, & exercitati ſunt. Hi, ſi ſcribant, cum fundamento loquuntur, & ad veritatem: & ſunt audiendi. Quidam ad contentionem, ad inanem gloriam, ad obſcurationem aliorum ſcribunt; neq; admittendi ſunt in diſputationem. Quemadmodum & Ariſtoteles Athenodoro, atque Cornuto ſcripto reſpondit: quia cum ratione ſcripſerant aduerſus Ariſtotelis prædicamenta. Antiſthenem verò, & ſimiles contradicentes refutare neglexit, ne ſcilicet cum contentioſis hominibus, atque litigioſis contenderet. Sapientiſſimè Salomon Prouerb. 20. inclamat. *Honor eſt homini, qui ſeparat ſe à contentionibus.*

Porphy. in prædicam. cap. 43.

Hinc factum eſt, vt cum audierim Excellentiſſimum Virum, atque in Ariſtotelis doctrina exercitatiſſimum, Dominum Fortunium Licetum velle nonnulla contra me ſcribere, vehementer ſim exhilaratus: atque narranti hæc, ſim pollicitus, me ſtatim, atque clariſſimi hominis ſcripta in publicum exirent, ea

eſſe

eſſe lectaurum, & reſponſione data cum honore, & laude tanti Viri reſponſurum; quòd me, vel in viam Ariſtotelicæ ſententiæ reduxiſſet, vel ſaltem reducere voluiſſet. Sciebam quippè ex Viri ſapientiſſimi, & elegantiſsimi ſcriptione tùm mihi, tùm lectoribus meorum, atque ſuorum operum plurimum vtilitatis naſciturum. Cum autem ex alia parte Patres Bellutum, & Maſtrium ſcripſiſſe aduerſus meas Veſtigationes intellexiſſem, illicò ſtatui nihil illis reſpondere (quos quales eſſent, cognoſcebam) neque me fraternis miſcere contentionibus. Cuius rei familiare exemplum habebam, Admodum Reuerendum Patrem Magiſtrum Philippum Fabrum Fauentinum, in Sacra Theologia meum prædeceſſorem recolendæ memoriæ: qui alienis impugnatoribus defenſiones obiecit: noſtratibus autem vrgentibus, impugnantibus, atq; prouocantibus iugiter, nunquam ſcripto per ſe, vel per alium voluit reſpondere.

Rem, vt geſta eſt, narro. Admodum Reuerendus Pater Magiſter Franciſcus Maria Vaccarius publicus in Patauino Gymnaſio Metaphyſicus ad me retulit, ab iſtis Offenſoribus ſcriptum fuiſſe in meam veſtigationem de diuiſione ſcientiarum aduerſus illam partem, qua oſtendo cum Ariſtotele non dari ſcientiam practicam communem ad practicam, & poeticam ſcientiam, ſiuè, quod idem eſt, ad actiuam, & factiuam. Rogaui, librum ad me ferret, vt illa ſimul legeremus. Poſt lectionem decreui nihil prorſus ſcribere, atq; dixi. Animaduerto iſtos ab Ariſtotele extorres eſſe, nihil quippè, vt vides ad me docendum, vel dedocendum ex Ariſtotele producunt: qui ſolùm ex Ariſtotele procedo ad ſententiam Ariſtotelis veſtigandam. Quin etiam appellant, quæ dixi ex Ariſtotele, diſputationẽ de vocibus: quaſi diuiſio Ariſtotelica intellectuũ, ſcientiarum, intellectionum, intelligibilium tripartita, ſit verbalis, non realis. Dicunt ſe nolle rixam de vocibus, dum maximè rixam de vocibus nutriunt; nam placitum proprium in vocibus contra placitum Ariſtotelis perpetuò tenent. Dicunt in ſcientiæ diuiſione ſe accipere præciſè contradictoria, nempè affirmationem, & negationem, *extendi*, & *non extendi*; cum Ariſtoteles à me allatus, expreſsè reprobet diuiſionem, quæ per ne-

gationem datur: quam Ariſtotelis auctoritatem recipere non dignantur, immò contemptim, ne verbo ad illam dicto, reijciunt. Nec animaduertunt vnam ſpeciem, ſola negatione alterius ſpeciei, vel differentiæ, minimè conſtitui. Dicunt ſe præcisè accipere contradictoria, cum non accipiant præcisè, ſed ſtatim applicent negationem ad actiuam, & factiuam nam commune nihil eſt his duobus. Dicunt ſcientiam illis, videlicet actiuæ, & factiuæ, communem reperiri & cum Ariſtoteles hoc neget, aiunt illam ſcientiam Ariſtotelis tempore non fuiſſe inuentam; nec eos pudet ignorantiam illius communis Ariſtoteli impingere, ſibi verò cognitionem aſcribere. Sed tamen ex eorum conceſſu apparet, me rectè Ariſtotelis mentem deprehendiſſe. Nam ſi in mente Ariſtotelis non erat illa practica communis, illam inuenire non poteram: erant autem actiua, & factiua & has inueni. Quis enim inueniret, quod non eſt? Quid obſecro, Pater Metaphyſice, reſponderem in Ariſtotelis via ijs, qui nihil ex Ariſtotele afferunt? Non eſt conueniens, vt leuibus iſtis captantibus laudem ex me impugnato, reſpondeam: ſunt nanque ab Ariſtotele alieni, non familiares. De familiaribus ſecundum philoſophiam haberi curam Ariſtoteles tradidit in primo Top. de cæteris non haberi. Cum Pater Vaccarius fateretur, id quod res erat, nihil vel ex Ariſtotelis auctoritate, vel ratione ex natura rei prompta, eſſe dictum; ſubiunxi. Memento (Pater Metaphyſice) quando tu publicè in diſputatione adduxiſti cum Ariſtotele quatuor tantùm eſſe oppoſitionum modos; Bellutum Ariſtotelis authoritate neglecta, & negata, abs te probationem poſtulauiſſe. Cum in alia diſputatione aduerſus Maſtrium adduxiſſes ſummi Philoſophi authoritatem, Maſtrium, cum ſe exſoluere non poſſet, dixiſſe pro reſponſione. Vos eſtis multæ authoritatis, nos multæ rationis: Rationem adducito. Equidem ſi ex rei natura quærerem, fortè iſtos audirem. Nunc autem cum in Veſtigationibus nihil, niſi Ariſtotelis ſenſum inquiram: & iſti publicè confeſſi ſunt, ſe Ariſtotelis authoritatẽ non ſequi (propriam enim authoritatem ſummi Philoſophi authoritate potiorem ducunt) nolo tempus terere in eis refutandis. Hæc tum ſtatuta ſunt inter Patrem Metaphyſicum, & me,

& me, atque in poſterum obſeruata.

Verùm Offenſores id animaduertentes, tumidi gloria ſapientiæ, cæperunt, quæ contra me ſcripſerant, oſtentare: quibuſcunquè ex noſtro ordine doctis poſſent, illa legere, mordacibus probris inſpergere; immò & adniti, quò ea, quæ dixerant, ſcripſerant, fecerant, ad meam notitiam peruenirent, vt vel ſic tandem obtinerent gloriam, quòd vnus publicus Theologus vniuerſitatis Patauinæ ab eis coactus fuiſſet ad ſe defendendum. Ego in ſententia manſi: multiſquè hæc monentibus dixi. Sinerent iſtos ſcribere, quæ vellent; ſcripta eorum eis eſſe curæ, non mihi. Recordabar, vt eſt apud Laertium, dicacem quendam multo tempore Ariſtotelis aures probris, atque iniurijs onerasſe; atquè in fine inſultando dixiſſe. Num te ſatis obtudi? reſpondit maximus Philoſophus, non vtique animaduerti. At Offenſores contentionis auidi non ceſſarunt, immò per quoſdam familiares mihi, ſæpè, ac ſæpius me ad pugnam prouocare, reſponſionem petere, impugnationes offerre. Ego aure ſurda, tacere volui. Tandem cum Bellutus, & Maſtrius Patauio receſſiſſent, vnus, neſcio an explorator pro illis, an mihi familiaris, aſſeruit Bellutum literis ad ſe datis iuſſiſſe, vt poſtularet à me, quidnam ad eorum obiectiones reſponderem. Tum ego adiunxi illos fuiſſe Patauij, & potuiſſe mecum colloqui. Meam præſentiam fugitaſſe, & me abſente, ſua propoſuiſſe. Nunc per cuniculos agere, ſincerè nunquam. Cum verò ille mihi moleſtus eſſet, tandem dictaui ſchedam ad eos tranſmittendam Italicè, hæc dicens. Pater Metaphyſicus mihi legit, quæ contra me ſcripſiſtis de ſcientia practica: tumque iudicaui non eſſe conueniens vobis reſpondere. Cætera, quæ ſcripſiſtis, ne legere quidem volui. Calamus veſter liber eſt, quemadmodum & calamus meus. Scribite, quæ vultis. Vtri noſtrum melius, ac verius ſenſerint, Viri docti, auditis partibus, iudicabunt. Hoc reſponſo dato, quid Bellutus conſilij cæperit, neſcio: ipſe in Siciliam, Maſtrius in Meldulam abijt.

Apophthegma. lib. 7. cap. 607.

Interea furere cæpit Maſtrius, videns ſe fruſtrà ſperaſſe de me pugnam, victoriam, triumphum. Itaque lingua nimium

libera

libera obloqui plura, lacerare perſonam, denigrare nomen, acta perſtringere, quæ non ſunt huius loci. Et ecce anno 1644. grauis, & peſtilens ſonus excitauit me, duorum annorum languore, & ſexaginta duorum ætate deficientem, atque laboribus publicis, & priuatis lectionum inſudantem. Rumor erat, Maſtrium non contentum per prouincias Flaminiæ, & Inſubriæ diſſeminare, quòd ego victus, ipſi victores eſſent de me. Me non ſcribere, non quia nolim, ſed quia non ſciam, quid dicere: nec poſſim à me male ſcripta defendere. Ex ignorantia, non ex electione ſilentium naſci: atque adeò ab ſe iam impoſitum mihi ſilentium eſſe; me tacere etiam ad iniurias, haſq; tolerare, quia ſcripta mea tueri non poſſem. Cognouiſſe me tandem, quòd falsò, quòd iniuſtè, quòd malè ſcripſerim: ſe eſſe à parte veritatis, Ferchium à parte falſitatis. His non contentum Maſtrium, audio etiam Patauium quoſdam ex Meldula delegaſse, & eos ſimilia dictitare, libros Offenſorum in bibliopolarum apothecis contra me legi; iactari dicta, dicteriaque eorum per compita, per circulos eruditorum, per conducta ſtudentium, grandi cum ignominia, & perſonæ, & nominis mei. Hæc ad me per amicos, & per auditores aliquos Sacræ Theologiæ perlata, vehementer animum commouerunt; nam ex hoc iniquo facto, & veritas per me tradita labefactatur, conculcaturq;: & nomen meum peſſundatur, de quo diuinè moneor.

Eccl. 41. *Curam habe de bono nomine. Hoc enim tibi magis permanebit, quàm mille theſauri pretioſi, & magni. Melius eſt nomen bonum,*

Et prouerb. 22. *quàm diuitiæ multæ.*

Dolui vtilitatem ſtudioſorum his actis impediri. Quis enim, vel legere, vel audire dignetur Lectorem, tanta cum ignominia traductum, atque deiectum. Iuuentus in primis externa opinione ad Lectorem allicitur, & bonæ famæ venuſtate adducitur. Simplicius in prædicamenta. “Nam affici ſolemus opinione perſonarum, & non abſurdè: quia non ſumus ita præparati, vt valeamus verùm diſcernere; ſed potius vt amemus quoſdā meliores ſequi„. Vnde, etſi famā meam (præterit mundi gloria cum mundo: ad cæleſtia, etiam ſine fama eſt aſpirandum) negligerem: aliorum emolumentum negligere non poſſum. Cor-

datè

datè Sanctus Auguſtinus in lib. de bono Viduitatis cap.22. *Nobis neceſſaria eſt vita noſtra, alijs fama noſtra.*

Dolui iudicium Sereniſſimæ Reip. in me promouendo damnari; quem ad cathedræ Metaphyſicæ, atque Theologicæ dignitatem euexit, atque euectum diù in eodem officio conſeruauit. Dignus eſt, quem Princeps dignum facit, dum is non ſe reddat indignum. At munus Principis contemnendum non eſt, quoniam doni contemptus in donatorem redundat.

Dolui gymnaſij Patauini decus,quòd ad meum locum attinet, in dedecus commutatum, & calamis, atque linguis nocentibus, veluti gladijs acutiſſimis publicè, & priuatè eius honorem, ac meum eſſe violatum; famæ enim,ac fidei damna maiora ſunt, quàm vt æſtimari poſſint. Commotus itaque tetro hoc rumore, menſe decembri, vacationibus conceſſis à legendo, vnum ex meis auditoribus ingenio viuacem, in Ariſtotele cum laude verſatum, nobilibus ſacris Theologiæ auſpicijs candidatum,qui & cum alijs mei amans de rumore infami ſparſo certiorem me fecerat, vocaui. Atque librum Belluti, & Maſtrij de gener. & corrupr. mutuò acceptum, legere iuſſi contra meam Veſtigationem primam de factione ex nihilo pluribus præſentibus. Ante lectionem admonui, duo eſſe attendenda: primum an offenſores loquerentur ad propoſitũ, vel ſcilicet probando ſuam concluſionem *ex nihilo nihil fit* eſſe Ariſtotelicam, vel improbando meam *Ex nihilo aliquid fit*, ſecundum Ariſtotelem. Secundum an ex Ariſtotelis auctoritate, aut ex ratione in Ariſtotele fundata ſcriberent. Quoniam in Ariſtotelis ſententia quærenda, Ariſtotelis verba ſunt neceſſaria. Legere cæpit, & quinq; columnas percurrit. Inde concluſimus, nihil ad propoſitum, nihil ex Ariſtotele. In quinta columna incipiunt Offenſores impetere concluſionem annexam iſtam, *forma ſubſtantialis fit ex nihilo*; atque promittunt ſe acturos ex Ariſtotele. Textum primi phyſ. 58. à me relatum referunt, dicente Ariſtotele *ex immuſico fit muſicum*: interpretantur, forma fit ex ſubiecto priuato, ergo non fit ex nihilo. Quæro ipſe à lectore illo ſtudioſo, an ſibi videretur Ariſtoteles in illo textu accipere *immuſicum* pro ſimplici priuatione, an pro ſubiecto priuato,

nempè

nempè pro compoſito ex ſubiecto, & priuatione. Ille, re conſiderata tantiſper, reſpondit, profectò *immuſicum* eſt ſignum ſimplicis priuationis apud Ariſtotelem, ſicut *homo immuſicus* nota eſt ſubiecti muſica priuati. Ergo, intuli, textus Ariſtotelis peruertitur, & eſt contra illos, ſicut ego attuli, non vt ipſi perperam exponunt; ſed perge ad reliqua. Perlegit vſque ad finem nonæ columnæ, vbi definit impugnatio. Interrogaui num ex Ariſtotele aliquid contra me? Nihil, ille reſpondit. Num contra concluſionem principalem à me propoſitam? Nihil vtique animaduerti. Tùm ego; igitur mea veſtigatio nulla eget defenſione, quæ nullo cum fundamento offenditur. Et Offenſores non ſunt digni reſponſione, qui multum verborum mordacium, nihil virium habent. Interea ſtudentes ſodales tuos de his, quæ nunc acta ſunt, cōſcios reddito. Fecit ille, quod, & alij tunc aſtātes fecerunt. Hoc facto conticuit aliqua ex parte rumor: cæperuntq; accuratius conſiderari dicta aduerſariorum, & qualia eſſent, denudari. Cæterùm acta Patauij non perferuntur per omnes partes: cum exemplaria Belluti, & Maſtrij paſſim intrudantur. Arripui calamum, & propoſitis illorum offenſionibus ad verbum, meas defenſiones appoſui, eodem vacationis Natalitiæ tempore; ſperans fore clariora, & firmiora quæ ex Ariſtotele dixi: ſperans linguam obloquentium, ne peccent, refrænare, Peripateticos ad meos labores allicere, benè mereri de publico gymnaſio, tueri dignitatem mihi conceſſam, atque Offenſoribus quam, & iure, & iniuria, vt aiunt, reſponſionem poſtulant, concedere. Tardè opus prodit, quoniam tempore lectionum, & ægritudinum, & dictationum, atque examinis ad librum edendum requiſiti, ſum impeditus. Lector ſincerus legat, cui, & precor, & opto cum ſalute ex mea hac ſcriptione vtilitatem.

LIBER

LIBER PRIMVS

Defenſionis Veſtigationum Peripateticarum. Defenditur.

Seminarium formarum poſitum ab Illuſtriſſimo
IOANNE BAPTISTA CONTARENO.
Et factio formarum ex nihilo
A
MATTHAEO FERCHIO Inducta.

Argumentum Primi Libri.

ILluſtriſſimus Dominus, D. Ioannes Baptiſta Contarenus, Dominici filius, Patritius Venetus, & Senator prudentiſſimus, in tomo 2. quæſtionum Peripateticarum, de origine formarum diſſerens excogitauit opinionem ſanè acutiſſimam de ſeminario formarum. Bellutus, & Maſtrius tùm ſententiam, tùm ſententiæ authorem grauiſſimè perſtringunt. Sententiam aſſerunt eſſe falſiſſimam, Anaxagoricam, errorem, omnibus magis irrationabilem, inauditam à ſæculo, purum, & merum figmentum, funditus dirutam, ægre, & imbecilliter defenſam, Anaxagoriſtis relinquendam, è Peripato penitus eliminandam. Fundamentum eius imbecille prorſus, nullius roboris, falſum, nunquam ſufficienter probatum, authori contrarium. Author item & propter authoritatem, & propter doctrinam ſuſpiciendus meritò, immeritò ab offenſoribus extra Philoſophorum, ac Theologorum numerum ponitur, Philoſophis, ac Theologis contrarius, mirabilis, peruicax, ſeminariſta, inchoator, indo-

ctus deceptus, non capiens, non ſciens, non cum Ariſtotele.

Opinionem Ferchij falſiſſima falſiorem primulùm dicunt: cæteros titulos lector conijciat. Quia verò & Contarenus, & Ferchius ſimul impugnantur: ideò ſimul defenduntur ab Admodum Reuerendo Patre Magiſtro Mattheo Ferchio Veglenſi, Theologo Publico, & præceptore meo Colendiſſimo.

CAPVT I.

Proponuntur mina, & falſa ab offenſoribus intorta contra Contarenum, & Ferchium: multaq; de creatione, vel factione formarum ex nihilo.

Num. I. ARiſtoteles in primo de generatione animalium cap. 18. car. 1227. D. commemorat ab Epicharmo exaggerationem, *ex calumnijs maledicta, ex maledictis pugna*. Et verè ex dicterijs maledici, non leuis præbetur occaſio pugnæ, qua læſi, factis iuſtis dicta mala vlciſcantur. Verùm in Illuſtriſſimo, & doctiſſimo viro Ioanne Baptiſta Contareno, & in Ferchio ex maledictis non naſcitur pugna: vellent enim pacem cum iis, qui pacem nolunt. Sed Bellutus, & Maſtrius in ſuo libro de Generatione, & corruptione diſputatione 5. quæſtione prima articulo primo car. 219. colũna prima non contenti maledicta vibrare in Contarenum, & Ferchium minas furentant, & acriter pugnant: vt iam. Contareno, & Ferchio, vel ſit à veritatis honore recedendum; vel ſit repugnandum. Audiamus primo minaces calamos tonantes, vt poſterius videamus pugnaces eoſdem fulminantes argumenta, & authoritates. Itaq; ſic loco, relato exordiuntur offenſores.

Offenſio, ex Belluto, & Maſtrio. Hanc autem doctrinã, ſcilicet nẽ res ex nihilo fieri dicatur, debere fieri ex alio, vt ex parte inexiſtente, & non ſufficere, vt ex eo ſolum fiat, vt ex ſubiecto præiacente, & recipiente, attulit ante Ferchium, Contarenus in ſuis quæſt. Peripat. tom. primo quæſt. De origine formarum cap. 9. & ſeq. veluti in Ariſtotele fundatiſſimam.

1. Defenſio. Debuiſtis dicere ante vtrunq;, eam fuiſſe Philoponi, philo-

ſophi

ſophi antiquiſſimi, & grauiſſimi doctrinam: nempè formas fieri ex nihilo, quia non fiunt ex aliqua parte earum. Fuiſſe magiſtri ſententiarum, Petri Lombardi, Hugonis Linconienſis, Alberti Magni, Alexandri Alenſis, Sancti Bonauenturæ, & quamplurium præſtantiſſimorum in re theologica, & philoſophica virorum. Quotquot enim poſt S. Auguſtini authoritatem defenderunt rationes ſeminales, tot viri ponunt, formas eſſe à Deo creatas ex nihilo in ratione ſeminali vt incohatas, & ex ipſis rationibus ſeminalibus formas, vt completas fieri, non ex nihilo: omnes hi ponunt formas eſſe factas ex nihilo, licèt in materia. Qui ſi non concederent rationem ſeminalem, ex qua formæ fiunt, conſequenter concederent formas ex nihilo fieri de nouo. Quamobrem, vel formæ ſecundum eſſentiam ſunt ab exordio in materia concreatæ ex nihilo, vel ſi de nouo fiunt ſecundum eſſdem loquendo, creantur de nouo ex nihilo. Horum duorum primum placuit celeberrimo Doctori Contareno, qui poſuit formas in ſeminario concreatas materiæ, & Peripateticè loquendo ſuppoſita æternitate, ab æterno concreatas. Secundum placuit Philopono; vt formæ non præexiſtant in materia, ſed producantur totæ, ac totaliter ex nihilo, quod Ferchius ſequitur.

II. *Diſcrimina inter Contarenum, & Ferchiũ. Vide infra ad num. 12.*

Fundamentum dicitis eſſe idem Contareni, & Ferchij; ſed hoc falsò dicitis: nam ad excludendam factionem ex nihilo Contarenus exigit, vt res fiat ex ſubiecto conſtitutiuè; Ferchius, vt res fiat ex parte, ſiuè illa ſit ſubiectum, vt materia, ſiuè forma, ſiuè alia pars, vt putà digitulus; nam ſi ex minimo digito præexiſtente homo totus repente fieret, eſſet factus ex aliquo ſui, non ex nihilo. Si non eſſet pars alia vlla concedenda, niſi materia, idem eſſet fundamentum Contareni, & Ferchij; ſed cum aliæ partes ſint: per accidens eſt, vt pars præexiſtens ſit materia ſubiecta.

2. Contarenus fundamento creationis vtitur, vt creatio ſit factio de nullo ſubiecto conſtituente: Ferchius nunquam creatione eſt vſus; immò in prima veſtigatione non ſemel reiecit diſputationem de creatione.

3. Vos dicitis formas fieri ex ſubiecto præiacente, & recipiente. Contarenus, & Ferchius affirmant formas fieri *in materia*

ſubiecta, negant fieri *ex ſubiecta* materia: nam, & Ariſt. negauit. Vos autem dictum veſtrum nunquam ex Ariſt. probauiſtis, nec probare poteritis. Excipiatur ab hac diſputatione ſemel pro ſemper anima intellectiua: de qua id credimus, quod Sancta Romana Eccleſia, & eius Paſtor vniuerſalis definiuit, definiueritque.

Fides defenſoris.

III. De cæteris formis ſubſtantialibus diſceptatio ſit, non theologica, ſed philoſophica: non in philoſophia ſimpliciter, ſed in philoſophia Ariſt. Contarenus quippè, vt Peripateticus celeberrimus ad mentem Ariſt. ſe locuturum proteſtatus eſt. Ferchius quoq; in veſtigationibus Peripateticis, *Non quid rei veritas habeat, ſed quid Ariſtoteles ſentiat* ex Ariſtotelicis veſtigijs veſtigare conatus eſt. Sed & titulus Quæſtionum Peripateticarum Contareni, atq; Veſtigationum Peripateticarum Ferchij declarat eorum lucubrationes intra Peripatum cohiberi. Si quid ergo ex Ariſtotelis textibus, vel ex ratione in textibus fundata quiſpiam oppoſuerit: ad propoſitum loquetur: ſin autem, extrà propoſitum.

Philoſophia, & philoſophia Ariſtotelis differunt.

Offenſio. Ex hoc tamen principio Contarenus non intulit, vt Ferchius, formas fieri ex nihilo ab agente naturali; ſed potius eſſe æternas, ingenerabiles, & incorruptibiles, cum aſſignari nequeat, ex quo ſubiectiuè conſtitui poſſint. Quod illatum, ac etiam fortè magis conſequenter poterat ipſe Ferchius inferre, ſi vera eſt doctrina, quam tradit de omnibus formis ſubſtantialibus vniuerſim Veſtig. 6 lib. primo cap. 2. ſcilicet eſſe ingenerabiles, & incorruptibiles.

2. Defenſio. Non omnia ingenia ad eandem concluſionem perueniunt. Contarenus, Alberto Magno Duce, inclinauit ad æternitatem formarum: hoc eſt ad opinionem valdè probabilem iudicio doctiſſimorum hominum. Ferchius, Philopono duce, prælegit factionem formarum ex nihilo. Cenſuit enim cum Ariſt. formas fieri, ac interire de nouo ſecundum eſſentiam, & eſſe illarum ſimpliciter. Cum autem ſecundum eundem Ariſtotelem, formæ fiant; ſed non propriè per generationem, quæ eſt ex aliquo; intulit fieri ſimpliciter formas, ſed ex nihilo.

IV. Quod adiungitis dictum Veſtigatione 6. lib. primo cap. 2.

Fer-

Ferchius in illo capite, & ſequenti propoſuit duas vniuerſales, affirmatiuam, & negatiuam, falſas: ſed pro vt in fronte quæſiti fieri conſueuit, affirmatiuam probauit rationibus à ſe inuentis ſuper Ariſtotele tamen fundatis: negatiuam, authoritatibus, & rationibus per alios excogitatis: ſic in dubitatione. At in reſolutione manifeſtis ex Ariſtotele authoritatibus Ferchius oſtendit veritatem ad mentem Ariſtotelis eſſe, quòd aliqua forma non eſt ſeparabilis, & aliqua eſt ſeparabilis ſimpliciter. Vos vtiq; id apertè cognoſcitis; ſed ſtrenuè diſſimulatis, vt occaſionem arripiatis accuſandi. Legite veſtig. 6. num. 3. & 94.

Sed nos infra reijciemus quæſtione 2. art. 2. & quæſtione 6. num. 142., & ſequentibus eius fundamenta diruendo ex Ariſtotele deſumpta. Offenſio.

Minæ veſtræ ſunt, quibus ruinam argumentorum à fundamentis minamini, & reiectionem concluſionis Ferchij. Sed minæ verbales ſunt, non reales. Nam in quæſtione 6. à numero 142. vſq; ad finem quæſtionis ſextæ nullum ex duodecim fundamentis Ferchij poſitis veſtig. 6. lib. 1. cap. 2. refertis, aut ſolutis. 3. Defenſio.

In quæſtione 2. art. 2. omnem adhibetis conatum ad fundamenta Ferchij diruenda: ſed illa ſunt firmiora, quàm vt poſſint veſtris ingenijs euerti, quod ſuo loco vidimus.

Sed cuiuſcunq; ſit hæc doctrina, ſanè falſiſſima eſt, & adhuc falſius illatum; inde à Ferchio deductum (nam illatum à Contareno impugnabimus infrà quæſt. 6.) eſt enim. Offenſio.

Contra communem philoſophorum aſſerentium formas materiales non fieri ex nihilo, quia fiunt ex præiacente ſubiecto.

Ac etiam Theologorum, qui dum definiunt creationem eſſe factionem entis ex nihilo, vnanimiter aiunt ly, *ex* excludere habitudinem, nedum partis, ſed etiam ſubiecti præiacentis.

Maledicta, Minæ, impugnatio ingruunt. Primo maledictum eſt contra Contarenum, quoniam eius opinio eſt falſiſſima. Minæ, quoniam impugnabitur eadem diſputatione 5. quæſt. 6. impugnatio item ſequitur poſt parentheſim, dum dicitur, *eſt enim contra communem philoſophorum*. Maledicta contra Ferchium; nam illius opinio, non ſolùm eſt falſiſſima, ſed eſt *fal-* 4. Defenſio.

ſior

ſior falſiſsima. Minæ ſunt, *impugnabimus eadem diſputatione* 5. quæſt. 6. Impugnatio, & Contareni, & Ferchij eodem loco incipit; ſed in quæſtione 6. abſoluitur. Minaces valdè eſtis.

V. Nunc vos offenſores noſtros compello. Vultis ne, vt quemadmodum vos vnitè impugnatis Contareni præſtantiſſimi Peripatetici, & Ferchij (qualiſcunque is ſit) ſententias; vnitè etiam, quoad fieri poteſt, proponantur in gratiam lectorum, non veſtram? etiam ſi nolitis id faciam.

Et ne contentio fiat de vocabulis, voco *ex nihilo fieri*, idem, quod ex nulla parte facti præſuppoſita fieri. Aſſentitur Scotus in ſecundo diſt. 1. quæſt. 5. T. ſcribens: *Dico, quod Creatio eſt productio totius creati in eſſe, non præſupoſita aliqua parte eius*. Quæ definitio correſpondet illi quam dedit illa eadem diſtinctione quæſt. 2. A. *Creare eſt aliquid de nihilo facere in effectu* Et 1. diſt. 5. quæſt. 2. R. Quare idem ſunt ex nihilo in ſecunda definitione, & ex nulla parte præſuppoſita in prima definitione. Sueſſan. 7. metaph. diſp. 11. car. 199. col. 2. "Debes ſcire, vt Auer. 12. huius declarat, quòd creatio apud philoſophos eſt productio alicuius, nulla parte eius præſuppoſita,,. Ita Tolet. 1. de generatione quæſt. 2. carr. 9. col. 2. Bargius in 1. diſt. 3. quæſt. 5 car. 128. E. Item diſt. 8. quæſt. 4. car. 190. L. & hanc, & alias definitiones creationis profert. Hac igitur ſignificatione vocabuli retentâ, ſic argumentor communiter pro Contareno, & Ferchio.

Forma ſubſtantialis fit ex nulla parte ſui præſuppoſita. Ergo forma ſubſtantialis fit ex nihilo. Probatur conſequentia, quoniam ex nihilo, & ex nulla parte præſuppoſita idem ſignificant. Differunt autem Contarenus, & Ferchius, quod Contarenus ponit formarum eſſentiam ex nihilo creatam, & concreatam materiæ, ſed ab æterno; Ferchius ponit formam factam ex nihilo, ſed in tempore. Contarenus factam ex nihilo, quando facta eſt materia: Ferchius formam factam ex nihilo, quando fit compoſitum. Quæ differentia eſt in duratione, non in re durante.

VI. Quid ergo impugnare vultis Contarenum, & Ferchium, in re an in voce? Si de re agitis, eritis legitimi diſputatores; tunc au-

tem

tem oportebit probari à vobis, formas fieri ex materia, vt ex parte præſuppoſita. Hoc ſi probaueritis, viciſtis Si de voce; ite diſputatum cum pueris; ſi quidem Scotus in primo diſt. 8. quæſt. 3. E. inſtantiam de voce, vocat inſtantiam puerilem. Nos accepimus vocabulum ex nihilo in ſenſu dato. Loquar vt vos, *de vocabulo rixam nolumus*. Si, accipiendo vocabulum in hoc ſenſu, concluſio communis Contareni, & Ferchij, vera eſt: vicerunt ipſi, vos victi eſtis.

Præterea. Scotus in 2. diſt. 1. quæſt. 5. T. definiuit ne ſufficienter, an non creationem? ſi ſufficienter, ergo vos contra Scotum dicitis, quando vultis in definitione creationis ex nihilo non ſufficere negationem partis omnis præſuppoſitæ. Si verò inſufficienter Scoto dixit, iam Scotum doctorem veſtrum accuſatis inſufficientiæ. Nos iſtam explicationem, quòd ex nihilo fit idem, quod ex nulla parte facti, retinemus tanquam communem, & aſſertoribus ſeminarij formarum, & abnegantibus ſeminarium. Addita per vos, quæ ſunt in controuerſia inter aſſertores, & negatores, non debent poni in definitione; quia quod eſt controuerſum in concluſione, non ponitur in definitione, quæ eſt principium, ſine petitione principij. *De ſufficientia ꝗ iſtius definitionis lege infra ad num. 14.*

Quin etiam rationes terminorum retinere oportet, non innouare; ſed conſequenter ad poſitas rationes terminorum loqui: iuxta Scoti veſtri iuſſionem in 4. diſt. 11. quæſt. 1. de *vocabulo mutationis*, & 4. diſt. 49. quæſt. 2. de nomine *beatitudinis*. Ita quoque Ariſt. in 11. met. ſum. 2. cap. 3. *Rationes terminorum non innouanda.*

Nunc de Philoſophis, mox de Theologis vos interrogo. Quando dicitis eſſe contra communem philoſophorum aſſerere, *fieri ex nihilo quæ fiunt ex nulla parte præſuppoſita* nulla mentione facta de ſubiecto præiacente: dicitis ne hoc de omnibus Philoſophis, an de Philoſophis veſtræ opinionis? Si primo modo, falſum prorſus dicitis; nam Philoponus eſt antiquiſſimus, & grauiſſimus philoſophus inter primos Peripateticæ ſcholæ fulgens apud Græcos, Albertus & re, & nomine Magnus inter Latinos Peripateticos: Qui tamen cum omnibus aſſertoribus ſeminarij formarum ſunt contra vos in explicatione vocabuli *ex nihilo*; ſicuti & Scotus explicauit qui fortaſſe nõ eſt à nu- VII.

mero

mero philoſophorum Peripateticorum excludendus. Sed tamen nulli eſt ſecluſa via philoſophandi. Si Ferchius in Ariſtotele loquens, cum Ariſtotele contra omnes alios ità vocabulum acciperet, ab alijs in vocabulo, non in re diſſideret. Rectè autem Scotus in 1. diſt. 1. quæſt. 3. Sancti Auguſtini doctrinam ſecutus dixit: *Vbi de re conſtat, non eſſe de vocabulo contendendum.* Si autem ſecundo modo loquamini, gratis concedit Ferchius, ſe loqui contra veſtram opinionem. Vobis enim Ferchius ſubijci non vult, neque claſſi veſtræ. Verum eſt tamen in hac ratione, quam facitis (quia forma ex præiacente ſubiecto fit; ergo forma materialis non fit ex nihilo.) vos cum veſtratibus, & falſum antecedens, & fallacem conſequentiam facere.

VIII. *Forma non fit ex materia.* Falſum antecedens quidem; quoniam Ariſtoteles in primo phyſicorum tex. 58. & ſeq. ſæpè repetit, muſicum non fieri ex homine; ſed muſicum ſignificat formam, homo materiam, ergo forma non fit ex materia.

Scot. 1. diſt. 5. quæſt. 2. Fallax eſt conſequentia duplici de cauſa: primò quidem, quoniam ſi homo fieret ex parte, quæ non eſſet ſubiectum præiacens, ſed forma, vt anima: non fieret homo ex nihilo, ergo non ſufficit ponere in conſequentia ſolam negationem materiæ ad excludendam factionem ex nihilo; ſed neceſſe eſt ponere negationem omnis partis præſuppoſitæ.

Secundò verò quoniam petitis principiũ, ſic probando. Fiunt ex materia præiacente; ergo non fiunt ex nihilo. Præſupponitis enim, quod licèt materia non ſit pars facti, adhuc excludat factionem ex nihilo: cuius oppoſitum Contarenus, & Ferchius proponunt, ſcilicet ad factionem ex nihilo requiri, & ſufficere, vt res fiat ex nulla parte præſuppoſita, eſto, quòd Contarenus paucioribus ſit contentus, ſcilicet negatione ſubiecti conſtituentis. Accipere contradictorium noſtri fundamenti, eſt petere principium ſine probatione vlla.

IX. De Theologis non eſt ad propoſitum. Contarenus, & Ferchius ſcripſere, vt Peripatetici, quærentes, quid Ariſt. ſentiat, non quid veritas ſimpliciter habeat. Quærunt ſententiam vnius Pagani: quid ad propoſitum conferunt Theologi Chriſtiani? planè eſtis Doctores extrà propoſitum.

Cæte-

Cæterùm ne aliquid feciſſe videamini, cum nihil feceritis, etiam de Theologis dicamus. Sanctus Auguſtinus tom. 7. in lib. 1. contra Aduerſarium legis, & prophetarum ex ſacra ſcriptura veteris, & noui teſtamenti ex profeſſo quæſiuit ſignificata iſtarum vocum *facere*, & *creare*: Quoniam aduerſarius ex iſtis duabus vocibus impugnabat Deum legis, & prophetarum aſſerens Deum eſſe malum, eo quòd eſſet creans malum. Hac neceſſitate reſpondendi compulſus Auguſtinus in dicto lib. cap. 23. duo ſignificata ponit iſtorum verborum. Primum eſt, vt facere, & creare promiſcuè accipiantur, atquè idem ſignificent: quæ ſignificatio indeterminata non eſt pro vobis, aut pro nobis. Secunda ſignificatio eſt determinata, vt facere ſit ex eo, quod omnino non erat: creare verò ex eo, quod erat, & in aliam faciem mutetur. Optimè Sanctus Auguſtinus, vt accuratiſſimus ſacrorum ſcrutator, & ſupremus ſacrorum Theologorum doctor poſt canonicos authores, loquitur: nam 2. Machabæorum 7. ſcriptum eſt: *Peto, nate, vt aſpicias cælum, & terram, & omnia, quæ in eis ſunt; et ſcias, quòd ex nihilo fecit illa Deus*. Ergo facere propriè accipitur, quando dicitur aliquid fieri ex nihilo. Sed creare ex aliquo, vt lib. ſap. 11. legimus, *quæ creauit orbem terrarum de materia inuiſa*, ſiuè *informi* ex D. Auguſtino. Et ad Hebræos 9. opera manufacta ab artificibus dicuntur opera creationis. Quocirca iuxtà ſacros Theologos creare eſt de aliquo principio præſuppoſito, & ipſi, quod producitur, interno, aliquid producere. Fräciſcus Vicomercatus, nobilis Peripateticus lib. 1. de principijs rerum naturalium cap. 22. de naturalibus philoſophis ita ſcribit. " Vndè phyſici omnes in id conſenſere, ex nihilo nihil gigni. Nec eam inter creationem, & generationem, quæ à Theologis traditur, diſtinctionem agnouerunt, vt creatio ſit ex nihilo, generatio ex ſubiecto, atq; materia. Quam diſtinctionem vocabulorum, vndè acceperint, ignoramus: ſi quidem non ex mundi creatione à Moſe deſcripta. Nec enim illud, *creauit*, quo vſus eſt interpres, productionem ex nihilo ſignificat. Nam vbi nos habemus *creauit* Hebraicè eſt, *Bara*, quo omnis ferè actio, & formatio ſignificatur. Deindè ſeptuaginta Interpretes verterunt ἐποίησε, quod ver- *2. Machab. 7.*

 bum

bum *facere* ſignificat. Rurſus eodem in loco ſubijcitur, Deum, cete, grandia creaſſe. Item hominem: quæ tamen certum eſt, non ex nihilo facta.„ Ad hoc Pererius in Geneſim lib. 1. cap. 1. explicans illud *in principio creauit Deus*, obſcruat quod vocabulum Bara Hebraicum, & Græcanicum ἐποίησεν, atq; *creauit* Latinum in ſcriptura non accipitur pro factione ex nihilo, vt Scholaſtici Philoſophi, & Theologi volunt. Sed facere, & creare confunduntur, nimirum in ſignificato primo Sancti Auguſtini. Quocirca vos Offenſores excluditis à numero Theologorum Sanctum Auguſtinum, ſacræ Scripturæ authores canonicos, tùm Prophetas; tùm hiſtoricos, ac item tàm Euangeliſtas, quàm Apoſtolos, Inſuper, & Deum ipſum Theologum eſſe negatis: quia quando locutus eſt in ſacris ſcriptoribus, & in Filio ſuo incarnato, non accepit vocabulum creationis, ſicuti vos vultis, & veſtræ claſſis Theologi. Hùc vos impulit contentio de vocabulo.

X. *ad num.* 27. Sed tamen de vocabulo creationis, vt accipitur à ſcholaſticis infrà colloquemur; tantum nobis ſufficiat, vt non ſit piaculum inexpiabile accipere particulam, *ex nihilo*, ſicuti nos accepimus, & accipiunt omnes defenſores ſeminarij formarum. Nunc auditis minis veſtris, perſequamur, quæ contra Contarenum, & Ferchium impugnando dicitis in veſtra quæſtione cit. 6. diſputationis quintæ.

CAPVT II.

Error Offendentium in ſupponendo probanda, & in referendo Contareni dicta.

XI. IN libro de Gener. diſp. 5. quæſt. 6. cart. 303. col. 1. ad numerū 142. Offenſores causā efficientē quærunt generationis, & corruptionis. In qua ſanè quæſtione, impugnāt Ferchium, ſed nullis authoritatibus, nullis rationibus: vnde veſtigationes meæ nulla indigebant defenſione. Quod idē in decurſu præſentis offenſionis innoteſcet. Onerant me tamen vt modeſti ſunt iniurijs, atq; calumnijs. Nec me ſolùm, qui nihil ſum; ſed etiam Illu-

ſtriſſimum

ſtriſſimum Patritium Venetum Ioannem Baptiſtam Contarenum, Virum in ſchola Peripatetica planè doctiſſimum, & profunditate doctrinæ, varietate opinionum, ſoliditate dogmatum, argumentorum copia, reſponſionum acumine, omnibuſq; numeris excultum, lacerant, lancinant, iniurioſiſſimè traducunt. Et ſiquidem attendas ad vociferationes, potentiſſimè; ſi ad rationes, infirmiſſimè pugnant; ex ordiamur.

Supponit autem quæſitum formas ſubſtantiales verè produci, verèque corrumpi (anima rationali excepta, quæ licèt producatur, non corrumpitur) non verò apparenter tantùm. Offenſio.

In his dictis apparet, Offenſores, neque Scotiſtas, neque Ariſtotelicos eſſe. 5. Defenſio.

Non vtiquè Scotiſtas, quoniam Scotus in 2. diſt. 17. quæſt. 1. A. B. C. ponit, totum produci per ſe, formas per accidens: totum propria productione produci, formam non propria productione, ſed productione totius: totum prius natura, formam poſterius ad productionem totius: totum produci, vt primum terminum, ita quod fieri totius eſt via, & ratio ad eſſe formæ. Atq; per hoc, ſecundum Scotum, Ariſtoteles vitat creationem animæ; quia ſicut forma cæli ſecundum philoſophos non creatur, eo quòd forma cæli non fuit prius natura terminus creationis, quàm cœlum. Sic neque in productione animæ rationalis actio Dei terminatur in primo ſigno naturæ ad eſſe animæ: ſed actio Dei in primo ſigno naturæ terminatur ad eſſe totius hominis, in ſecundo ſigno ad eſſe animæ humanæ terminatur per accidens. Theologi verò tenent oppoſitum, quod actio Dei in primo ſigno naturæ terminatur ad animam rationalem, in ſecundo ad vnionem animæ cum corpore, atq; ad productionem totius. Propter hoc Theologi ponunt animam intellectiuam creari, Ariſtoteles negat. His conſonat Scotus omninò in 4. diſt. 43. quæſt. 2. M. docens ſecundum Ariſtotelem animam rationalem non creari, quoniam non producitur propria, & priori productione, quàm producatur totus homo; ſed eadem productione totius producitur, & anima.

Idipſum in primo diſt. 3. quæſt. 6. X. Y. docet Scotus tàm in generatione ſubſtantiali, quàm accidentali, nempè quòd to-

tum per ſe generatur, & corrumpitur, forma per accidens; *ideoq́* forma *non dicitur produci, nec eſſe terminus productionis, ſed tantùm compoſitum*. Nota particulam, *tantùm* compoſitum producitur, & ipſum generatur, & corrumpitur. Qui autem Scotiſtæ Scoto contradicunt, in hoc non ſunt Scotiſtæ. Tales ſunt Offenſores, dum aiunt formas ſubſtantiales verè produci, vereq; corrumpi.

XII. Secundo aiunt Offenſores, quòd anima rationalis producitur, & non corrumpitur. Id, ſi Scoto credunt in 4. diſt. 43. quæſt. 2. dicere non poſſunt in via Ariſtotelis, nam vt Scotus ibi ex Ariſtotele ait, quod incipit eſſe, deſinit eſſe, per tradita in primo de cælo. Sed Offenſores dicunt, quòd anima rationalis producitur, ſcilicet de nouo cum corpore, ergo & deſinit eſſe, atque adeò corrumpitur. Sicut & Scotus ibidem tanquam Alexandreus defendit, & probat animam intellectiuam eſſe mortalem in via Ariſtotelis, & in 3. diſt. 27. quæſt. 1. Scotus affirmat, Ariſtotelem inclinauiſſe magis ad mortalitatem animæ.

Quapropter neq; ſecundum Scotum, aut Ariſtotelem loquuntur Offenſores in vniuerſali de productione, & corruptione formæ; nam quod per accidens eſt, non verè eſt ex lib. 6. metaphyſicorum ſumma 2. cap. 1. ſed formæ vniuerſaliter producuntur per accidens, & per accidens corrumpuntur, vt Scotus docet in ſchola Ariſtotelis, igitur non verè producuntur. Ergo in hac parte Offenſores non ſunt cum Scoto, aut Ariſtotele. Sed neq; ſunt cum eis in productione, vel corruptione animæ rationalis, vti oſtenſum eſt. Nam alias Offenſores tenent ſe habere potiores rationes, & teſtimonia Ariſtotelis pro mortalitate; quarè & ſibi contradicunt Offenſores. Reſpondebunt, ſe nunc non loqui in ſententia Ariſtotelis, aut Scoti, ſed in vera philoſophia. An ita ſit in decurſu offenſionum explorabimus.

3. De ſuppoſito diſputare non conſueuimus, ſed de quæſito. Vos ſupponitis, formas verè generari, & corrumpi. Sed in hunc locum promiſiſtis impugnationem Contareni, tenentis formas ingenerabiles, & incorruptibiles; quarè de ſuppoſito erit diſputatio, ſi promiſſo ſteteritis. Itaque ſuppoſitum vobis ſit quæſitum.

Sup-

Supponitis formas verè, non apparenter tantùm generari, & corrumpi. At etiam defenſores inchoationum hoc ponunt: etenim compoſitum generatur, & corrumpitur, *vt quod*, forma *vt quo*. Sed omnes inchoationum defenſores, & Contarenus præſertim, tenent, compoſitum verè generari, & corrumpi *vt quod*, formam *vt quo*. Neq; ſi forma præexiſtat ante generationem compoſiti, aut poſt corruptionem compoſiti exiſtat, efficitur, vt compoſitum non ſit terminus *vt quod*, forma *vt quo*. Quia homo, & anima eius generantur, & corrumpuntur verè *vt quod*, & *vt quo*: etſi anima præexiſtat, vt in regeneratione: & poſt exiſtat, vt in omni hominis corruptione. Sicut ergo ex vera generatione, & corruptione formæ vt ſic, non ſequitur, vt rationalis ante, vel poſt compoſitum non exiſtat realiter; ſic nec in alijs formis id ſequitur. Quarè ſi formas, nec ante nec poſt exiſtere contendatis, aliud eſt vobis proponendum, non hoc ſupponendum.

Vt tuentur quàm plures ex fautoribus incohationum, & ſeminarij formarum, dicentes formam ante eius generationem præexiſtere actu, ſed veluti latentem, & actione poſtea agentis naturalis in lucem extrahi, & quaſi à materia depromi, quæ fertur fuiſſe opinio Anaxagoræ, & denuò ſuſcitatur à Contareno tom. 1. quæſt. de formarum origine cap. 9. & ſequenti, vbi argumento Auicennæ conuictus, quòd debeat dari forma quædam corporeitatis perpetuò materiæ coæua, quæ ſe habeat, veluti commune formarum ſeminarium, vnde ſucceſſiuè educantur, ne fieri dicantur ex nihilo, ponit, & ipſe ſeminarium formarum. Offenſio

Gratias vobis. Ergo Auicennas quoq; philoſophus inter Arabes illuſtris, & princeps medicorum tenet formas fieri ex nihilo, ſi non detur ſeminarium formarum. Nec putat Auicenna ſufficere, vt formæ fiant in materia præſuppoſita, ad hoc, vt non dicantur fieri ex nihilo. Cum Auicenna procul dubio militat Algazel philoſophus celebris, & multi apud Arabas, & Latinos; non ergo vera dicebatis capite præcedenti communem philoſophorum opinionem eſſe, quod formæ non fiant ex nihilo, quia fiunt ex materia, ſeu ſubiecto præiacente. 6. Defenſio.

Porrò

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

XIII. Porrò ſententia de rationibus ſeminalibus inualuit apud Theologos ſcholaſticos ex authoritate Sancti Auguſtini in 3. de Trinitate, in 6. & 9. de Geneſi ad literam, quem refert, & ſequitur Petrus Lombardus Theologorum Magiſter in 2. diſt. 7. & 18. Concedit autem Auguſtinus à Magis, atq; à diabolo factum fuiſſe in Aegypto ex aqua ſanguinem, ex ſerpente virgam, & è conuerſo: idque non virtute diaboli; ſed virtute rationum ſeminalium in materiam poſitarum à Deo. Nec propter hoc Sanctus Auguſtinus, vel Theologi negant ſanguinem, aquam, virgam, ſerpentem, quæ diabolus fecit, fuiſſe veras res, & verè factas; ſed apparenter tantùm. Quamobrem ſtante opinione de rationibus ſeminalibus, & compoſita, & formæ fiunt, generantur, & corrumpuntur verè; non apparenter ſolùm. Si autem Auguſtinus eſt melior iudex veritatis rerum factarum, quàm ſint noſtri Offenſores: iam per rationes ſeminales non apparenter tantùm: ſed verè ponitur generatio, & corruptio, tùm formarum, tùm compoſitorum. Quarè Offenſores iniuſtè tribuunt defenſoribus ſeminarij, quòd ponant formas produci apparenter tantùm, & non verè. Si autem Offenſores contendant ſe eſſe meliores iudices Auguſtino, & ſequacibus eius, nimium amant iudicium propium, & ſe ipſos: quem amorem ſui Doctor Seraphicus, & Subtilis præſumptionem vocant: à qua Deus, & nos offenſos, & offenſores noſtros præſeruet.

Magi Pharaonis vera opera fecere.

S. Bon. 2. d. 5. q. 1. Scot. 2. d. 6. q. 2.

Cum itaq; opinio de ſeminario formarum à ſapientiſſimis viris, vt Auguſtino in Theologia, & Auicenna in philoſophia, fundamentum accipiat: quibus adhæſerunt profundiſſimi Theologorum, ac philoſophorum: neminem pudere debet in theologia, vel philoſophia ſententiam hanc defendere. Proinde Contarenus doctrina robuſtiſſimus, quaſi elephas Indicus non timebit mures, hoc eſt minutulos iſtos Offenſores; idcirco magno animo, & intellectu ad veritatem aſpirante, cuncti poſſunt opinionem Contareni complecti.

Calumnia tamen nnn eſt diſſimulanda in offenſione realata.
XIV. Opinionem Contareni confundunt cum opinione Anaxagoræ: quam calumniam Contarenus oculatiſſimus in quæſt. de origi-

ne formarum cart. 150. linea 41. in ſolutione octauæ obiectionis diſcuſſit. Potuerunt Offenſores calumniari Contarenum, potuerunt comminari impugnationem; ſed reſponſionẽ impugnare non potuerunt. Ventoſa igitur eſt iactantia, qua dicunt, ſe eſſe multæ rationis, cum nullius rationis ſint, nullius authoritatis in Contareno impugnando. Nullam quippè authoritatem, nullam rationem afferunt contra Contareni reſponſum. Sed infrà referemus differentiam inter opinionem Anaxagoræ, & opinionem Auguſtini.

Sed differenter ab Auicenna; vbi enim iſte pro ſeminario ſtatuebat formam illam corporeitatis penitus materialem perpetuò materiæ, coæuam, ille ponit ſubſtantiam quandam ſpiritualem à Deo materiæ inſitam, ac concreatam. Et vbi Auicenna aſſerebat alias particulares formas, deinceps de nouo fieri ope illius formæ corporeitatis, vt ſeminarij communis, Contarenus inquit formas particulares latere in illa ſpirituali eſſentia tanquam in ſeminario, & dum materia extrinſeci agentis auxilio afficitur diſpoſitione præparante ad aliquã naturam, tunc forma talis naturæ exurgit, & in lucem prodit, vbi antea deliteſcebat; & pariformiter cum materia ad aliam naturam tranſmutatur, tunc illa prior forma, non quidem interit; ſed in eodem ſeminario reconditur, in quo tamdiù latet, quouſque ex conſimili diſpoſitione denuo excitetur. Offenſ.

In referenda Excellentiſſimi Contareni opinione duos defectus notabiles admittitis. 7. Defenſio.

Primus eſt, quia Contarenus non ſimpliciter ponit hanc opinionem; ſed apertè ſe reſtringit, dicens *Intra Peripateticos terminos alloquendo*. Quæ declaratio neceſſaria eſt, ne pro more veſtro, confundentes fideles cum infidelibus moueatis quæſtionem de fide catholica, quærentes fidem in Ariſtotele, in quo fides non fuit. Quaſi hoc modo, etiam Sanctum Auguſtinum accuſare non poſſitis, qui ſæpè retulit, & opiniones, & fundamenta opinionum Manichæi, Arij, Pelagij, & aliorum hæreticorum. poſſetis enim dicere Auguſtinum eſſe hæreticum, eò quod ſcripſerit hæreticorum ſententias in lib. de hæreſibus. Cum tamen ſit maximè neceſſarium primò inſpicere, quid ab authore

pro-

propoſito, approbetur; vel reprobetur. Nam antequam id conſtet, fruſtrà quæritur, an illius opinio ſit catholica, an hæretica, an neutra. Sic enim cautiſſimè Contarenus declarat ſe quærere, & explicare ſententiam Peripateticam: relinquens Sanctæ Sedi Apoſtolicæ authoritatem cenſendi de Fide Catholica.

Secundus defectus, quoniam prouidè Contarenus excepit animam rationalem à ſeminario formarum: nam excluſa eſt ſecundum Ariſtotelem in lib. 2. de gener. animal. cap. 3. dicentem, intellectum de foris venire, non de interno ſeminario materiæ egredi. Vos non fidi relatores ambas haſce exceptiones infidè ſuppreſſiſtis.

Offenſio. Fundamentum eius vnicum eſt, quia nil fieri poteſt ab agente naturali, quin ſubiectum aliquod conſtitutiuum illius rei concurrat, velut pars intrinſeca eius, in hoc enim ſenſu ſemper docuit Ariſt. quicquid fit, ex aliquo fieri, & non ex nihilo, vt patet, primo de gener. 17. 7. meth. 22. primo phyſ. 33 34. & 75. Cum ergo formæ non habeant, ex quo poſſint ſubiectiuè conſtitui, concludendum eſt eſſe ingenerabiles, & incorruptibiles, alioquin ex nihilo fieri dicerentur.

8. Defenſio. Cernitis, quot Ariſtotelicis textibus, quaſi gemmis corruſcet doctiſſimi hominis ratio: quam vos atramento veſtrarum additionum obſcuratis.

XV. Primò in maiore Contarenus à parte ſubiecti ſolam ſubſtantiam proponit. *Nulla ſubſtantia poteſt ab agente naturali eſſentialiter produci*: Vos extenditis ad quodcumq; ens dicentes *Nil fieri poteſt ab agente naturali.* Ommittitis quoq; particulam, *eſſentialiter*, quæ neceſſaria eſt, dum eſſentia formarum ponitur ab æterno fuiſſe, & negatur de nouo fieri: non negatur fieri ſecundum totalem exiſtentiam, vel ſecundum modum actus, aut perfecti, aut determinati.

Secundò in prædicato maioris ait Contarenus *Quin ſubiectum aliquod conſtitutiuum eius concurrat*, vos adulterinam particulam adiungitis, *velut pars intrinſeca eius* ſubiectum, & pars differunt; vt ſupra num 2. Concluſionem Contareni prorſus violatis. Contarenus colligit. *Quarè formæ ſubſtantiales non poſſunt eſſentialiter*

tialiter produci ab agente naturali. Vos concluditis; *formas eſſe ingenerabiles, & incorruptibiles.* Fortaſsè vt occultè inſinuaretis argumentum Contareni non eſſe in forma, quoniam colligit prædicatum in concluſione, quod in neutra præmiſſarum collocatur.

Neque hoc euitatur, ſi dicas ſufficere, vt ſubiectum præcedat, in quo forma producenda recipiatur. Minimè, nam Ariſtoteles primo phyſicorum 82. probans materiæ neceſsitatem in quacunque rerum productione, ne ex nihilo fieri dicantur. Si enim fit, ſubijci aliquid oportet, ex quo fit. Quibus verbis ſignificari videtur neceſsitas alicuius ſubiecti, ex quo res fiat conſtitutiuè, nam ſi Ariſt. determinare voluiſſet, quòd illud ſubiectum concurrere debeat, vt receptiuum tantùm, non vti ij, dixiſſet requiri ſubiectum, ex quo fiat, ſed dixiſſet, in quo fiat. Offenſio.

Non crediďiſſem vos tàm infidè referre, niſi oculata fide hoc perſpicerem. Scribitis. Ariſtoteles primo phyſicorum 82. probans materiæ neceſſitatem in quacunq; productione. Contarenus verò ait. *Ex litera 82. tex. 1. phyſicorum, in qua probans Philoſophus æternitatem materiæ,* ex eo *quòd ſi illa* aliquando *producta fuiſſet, id factum eſſet ex alia materia.* Contarenus probans *æternitatem*, inquit: vos pro æternitate *neceſsitatem* materiæ ſcribitis. Differunt Neceſſitas, & Aeternitas. XVI. Defenſio.

Profectò Ariſtoteles in 1. phyſ. 52. probat neceſſitatem materiæ in quacunque generatione, & corruptione, vt præter duo contraria ponatur ſubiectum, quod eis ſubijci poſſit, & ex quo ſubiecto cum forma conſtare poſſit compoſitum. Vos autem, quod factum eſt in 52. tranſtuliſtis ad 82. falſam citationem Contareno veraci in citando aſcribentes.

CAPVT III.

Ab Offenſoribus falsò citari Zerbum: falsò coniungi fundamenta Contareni, & Ferchij, falsò includi negationem ſubiecti in phraſi.
Ex nihilo.

Contareno veraci in citando aſcribentes.

Offenſio. *Opinionem de inchoationibus formarum ſatis refellimus diſp. 2. phyſ. 4. quæſt. 7. & eam funditus diruerunt noſtri. Scotus 2. diſt. 18. Baſol. ibid. Canon. 2. phyſ. quæſt. 1. Anton. An. lib. de tribus principijſ q. 7. & 7. meth. quæſt. 15. Zerb. ibidem quæſt. 9. Faber Theorem. 26. Angeſt. lib. 2. de forma proprietate pag. nobis 17. Rubion. 2. diſt. 12. quæſt. 3.*

II. Defenſio. Satis ad iudicium veſtrum, non ſatis ad iudicium aduerſariorum; ſuum vnicuiq; pulchrum. Sed Scotus, & Scotiſtæ pro vno habentur, tùm quia eaſdem Scoti rationes tranſcribunt; de nouo aut nihil, aut parum faciunt: tùm quia, qui ſe alligauerunt vni authori, nolunt ex proprio iudicio loqui; ſed ex voluntate loquuntur illius.

Inter hos tamen, quos citatis, falsò citatis Zerbum, qui in 7. met. quæſt. 9. art. 2. poſt relatam Scoti opinionem, ſcribit. *Fuit autem motus Scotus ad ſic determinandum rationes ſeminales in rebus animatis ſolùm propter apparentiam, & ipſas non coagere in generatione; ſed ad alterationem præuiam propter rationes inductas, quæ in rei veritate nihil concludunt, quicquid ſit de opinione ſua.* Statimq; Zerbus Scoti rationes diſſoluit. En quàm præclarè cum Scoto concinit, & quàm iudicat à Scoto, & ſuis dirutam opinionem de inchoatione formarum.

Idem Zerbus iuxta ſuum inſtitutum, in 3. art. reſoluit veritatem quæſiti, atque rationes ſeminales cum Alberto clariſſimè manifeſtat, ac probat efficaciter: & omnes rationes Thomæ Aquinatis, ac Ioannis Scoti contra rationes ſeminales diſſoluit.

Deniq; in 4. articulo ſoluit argumenta principialia quæ conſtructa erant contra rationes ſeminales. Tandem volens amatoribus Scoti aliquid indulgere ait. *Si quis autem afficeretur doctrinæ Scoti, facilè eſſet rationes contra ipſum ſoluere.* Atq; recitat Scoticas ſolutiones. Conſtat ex his noſtros Offenſores; vel non legiſſe Zerbum; vel ſcientes, ac volentes falsò citauiſſe. Argumenta Scoti ſunt ſatis ſoluta ex Zerbo. Nunc tantùm, quę Offenſores dicunt, reſpondendo, depellemus: ne extrà defenſionem propoſitam tranſiliamus.

Offenſio. *Fundamentum etiam allatum, quod eſt commune omnibus offenſo-*

nibus

ribus inchoatiuum, eſto coegerit Ferchium noſtrum veſtig. 1. admitte re factionem ex nihilo naturaliter, & Contarenum citatum negare nouam formarum productionem, eſſe imbecille prorſus, ac nullius roboris; immò contra coſmet militare, loco citato, oſtendimus.

Siquis vobis credat, triumphum canite; ſed in his paucis dictis veſtris tria ſunt falſa. 11. Defenſio.

Primum, quòd fundamentum Contareni & Ferchij ſit idem; non enim conuenimus, niſi in ipſo quid nominis iſtius phraſis *ex nihilo*. & in hoc non omnino.

Secundum, quòd fundamentum noſtrum ſit prorſus imbecille, ac nullius roboris.

Tertium quòd illud fundamentum militet contra nos. Tres iſtæ propoſitiones veſtræ nimium vobis arrogaut; ſed omnibus dictis à vobis in loco per vos relato ſagaciſſimè præuidens Contarenus, vigilantiſſimè prouidit.

Interea, quando vos pro more veſtro proponitis, non probatis. Ego, ne vobis ſimilis efficiar; tria prædicta eſſe falſa, oſtendam, tribus aſſertis.

PRIMVM ASSERTVM.

FVndamentum Contareni, & Ferchij non eſt idem in neganda factione noua formarum, & concedenda factione noua de nihilo. XVIII.

Clareſcet hoc aſſertum, ſi proponantur vtriuſque fundamenta.

Fundamentum verò Contareni tale eſt. *Nulla ſubſtantia poteſt ab agente naturali eſſentialiter produci, quin ſubiectum aliquod conſtitutiuum concurrat; ſed formæ rerum naturalium, quæ ſunt ſubſtantiæ, non habent, ex quo ſubiectiuè poſſint conſtitui; quare non poſſunt eſſentialiter produci ab agente naturali.* Maiorem probat ratione, & authoritate. Ratione, *quod nullo ſubiecto præſuppoſito, aliquam ſubſtantiam de nouo producit, debet habere virtutem infinitam: at virtus infinita nulli ex agentibus naturalibus, materialibus, & finitis competere poteſt.* Authoritate. *Ex 1. de generat. 17. quodlibet ortum ſit ex alterius deſtructione. 7. meth.*

22. omne quod fit, ex aliquo, & aliquid fit. Et 1. phyſ. 33. & 34. vbi Ariſtoteles approbat dictum commune: ex nihilo nihil fit. Et ibid. tex. 75. affirmat impoſsibile eſſe, vt ex ſimpliciter non ente aliquid fiat.

Fundamentum Ferchij eſt. Ariſtoteles negat enunciationem illam vniuerſalem negatiuam, *ex nihilo nihil fit*, igitur concedit per regulam contradictoriorum contradictoriam particularem affirmatiuam hanc, *ex nihilo aliquid fit*. Omne autem, quod fit, aut eſt compoſitum, aut ſimplex. In compoſito non poteſt verificari particularis Ariſtotelica, quoniam omne compoſitũ fit ex aliqua parte ſui præexiſtente, vt ex materia 1. phyſ. 64. ac 7. metaph. 23. 26. & 27. & 8. met. 8. atq; hoc eſt fieri propriè, & fieri per generationem. Igitur verificari debet Ariſtotelica propoſitio in ſimplici, aut materia, aut forma. Non in materia, quæ ſi facta eſt, initio mundi facta eſt, totoque tempore ſequenti, nec fit, nec deſtruitur: nec verum eſt dicere de materia, quòd modò eſt, modò non eſt. Reſtat, vt forma debeat fieri ex nihilo factione generali, quæ conuenit ijs, quæ modò ſunt, modò non ſunt; ſed non fiunt per generationem, neque deſtruuntur per corruptionem, iuxtà primum de cælo 111. & 8. metaph. 14.

XIX. Ex propoſitis fundamentis liquidò aſpicitur Contarenum, & Ferchium non habere idem fundamentum.

Primò, Contarenus, vt Ariſtotelicam agnoſcit illam propoſitionem; *ex nihilo nihil fit*. Ferchius negat eam eſſe Ariſtotelis Veſtig. 1. tota.

Secundò, Contarenus vtitur illa propoſitione. Ad faciendum de nullo ſubiecto præſuppoſito, requiritur vis infinita agentis. Ferchius negat illam propoſitionem eſſe Ariſtotelis, veſtig. 1. num. 38. & 55. & aſſerit, quòd faciens ex parte ſui non requirit materiam, veſtig. 1. num. 44. ſed ex parte facti: etenim efficiens ſecundum facit totum non in ſubiecto, formam facit in ſubiecto; ergo requirere ſubiectum *in quo*, eſt ex indigentia facti.

Tertiò, Contarenus ad factionem ex aliquo præexigit ſubiectum conſtitutiuum facti. Ferchius præexigit rationem partis, non ſubiecti; materia quippe eſt ſubiectum formæ, non eſt ſu-

biectum

biectum compoſiti facti ex materia. Immò ſi ſola forma præexiſtat, compoſitum ex ea factum erit ex aliquo ſui.

Quartò, Contarenus ponens mundum ab æterno intra terminos Peripateticos, ſtatuit eſſentiam formarum in ſeminario ab æterno concreatam materiæ. Ferchius ſecundum Ariſtotelem, negat mundũ fuiſſe ab æterno, veſtig. 1. num. 52. veſtig. 6. num. 36. Negat item ſeminarium formarum, aut formas, ſiuè ſecundum eſſentiam, ſiuè ſecundum eſſe: ſiuè ſecundum rem, ſiuè ſecundum modum, eſſe materiæ concreatas.

Quintò, Contarenus negat formas fieri de nouo ab agente naturali ſecundum eſſentiam, concedit fieri ſecundum modum ipſius eſſe actualis, & diſtincti. Ferchius affirmat formas fieri ſecundum eſſentiam, & modum eſſentiæ, idquè de nouo, quando fit compoſitum. Pariter in deſtructione, Contarenus vult, formas ſecundum eſſentiam non deſtrui, ſed in ſeminario recondi, ſicut in generatione ex ſeminario educi. Ferchius autem formas ex nihilo ſui fieri, & in nihil deſtrui, Veſtig. 1. num. 10. ſuſtinet. Nimis diuerſa ſunt hæc fundamenta.

Sed tamen, quoniam ſuperius placuit animi gratia vnire fundamenta duo, in quibus conueniunt aliquo modo Contarenus, & Ferchius. Ea repetamus. Vnum eſt reale, alterum vocale. XX.

Fundamentum reale. *Forma ſubſtantialis non fit ex materia, vt ex parte præſuppoſita, immò fit ex nulla parte ſui.* Nunc Offenſores, veſtrum eſt probare oppoſitum huius fundamenti: ſed probabitis ad Kalendas græcas.

Fundamentum vocale. *Ad negandam factionem ex nihilo, nihil confert affirmatio, vel negatio ſubiecti præſuppoſiti.* Vos Offenſores, qui contenditis oppoſitum, probate. Sed probabitis ad næomenias latinas.

Qua in re in mentem redit id, quod indicant S. Auguſtinus tom. 6. in lib. ad Oroſium contra Priſcillianiſtas, & Origeniſtas, S. Bonauentura in 2. diſt. 7. quæſt. 10. num. 71. fuiſſe opinionem, quæ negauit creationem, eo quod ad hoc, vt aliquid creetur, neceſſe eſt creatum ita fieri, vt nihil ipſi facti præſupponatur. Sed efficiens, & materia ſunt aliquid ipſius facti; ergo creatum debet fieri ex nulla materia præſuppoſita, ex nul- XXI.

lo efficiente præſuppoſito. At implicat contradictionem haberi factum ſine efficiente, & ſine materia, à qua dependet eſſentialiter; ergo implicat contradictionem, aliquid eſſe creatum.

Et ſanè multò rationabilius ipſum efficiens eſt aliquid ipſius facti, quàm materia, vt ſubiecta ſit aliquid formæ. Quoniam forma facta ſimpliciter eſſentialiter pendet à primo efficiente, vt cauſatum à cauſa: & cauſa eſt aliquid, vt eſſentialiter correlatiuum ipſius facti. Sed forma facta, vel non pendet eſſentialiter à materia ſubiecta (per Scot. 4. diſt. 12. quæſt. 1. E, de forma abſoluta) vel minus pendet. Quare & reſpectus inter materiam, & formam eſt extrinſecus adueniens 3. diſt. 1. quæſt. 1. ſine quo forma eſſe poteſt: inter formam, & efficiens eſt intrinſecus adueniens, ſine quo forma eſſe non poteſt, immò ille reſpectus eſt idem eſſentialiter in facto ad primum faciens ſecundum S. Bonau. 2. diſt. 1. quæſt. 5. & 6. & Scot. 2. diſt. 1. quæſt. 4. & 5. Igitur multò iuſtiùs primum efficiens eſt aliquid ipſius formæ factæ, quam materia: vnde & per ly, *ex nihilo*, multò rationabilius intelligetur negatio efficientis primi, quàm negatio primi ſubiecti. Reuera tamen neutrum eſt aliquid formæ.

XXII. Ea propter recepta eſt ſententia communis inter ſcholaſticos, quòd *creatio ſit factio totius entis ex nulla parte facti præſuppoſita*, Aliæ duæ negationes non ſunt communes omnibus opinionibus. Sed opiniones ad proprium commodũ adiungunt, vt principium in definitione illud, quod eſt concluſio in controuerſia. Vna opinio, per ly, *ex nihilo*, vult intelligere tres negationes, negationem partis præſuppoſitæ, negationem efficientis præſuppoſiti, negationem ſubiecti præſuppoſiti.

Secunda opinio, quæ placet negantibus rationem ſeminalem, duas negationes accipit, negationem partis præſuppoſitæ, & negationem ſubiecti præſuppoſiti.

Tertia, opinio, quæ eſt communis omnibus; quò ad hoc, ſolam negationem partis præſuppoſitæ ipſius facti, intelligit per ly, *ex nihilo*; in qua conuenit Philoponus, concedens formas fieri ex nihilo, conuenit Albertus, volens fieri ex ſeminario, non ex nihilo. Qui autem prætendit negationem ſubiecti præſuppoſiti in creatione, vel factione ex nihilo cõtineri debere, probet, nõ petat.

SE-

SECVNDVM ASSERTVM.

HOc fundamentum, *in factione ex nihilo non requiritur negatio ſubiecti præſuppoſiti*, non eſt prorſus imbecille, & nullius roboris. XXIII.

Vos Offenſores aſſeritis hanc negationem Contareni, vel Ferchij, eſſe fundamentum *prorſus imbecile*, & *nullius roboris*. Si tàm copioſi eſſetis in rationibus bonis, quàm in titulis maledicis, melius probaretis propoſita. Aſſeritis vos probauiſſe iſtos titulos in diſputatione ſecunda phyſ. quæſt. 7.

Planè non probaſtis. Etenim in illa quæſtione ad paginam 227. col. 1. obijcitis contra vos, quia non admiſſa in materia inchoatione formæ, ipſa forma fieret ex nihilo.

Reſpondetis, negando conſequentiam cum Scoto citato, *quia productio ex nihilo propriè non tantum negat praexiſtentiam partis intrinſecæ componentis id, quod fit; ſed etiam præxiſtentiam ſubiecti per ſe concurrentis ad productionem formæ, quæ fit, vnde cum formæ materiales ſupponant ſubiectum, à quo dependenter fiunt, non dicuntur ex nihilo fieri, ſed de potentia materiæ educi, & generari.* Hæc tantùm in illa quæſtione ſunt ad propoſitum. In quibus narratis veſtram opinionem: ſed narratio propriæ opinionis contra aduerſarios eſt petitio principij ſtatim. Itaque iſtud fundamentum commune inchoatoribus formarum, eſt vſque adeò immobile, vt vos multæ rationis homines potueritis illud impugnare petendo principium, non aliter. Et audetis propter veſtram petitionem principij damnare tanquàm *Prorſus imbecille, & nullius roboris* fundamentum tot, ac tantorum doctorum, qui pro ſeminario formarum militant? Profectò veſtra oſtenſio nullius roboris eſt prorſus, & imbecillis, non autem illorum fundamentum. Quod latius probabitur lib. 2 & infrà num. 37. & 38.

TER-

TERTIUM ASSERTUM.

XXIV. *Diſtingue inter ſubiectū præſuppoſitum, & ſubiectū conſtitutiuum.*

ISta negatiua, *In particula, ex nihilo, non includitur negatio ſubiecti præſuppoſiti*, non militat contra Contarenum, aut Ferchium. Etenim in diſputatione 2. veſtra phyſ. quæſt. 7. cart. 226. tranſcribitis ex Scoto argumentum contra illos defendentes inchoationem formarum; qui præſupponunt vnam partem formæ, vt inchoationem, & aliam de nouo produci volunt, vt inde tota forma non ex nihilo, ſed ex aliquo producta cenſeatur. Arguitur, quòd illa pars formæ, quæ producitur de nouo, non præceſſit in materia, ergo illa creatur, ergo iſti defendentes non euitant creationem.

Atqui hoc argumentum contra Philoponum non concludit. Qui enim concedit totam formam de nihilo fieri, non grauatè concedet illam nouam partem de nihilo fieri, ſi noua forma partibilis eſſe ſtatuatur. Hoc autem concedere, non ſolùm non eſt inconueniens; ſed eſt conuenientiſſimum in Ariſtotele, & Philopono: quod neq; vos, neq; Scotus veſter demonſtrauit eſſe inconueniens.

Non concludit item illud argumentum contra Contarenum, qui negat formam de nouo produci ſecundum totum, aut ſecundum partem. Ponit quippè gradum ſpecificum formalem præexiſtere ſecundū totā eſſentiā, non ſecundū partem: concedit præexiſtere ſub modo confuſo, & potentiali, & reduci ad alium modū eſſendi, ſcilicet diſtinctū, & actualem, quando agens naturale ſufficienter diſponit materiā. Sed modus non eſt per ſe producibilis: neq; productio rei ſub modo nouo impedit, quin res fiat ex ſe ipſa tota ſub alio modo. Quæ reſponſio eſt etiam Sancti Bonauenturæ in 2. diſt. 7. quæſt. 10. falsò ergo dixiſtis hæc tria eſſe contra Contarenum, & Ferchium: quæ tria nulla ratione probaſtis. Fortè in ſequentibus melius probabitis. Fortè, & deterius. Proſequamur.

CAPVT IV.

Impugnatio per Offenſores facta contra Contarenum, ſophiſticè eſt reſponſio.

FAlſum enim eſt, & nunquam ab eis ſufficienter probatum, opus eſſe, ne res creari dicatur, vel ex nihilo fieri, debere fieri ex aliquo, velut ex parte. Offenſio.

In diſputando regula eſt, ne reſpondens tranſeat à parte reſpondentis ad partem arguentis, & è contra: eſtque cautela ſophiſtica, vt ait Scotus, propter penuriam argumentorum tranſire à parte arguentis ad partem reſpondentis. Vos domini Offenſores ſuſcepiſtis onus impugnantis, ſic enim promiſiſtis initio iſtius diſputationis; nunc tranſitis ad partem reſpondentis. Sed nos propter cautelam ſophiſticam nolumus errare in diſputando. Vos velletis, vt nos probaremus, hinc dicitis: *falſum eſt, & nunquam ab eis ſufficienter probatum.* XXV. 13. Defenſio. Scot quæſt 13. 9. met q. 14.

Ferchius illud fundamentum veſtig. 1. cap. 14. num. 42. & 43. quinq; rationibus probauit: quarum vnam ſoluere voluiſtis, non valuiſtis autem, vt lib. 2. apparebit. Contarenus probauit itidem, quemadmodum ſuperius num. 18. relatum eſt. Sed ſi nos probando non ſufficimus, vos multò magis deficitis, qui fundamentum noſtrum dicitis eſſe falſum, at falſum eſſe non probatis: immò, quia probare neſcitis, petitis à nobis probationem noſtræ concluſionis, vt nos transferatis à parte reſpondentis, ad partem arguentis. Cautela iſta eſt nobis nota Scoto monitore. Nec debet propter ſophiſticen arguentis reſpondens in ſuſcepto officio reſpondentis deficere, & commutare perſonam.

Et hoc negant vniuerſaliter Theologi omnes in materia de creatione. Offenſio.

Negare, & concedere, eſt reſpondentis; probare, & improbare, arguentis. Probare debuiſtis fundamentum Contareni eſſe falſum; ſed pro argumento datis reſponſionem. Quid debemus ad reſponſionem reſpondere, niſi quòd vos nihil probatis? XXVI. 14. Defenſio.

tis? Niſi quòd falsò iactatis vos legiſſe omnes Theologos? Niſi quòd iniurioſiſſimè deletis ex vniuerſitate Theologorum plurimos, atq; grauiſſimos Theologos. Etenim de hoc fundamento Contareni, & Ferchij poſito in ſecunda concluſione ita ſcribitis. *Fundamentum etiam allatum, quod eſt commune omnibus aſſertoribus inchoationum, eſtò coegerit Ferchium &c. & Contarenum.* Addo minorem. Sed aſſertores inchoationum ſunt Ioannes Bacconus, Gabriel Zerbus, Petrus Capullius, Iacobus de Viterbio, D. Dionyſius Carthuſianus, S. Bonau. Seraphicus, Albertus Magnus, Alexander Alenſis, Magiſter ſententiarum, Hugo Linconienſis, S. Auguſt. primus aſſertor rationum ſeminalium; ergo, aut omnes iſti non ſunt vobis Theologi, quod ſine maxima impudentia dici non poteſt: aut falsò nunc ſcribitis, quòd fundamentum Ferchij, & Contareni ſit vniuerſaliter negatum ab omnibus Theologis in materia de creatione.

XXVII. Item. Crebrò nimium agere me cogitis de creatione: ſuperius ad numerum nonum, inferius ad vigeſimum nonū, & nunc quoquè. In libro ſequenti longè ſæpius inculcatis creationem: vt propter hoc ſtatuerim oſtendere, quòd vos Offenſores mei non percipitis ſignificatum huius vocabuli, neq; in doctrina Chriſti, nequè in doctrina Ariſtotelis, vt abundè oſtendam in calce libri ſecundi.

Nunc diſtinguo, quòd creatio, vel theologicè accipitur, vel ſcholaſticè. Scholaſtici enim Theologi, ac philoſophi non acceperunt ſignificatum creationis ex diuina ſcriptura, hoc eſt ex ſacra Theologia, prout annotaui ſuperius numero nono cum Vicomercato, & Pererio.

XXVIII Creatio theologicè eſt productio entis ex aliquo principio præſuppoſito, & interno ipſi producto; & genus creationis eſt productio, extenditurquè creatio, & ad intra in Deo, & ad extra in creaturis. Ad intra, ſapientia primogenita ante omnem creaturam in Eccleſiaſtic. 24. de ſe loquitur. *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum*. Et cum 70. Interpretibus Prouerb. 8. *Dominus creauit me principium viarum ſuarum*. Vt eſt apud S. Cyrillum 5. Theſauri cap. 1. & 4. Quoniam Filius Dei non ex nihilo, ſed ex ſubſtantia Patris præſuppoſita, & inexiſtente ipſi Filio productus

ductus

ductus eſt; ideo) & dicitur creatus. Alibi, Sap. 11. *Non enim erat impotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum de materia informi.* Genelis 5. *Maſculum, & fœminam creauit eos:* De luto nimirum, & coſta. Hebræos 9. *Tabernaculum non manu factum, id eſt non huius creationis:* quæ creata dicuntur, quia producta ſunt de principio præexiſtente, & inexiſtente.

Creatio ſcholaſticè eſt factio alicuius entis ex nihilo ſui. Genus verò creationis in hoc ſenſu eſt factio, quæ diſtinguitur in factionem ex aliquo, & factionem ex nihilo. Vndecunque ſit hoc ſignificatum acceptum, ex ſacra ſcriptura non eſt, in qua nunquam reperitur hæc loquendi forma: *creatio ex nihilo.* Scholaſtici in ea ſignificatione ſunt diuiſi. Nam aſſertores rationum ſeminalium vnanimiter (ſi Offenſoribus credimus) tenent, quòd ad creationem requiritur negatio partis omiſſis; ſed quòd negatio ſubiecti præſuppoſiti nihil præſtet ad apponendam, vel auferendam creationem. Abnegatores rationum ſeminalium ad creationem exigunt, tùm negationem partis præſuppoſitæ; tùm etiam negationem ſubiecti præſuppoſiti. His duabus claſſibus adde primam, quæ ad creationem non requirit negationem principij præſuppoſiti, ſed affirmationem; & erunt duæ claſſes Theologorum pro Contareno, & Ferchio, dicentibus ad creationem non requiri negationem ſubiecti præſuppoſiti: falsòque Offenſores dixerunt ab omnibus Theologis vniuerſaliter negari hoc fundamentum Contareni, & Ferchij. XXIX.

Et miramur ſanè, quarè adeò pertinaces ſint iſti ſeminariſtæ, & Inchoatores formarum in hac propoſitione, quòd potiùs admittere velint factionem ex nihilo naturaliter, aut æternitatem formarum, quàm eam negare cum communi theologorum, & aliorum philoſophorum. Offenſio.

Huiuſque nulla probatio de iure, nunc iniuriæ afferuntur. XXX. In his non recordabamini ſanctæ admonitionis à ſanctiſſimo patriarcha Franciſco directæ ad fratres ſuos. *Non litigent, neque contendant verbis, nec alios iudicent. Sed ſint mites, pacifici, modeſti, manſueti, & humiles, honeſtè loquentes omnibus, ſicut decet.* Mitto Philoponum philoſophiæ laude clariſſimum, qui tenet formas ex nihilo fieri: Auicennam, Algazelem, Zerbum, qui pu- 15. Defenſio.

tant ex inchoatione fieri: omnes hi, quando vobis placet, ſunt ſordes. Conſideremus Illuſtriſſimum Contarenum, Patritium Venetum, philoſophia ſapientiſſimum, ingenuis moribus integerrimum, dignitate ſenatoria præſtantiſſimum, virtutibus moralibus, & Chriſtianis rutilantem, omni doctrinarum genere excultum: decet ne tàm inhoneſtè, & immodeſtè ipſum appellare per contemptum ſum[illegible]m, & Seminarijſtam, & Inchoatorem? Tàm acerbe inſectari, vt non philoſophum, vt imbecillem prorſus, nullius roboris, inſufficientem, non veracem; ſed falſum, ſed abſurdum, ſed peruicacem? Hæc eſt mititas, & manſuetudo veſtra? Hæc humilitas, & modeſtia? Quanta cum indignatione, ſed iuſta S. Franciſcus vos à legibus humilitatis, ac modeſtiæ recedentes coerceret?

XXXI. Sed quid Patres Carmelitani ſentient, quando ſapientum ſui ordinis coriphæum, Ioannem Bacconum ex numero Theologorum, & philoſophorum eiectum legerint? Quid Patres Dominicani conſpicientes Albertum Magnum, philoſophiæ inſtauratorem, Theologiæ illuſtratorem, Sancti Thomæ Aquinatis in philoſophia magiſtrum, tam ignominioſè, vt ſeminarijſtam, & inchoatorem, & non Theologum, neque philoſophum haberi à vobis? Quid Franciſcani, cum perceperint Alexamdrum Alenſem doctorem *Irrefragabilem*, & *fontem vitæ* nuncupatum, philoſophiæ, atque Theologiæ laude probatiſſimum, a vobis propter inchoationem formarum, nec vt philoſophum, nec vt Theologum haberi, ſed inchoatorem, & ſeminarijſtam, & abſurdorum auctorem, & peruicacem appellari? Quid Sancta Romana Eccleſia, quæ auctoribus Sixto 4. & Sixto 5. ſummis Pontificibus inter doctores, & doctores primarios Eccleſiæ recepit ſanctum Bonauenturam, Eccleſiæ ſanctæ lumen, Franciſcanæ religionis columen, Aethruriæ decus lucidiſſimum, cum comperit propter rationes ſeminales a vobis eſſe ſanctum Doctorem ex numero Theologorum, ac philoſophorum exploſum? Profectò ſi de alijs dicere, quòd ſint falſi, inſufficientes, nullius roboris, abſurdi, peruicaces, conuitium eſt; de S. Bonauentura hoc dicere, blaſphemia eſt.

Sixtus

Sixtus quintus felicis recordationis, in diplomate, quo declarauit B. Bonau. inter primarios Eccleſiæ doctores reponendum, bis affirmat à ſe inſtitutum fuiſſe collegium Seraphicum in Vrbe ad S. Bonauenturæ doctrinam docendam, & propagandam in vtilitatem Eccleſiæ. Vos offenſores in illud collegium cooptati fuiſtis, pecunias eccleſiaſticas in vſum veſtrum conſumpſiſtis, coronam doctoratus cum voce actiua intra religionem, paſſiua ad dignitates intra, & extra religionem inde reportaſtis. *Vſurpatis beneficium Eccleſiaſticum, ſi officium, propter quod dabatur, non exercetis.* At non ſolùm non propagatis doctrinam Seraphicam; ſed eam confutatis, conuellitis, vituperatis. Scilicet pro magnis beneficijs reddi ſolet magna ingratitudo. Propter hoc Sanctum Doctorem iniurioſis titulis inchoatoris, & ſeminarijſtæ, & peruicacis, & ſatoris abſurdorum, dedecoratis. Piget, ac pudet, quod nec viui, nec mortui, nec philoſophi, nec Theologi, nec ſanctorum veneratores, nec Sancti à veſtro ſtilo pungentiſſimo ſint ſecuri. Et quantum lectum eſt hucuſque totum dixiſtis ſine vlla ratione. XXXII.

Ceſſante officio, ceſſat beneficium, & à contra.

Sed recurramus vnum in offenſione. Seminarijſtas dicitis eſſe peruicaces. Non eſt ita. Conſtantes ſunt, peruicaces non ſunt. Conſtantes inquam, quoniam in vobis Scotiſtis non inueniunt probationem, non inueniunt conſtantiam. XXXIII.

Probationem non inueniunt. Quoniam vos, Vnica Scotiſtarum laus, & gloria, remiſiſtis nos ad diſputationem ſecundam phyſicam quæſt. 7. ſed ibi, loco probationis, principij petitionem inuenimus. Sanè Scotus in 7. meta. quæſt. 12. ad 1. in 2. diſt. 18. quæſt. 1. A. in 4. diſt. 1. quæſt. 1. Pp. vult, quod in creatione adſint, & in annihilatione duæ negationes, negatio partis, & negatio ſubiecti. Dicit, non probat. Quòd ſi probatio illic adeſt, vos illam in formam erigite; nam nos illam non inuenimus. Non eſſet conſtantis viri recedere à propria ſententia ad aliam ſine ratione. Seminarijſtæ negant, quod vos affirmatis; nolunt ſine certa ratione à ſententia recedere.

Conſtantiam non inueniunt apud vos in ratione creationis Scotus quidem in 2. diſt. 1. quæſt. 5. T. creationem ità definiuit. *Dico, quòd Creatio eſt productio totius creati in eſſe, non præſup-* XXXIV.

poſita

poſita aliqua parte eius. In iſta definitione ſeminariſtæ ſunt conſtantes: ſed non conſtat Scotus.

Nam cum ingruit obiectio de formis, quòd fierent ex nihilo: tunc Scotus in definitionem aliam particulam apponit in 2. diſt. 18. & 4. diſt. 1. quæſt. 1. Pp. ſcilicet, præter negationem partis, iubet adiungi negationem ſubiecti. Conſtabit ne in hac ſecunda? Minimè.

Nam occurrente difficultate, quòd Ariſtoteles concederet creationem animæ rationalis, quæ fit de nullo ſubiecto præſuppoſito: tunc in 4. diſt. 43. quæſt. 2. M. & in 2. diſt. 17. quæſt. 1. A. reſpondet animam non creari, quoniam producitur productione totius, non propria; ergo noua conditio eſt apponenda in definitione creationis, quòd creatum producatur productione propria. Dabitur ne ſtatus?

Nequaquam; nam in 3. diſt. 11. quæſt. 1. creatio ſtrictè requirit negationẽ omnis cauſæ ſecundæ efficientis, & omnis cauſæ materialis, vt creatio ſit opus ſolius primæ cauſæ. Creatio communiter, & ſi non excludat cauſam ſecundam efficientem, tamen eſt relatio ad ſolam primam cauſam; vnde ignis generabitur ab igne; ſed erit creatura ſolius Dei, non ignis. Oportebit ergo quartam apponere particulam in definitione creationis, vt ſit in reſpectu ad ſolam primam cauſam. Dabitur ne ſtatus?

Non vtique. Nam ſi Filius Dei eſſe creatus prætendatur: noua conditio adducitur, vt ipſum nihil duratione præcedat, ipſũ aliquid ſequatur. Sic in 1. diſt. 5. quæſt. 2. R. "Creatura eſt poſt nihil, id eſt, poſt non eſſe ſui, & cuiuſcunq; in eo. Non ità Filius, non tantùm quia ſuum eſſe eſt æternum,". Similia leges in 3. diſt. 11. quæſt. 1. C. Sed in 1. Top. cap. 3. & 4 definitio appellatur terminus: nunc autem definitio creationis erit terminus ſine termino: ſemper quippè nouis difficultatibus emergentibus, nouas particulas in definitione creationis iungemus. Seminariſtæ nolunt in ſua definitione inconſtantiam.

XXXV. Hinc aduerto, vos non benè eſſe Scotiſtas; dato enim, quòd forma fiat à ſecundo efficiente cum concurſu primi, forma diceiur creari, non à ſecundo; ſed à ſolo primo efficiente ſecundum Scotum. Ergo non benè argumentamini contra Ferchium,

ſi for-

ſi forma fit ex nihilo ab agente naturali, igitur forma creatur ab agente naturali. Nam etiamſi fiat ab vtroque, à ſolo primo creatur.

Deinde ponere formas fieri ex nihilo ſui, & ponere fieri illas, ſiuè ex ſe totis, ſiuè ex parte ipſarum, implicat contradictionem. Inchoatores formarum præſupponunt in materia, vel totam formam, vel formæ partem: Ferchius nec totam, nec partem, ſed omninò nihil: igitur contradicitis vobis ipſis, quando Ferchium ponitis inter inchoatores formarum, & inter facientes ex nihilo formas.

Denique vt cognoſcatis, vos immeritò factionem ex nihilo, & reſolutionem in nihil ponere tanquam abſurdum in philoſophia: profero S. Bonau. velitis, nolitis Theologum, ac philoſophum glorioſum in 2. diſt. 26. quæſt. 4. num. 26. ſcribentem. *Cum gratia non producatur ex aliqua materialiter, ſed ſit ſimpliciter donum gratuitum, & omninò deſurſum deſcendens à Patre luminum, & omne quod corrumpitur, in id cedat, vnde producitur: neceſſe eſt gratiam, ſicut ex nihilo producitur, ſic etiam in nihilum redigi, cum corrumpitur. Talis autem modus corrumpendi, non ſolum competit gratiæ ratione ſui initij: ſed etiam ratione eſſe proprij, ſiuè modi exiſtendi. Ratione inquam ſui initij, quia ſicut dictum eſt, ſicut ex nihilo producitur, ità in nihil redigitur, quemadmodum in alijs accidentibus conſimiliter reperitur, quod in id redeunt, vnde exeunt, cum producuntur. Competit etiam hoc ei ratione eſſe proprij, ſiuè modi exiſtendi. Quoniam cum gratia non cauſetur ex principijs eius, in quo eſt, ſed aliud habeat pro ſubiecto, aliud pro cauſa: quemadmodum cum lumen corrumpitur, vel ſimilitudo in ſpeculo, vel ipſa ſpecies in anima, non corrumpitur in illud, in quo eſt, nec redit ad illud, à quo eſt, ſed quantum eſt de ſe, in nihil cedit.* Similia legite eadem quæſt. num. 32. Ergo aliqua forma ſupernaturalis, vt gratia, ex nihilo fit, & in nihil cedit: & aliqua forma naturalis, vt lumen ſimiliter ex nihilo fit, & redit in nihil: non ergo hoc eſt abſurdũ in Theologia, vel philoſophia, ſed in veſtra opinione abſurditas eſt. Si autem de omnibus formis naturalibus id non concedatur, vt fiant ex nihilo, hoc eſt propter rationem ſeminalem in ſubiecto repertam. Ceſſare iam debet admiratio

veſtra.

poſita aliqua parte eius. In iſta definitione Seminariſtæ ſunt conſtantes: ſed non conſtat Scotus.

Nam cum ingruit obiectio de formis, quòd fierent ex nihilo: tunc Scotus in definitionem aliam particulam apponit in 2. diſt. 18. & 4. diſt. 1. quæſt. 1. Pp. ſcilicet, præter negationem partis, iubet adiungi negationem ſubiecti. Conſtabit ne in hac ſecunda? Minimè.

Nam occurrente difficultate, quòd Ariſtoteles concederet creationem animæ rationalis, quæ ſit de nullo ſubiecto præſuppoſito: tunc in 4. diſt. 43. quæſt. 2. M. & in 2. diſt. 17. quæſt. 1. A. reſpondet animam non creari, quoniam producitur productione totius, non propria; ergo noua conditio eſt apponenda in definitione creationis, quòd creatum producatur productione propria. Dabitur ne ſtatus?

Nequaquam; nam in 3. diſt. 11. quæſt. 1. creatio ſtrictè requirit negationē omnis cauſæ ſecundæ efficientis, & omnis cauſæ materialis, vt creatio ſit opus ſolius primæ cauſæ. Creatio communiter, & ſi non excludat cauſam ſecundam efficientem, tamen eſt relatio ad ſolam primam cauſam; vnde ignis generabitur ab igne; ſed erit creatura ſolius Dei, non ignis. Oportebit ergo quartam apponere particulam in definitione creationis, vt ſit in reſpectu ad ſolam primam cauſam. Dabitur ne ſtatus?

Non vtique. Nam ſi Filius Dei eſſe creatus prætendatur, noua conditio adducitur, vt ipſum nihil duratione præcedat, ipſū aliquid ſequatur. Sic in 1. diſt. 5. quæſt. 2. R. "Creatura eſt poſt nihil, id eſt, poſt non eſſe ſui, & cuiuſcunq; in eo. Non ità Filius, non tantùm quia ſuum eſſe eſt æternum,,. Similia leges in 3. diſt. 11. quæſt. 1. C. Sed in 1. Top. cap. 3. & 4 definitio appellatur terminus: nunc autem definitio creationis erit terminus ſine termino: ſemper quippè nouis difficultatibus emergentibus, nouas particulas in definitione creationis iungemus. Seminariſtæ nolunt in ſua definitione inconſtantiam.

XXXV. Hinc aduerto, vos non benè eſſe Scotiſtas; dato enim, quòd forma fiat à ſecundo efficiente cum concurſu primi, forma dicetur creari, non à ſecundo; ſed à ſolo primo efficiente ſecundum Scotum. Ergo non benè argumentamini contra Ferchium, ſi for-

ſi forma fit ex nihilo ab agente naturali, igitur forma creatur ab agente naturali. Nam etiamſi fiat ab vtroque, à ſolo primo creatur.

Deinde ponere formas fieri ex nihilo ſui, & ponere fieri illas, ſiuè ex ſe totis, ſiuè ex parte ipſarum, implicat contradictionem. Inchoatores formarum præſupponunt in materia, vel totam formam, vel formæ partem: Ferchius nec totam, nec partem, ſed omninò nihil: igitur contradicitis vobis ipſis, quando Ferchium ponitis inter inchoatores formarum, & inter facientes ex nihilo formas.

Denique vt cognoſcatis, vos immeritò factionem ex nihilo, & reſolutionem in nihil ponere tanquam abſurdum in philoſophia: profero S. Bonau. velitis, nolitis Theologum, ac philoſophum glorioſum in 2. diſt. 26. quæſt. 4. num. 26. ſcribentem. *Cum gratia non producatur ex aliqua materialiter, ſed ſit ſimpliciter donum gratuitum, & omninò deſurſum deſcendens à Patre luminum, & omne quod corrumpitur, in id cedat, vnde producitur: neceſſe eſt gratiam, ſicut ex nihilo producitur, ſic etiam in nihilum redigi, cum corrumpitur. Talis autem modus corrumpendi, non ſolum competit gratiæ ratione ſui initij: ſed etiam ratione eſſe proprij, ſiuè modi exiſtendi. Ratione inquam ſui initij, quia ſicut dictum eſt, ſicut ex nihilo producitur, ità in nihil redigitur, quemadmodum in alijs accidentibus conſimiliter reperitur, quod in id redeunt, vnde exeunt, cum producuntur. Competit etiam hoc ei ratione eſſe proprij, ſiuè modi exiſtendi. Quoniam cum gratia non cauſetur ex principijs eius, in quo eſt, ſed aliud habeat pro ſubiecto, aliud pro cauſa: quemadmodum cum lumen corrumpitur, vel ſimilitudo in ſpeculo, vel ipſa ſpecies in anima, non corrumpitur in illud, in quo eſt, nec redit ad illud, à quo eſt, ſed quantum eſt de ſe, in nihil cadit.* Similia legite eadem quæſt. num. 32. Ergo aliqua forma ſupernaturalis, vt gratia, ex nihilo fit, & in nihil cedit: & aliqua forma naturalis, vt lumen ſimiliter ex nihilo fit, & redit in nihil: non ergo hoc eſt abſurdũ in Theologia, vel philoſophia: ſed in veſtra opinione abſurditas eſt. Si autem de omnibus formis naturalibus id non concedatur, vt fiant ex nihilo, hoc eſt propter rationem ſeminalem in ſubiecto repertam. Ceſſare iam debet admiratio

veſtra.

veſtra. Admiratio naſcitur ex ignorantia cauſæ: cauſam patefecimus, propter quam ſeminarijſtæ firmi maneat in ſententia contra vos, non probantes, non conſtantes.

CAPVT V.

Offenſores ex Ariſtotele impugnant Contarenum, ſed ab auctoritate negatiuè · poſitiuè repelluntur circa creationem, & annihilationem.

Offenſio. XXXVI PRæſertim, *cum Ariſt. nihil eis omninò faueat.*

16. Defenſio. Vah, oblitus eram. Contarenus, & Ferchius in Ariſtotelis mente aperienda, nullum accipiunt authorem, niſi Ariſtotelem. Vos, offenſores, hucuſque nihil ex Ariſtotele; ergo hucuſque nihil ad propoſitum, ſic enim decet vos eſſe Doctores extra propoſitum.

Præterea duobus modis poſſumus ex authoritate argumentari, conſtructiuè, aut deſtructiuè. Arguere ab authoritate deſtructiuè, eſt fallacia conſequentis, teſte Scoto in 1. diſt. 8. quæſt. 3. S. Vos autem hic ab authoritate negatiuè proceditis, Ariſtoteles *nihil eis omnino fauet*, & infra *hoc non dixit*. Oportebat poſitiuè arguere dicendo, Ariſtoteles Contareno refragatur, aut Ferchio in tali libro, ac toto textu; ſed bono animo eſſe iubeo Contarenum: non eſt periculum, vt a vobis textu Ariſtotelico impugnetur.

Offenſio *Quamuis enim* (Ariſtoteles) *ſemper dicat omne quod fit, ex aliquo fieri, ac etiam frequenter inſinuet fieri ex alio tamquam ex parte, hoc non dixit, quia voluerit, aut formam nullatenus fieri; ſed eſſe ingenerabilem, vt deducit Contarenus, aut omninò fieri ex nihilo, vt deducebat Ferchius.*

17. Defenſio. Ab Ariſtotele fuiſſe dictum, omne, quod fit, ex aliquo fieri: fuiſſe indicatum, quod fit, fieri ex parte, probauerunt Contarenus, & Ferchius ab authoritate poſitiuè ex 12. meth. tex. 12. ex 8. meth. tex. 8. 7. meth. 26. 27. 32. ex 1. phyſ. 64. & 82.

Vos adiungitis: hoc non *dixit Ariſtoteles, quia voluerit*. Di-

cite

cite amabò, quomodo deprehendiſtis voluntatem Ariſtotelis ex non dictis? Qui tacet, nec affirmat, nec negat: neque declarat ſe velle, neque non velle. Heccine eſt veſtra impugnatio Contareni, tanta cum ſolemnitate promiſſa ad falſiſſimum aſſertum confutandum, ſuperius diſput. præſenti quæſt. 1. art. 1.? Efficaciſſima impugnatio eſſe non poteſt, quæ eſt ab authoritate negatiuè; ſed eſt fallaciſſima.

Cæterùm Ferchius primam partem à vobis dictam non recipiet. Dixit vtique Ariſtoteles, quod fit, ex aliquo fieri. Sed non *ſemper* dixit: nam in lib. de Xenophane, & in lib. de Zenone negauit illam propoſitionem *ex nihilo nihil fit*, ergo conceſſit contradictoriam *ex nihilo aliquid fit*, & iſtam pluribus declarauit. Quando autem dixit, aliquid fieri ex nihilo, certè non aſſeruit, illud fieri ex aliquo.

Secundo, idipſum argumentabor ex annihilatione, & ex creatione, vt cognoſcant omnes, quàm ſitis vos Offenſores in Peripatetica philoſophia exercitati. XXXVII.

Ex annihilatione. In primo Metheororũ ſumma prima cap. 3 ſcribitur. *Si enim & diſtantia ſunt plena igne, pridem Annihilatum vtique eſſet vnumquodque aliorum elementorum*. Si tanta eſſet multitudo, & magnitudo ignis, videlicet à luna ad ſtellatum, incluſis extremis, quemadmodum Anaxagoras putabat, arguit Ariſtoteles: ergo iam diù aer, aqua, terra, eſſent annihilata. In hac deſtructione trium elementorum: verbi gratia terræ, quid dicemus, etiam ne materiam primam deſtructam eſſe? Non vtique, eſt enim incorruptibilis, ex primo phyſicorum 82. Nulli quoque contraria eſt, neque eſt ad contrarium determinata, ergo à nullo deſtrui poteſt. Quamobrem in materiam vehementiſſima ignis actione introducta fuiſſet forma ignis, expulſæ fuiſſent formæ terræ, aeris, aquæ. Tunc poſtulo, an tria elementa dicantur annihilata ſecundum totum, an ſecundum formam? non ſecundum totum, quoniam annihilatio ſcholaſticè poſt deſtructionem non relinquit aliquam partem ipſius deſtructi: ſed in deſtructione trium elementorum manet vna pars, quæ eſt materia ex definitione materiæ 1. phyſicorum 82. nam eſt vltimum ſubiectum, in quod fit reſolutio; ergo tria

elementa ſecundum totum corrupta ſunt, non annihilata. Si verò ſecundum formam annihilata ſint: iam rectè dictum eſt à Ferchio formam, quando deſtruitur, in nihil cedere: non autem reſolui in materiam, quæ nihil formæ eſt. Si denique dicantur tria elementa, nec ſecundum totum, nec ſecundum partem annihilata: à ſic dicente peruertentur, & negabuntur tùm verba, tùm ſenſus Ariſtotelis.

XXXIIX Ex creatione. In ſecundo de partibus animalium cap. 2. columna 1116. E. *At verò cor, quia venarum initium eſt, & vim Creandi ſanguinis primam obtinet*, & 2. de generat. anim. cap. 2. cart. 1148. A. *Vt principium generans cuiuſq; mouens primum, & procreans*; græcè Dimiurgum, ideſt creans. Item 2. de generatione animal. cap. 4. cart. 1284. C. *Fæmina ſemper materiam præbet, mas vim creandi*. Iam exquiro, Creatur nē ſanguis ratione totius, an ratione formæ (quæ duo incipiunt eſſe) an nullius ratione. Idem dico de pro ſe creata à maſculo habente vim creandi, & creante. Si tertium dederitis, Ariſtotelis ſenſum, & verba negabitis. Si primum arguo. Creatio eſt productio totius creati, nulla parte eius præſuppoſita, Scoto definitore in 2. diſt. 1. quæſt. 5. T. Sed ſanguis quò ad rationem totius fit ex materia præſuppoſita ſub forma chili, ex qua materia depellitur forma chili, & in eam inducitur forma ſanguinis, ergo ſanguis non creatur ratione totius; neque cor creat: ſimiliter neque proles creatur à maſculo ratione totius, neque mas creat. Si ratione formæ primò creatur ſanguis, & creatur proles: ergo forma ſanguinis, & prolis creatur ex nulla parte præſuppoſita. *Creare* autem ex eodem Scoto in 2. diſt. 1. quæſt. 2. *Eſt aliquid de nihilo producere in effectu*, ergo forma ſanguinis, & prolis de nihilo producitur.

XXXIX Corollaria tria deduco. Primum forma fit ex nihilo: quoniam quod creatur, fit ex nihilo; forma creatur, ſi ita Ariſt. exponitur, ergo fit ex nihilo.

Secundum corollarium. Forma fit ex nihilo à cauſa ſecunda ſuppoſito concurſu cauſæ primæ: probatur, cor, & maſculus creant totum ratione formæ; ſed cor, & maſculus ſunt cauſæ ſecundæ, ergo cauſæ ſecundæ creant formam, hoc eſt faciunt eam ex nihilo.

Ter-

Tertium corollarium. Fieri ex nihilo, ſeu creari requirit negationem omnis partis rei factæ, non requirit negationem ſubiecti præſuppoſiti ſecundum Ariſtotelem. Probatur, forma ſanguinis creatur, ſic & forma prolis; eo quod fiat ex nulla parte ſui præſuppoſita; fit autem vtraque forma in præſuppoſita materia: ergo negatio materiæ præſuppoſitæ non requiritur ad creationem, neque materiæ poſtpoſitæ ad annihilationem.

Conſtat ex his peruicaces illos ſeminariſtas, vel factores formarum ex nihilo cum Principe philoſophorum aſſerere, quòd ad factionem ex nihilo requiritur negatio omnis partis rei factæ, non requiritur negatio ſubiecti præſuppoſiti, vt ſubiectum eſt: quare ſi vos Offenſores non velitis etiam Ariſtotelem a numero philoſophorum expungere, debetis concedere contra dictum veſtrum non omnes philoſophos eſſe contra Ferchium. Fortaſſe dicetis Ariſtotelem ignorauiſſe ſignificata creationis, vel annihilationis: aut ſi ea ſciuerit, abuſum eſſe his vocibus in alieno ſignificato. Poteſt fieri quidem, vt vos ita dicatis; ſed poteſt etiam fieri, vt nemo ſincerus Peripateticus vobis credat.

Hoc modo citantur authoritates poſitiuè, non vt vos facitis; Ariſtoteles, *nihil eis omninò* fauet, Ariſtoteles *non dixit*. Hactenus pro Ferchio probatum eſt, formas ſubſtantiales ex nihilo fieri, in nihil deſtrui. XL.

Sequitur, vt pro Contareno probetur, formas eſſe ingenerabiles, & incorruptibiles in toto vniuerſi decurſu. Probatur ſic. Formæ ſecundum Ariſtotelem non fiunt ex aliquo, ſed ex nihilo: igitur ab æterno fuerunt concreatæ ipſi materiæ, nec amplius poſſunt fieri ſimpliciter, ſed fieri in materia. Conſequentia patet, quia ſecundum Ariſtotelem creatio noua non datur, prout etiam vobis placet contra Ferchium; igitur ſi quid creatur ex nihilo, id ab æterno creatum eſt in ſententia Ariſtotelis. Probatur antecedens principale, quòd ſcilicet forma non fiat ex aliquo. Principia non fiunt ex alterutris; forma, & materia ſunt principia, ergo forma non fit ex materia. Neque fit ex compoſito, quoniam id, ex quo aliquid fit, eſt præſuppoſitum ordine naturæ, vel durationis ei, quod ex ipſo fit: ſed forma non præſupponit compoſitum ordine naturæ, vel durationis;

nam principium eſſet prius principiato contra 5. met. ergo forma non fit ex compoſito. Neque fit ex alia forma, iuxtà 12. diuinorum tex. 12. & 7. met. 32. ergo forma non fit ex forma. Omne autem, quod fit ex aliquo, aut fit ex ſubſtantia; aut fit ex accidente, at ſubſtantialis forma non poteſt fieri ex accidente, quoniam ſubſtantia eſt primũ omniũ prædicamentorum 7. met. 4. id, ex quo ſubſtantia fit, debet eſſe prius, quàm ſubſtantia facta, ergo accidens non poteſt eſſe id, ex quo fiat ſubſtantia vlla, qualis eſt forma. Forma item non fit ex aliqua ſubſtantia, vt probatum eſt; ergo ex nullo ente fit, hoc eſt ex nihilo.

XLI. Defenſiones inſtitutæ ſunt ad reſpondendum, non ad probandum. Probauimus autem, quia nihil ab Offenſoribus allatum eſt, ad quod reſponderemus, niſi conuitia. Sed melius eſt tacere, quàm retaliare conuitia.

CAPVT VI.

Formam, vel non fieri ſimpliciter, ſed in alio, non ex alio: vel ſi fit ſimpliciter, ex nihilo fieri contra Offenſores.

Offenſio *Sed ideò ità (Ariſtoteles) dicebat quia cum fieri propriè ſit compoſiti; vt oſtendit primo phyſicorum 64. & 7. met. 26. & 27. & 8. met. 8. compoſitum verò fit ex alio; vt ex parte, conſequenter quicquid propriè fit; ex aliquo fit vt ex parte, forma autem propriè non fit, ſed potius inſit, vt ibidem dicit Ariſtoteles.*

Incredibile dictu, vos potuiſſe tot textus conglomerare. Non

18. Defenſio. de veſtro fonte ſunt hi latices. Hæc ſumpta ſunt ex Ferchio veſtigatione prima num. 49. & 50. vbi, & doctrina, & citationes adſunt. Sed tamen falſo per vos addito, primam citationem violaſtis; quoniam in primo phyſicorum 64. philoſophus non ait, formam fieri in materiam, vel infieri; violaſtis, & tertiam, nam neque in 8. met. docemur, quòd forma inſiat, vel fiat in materia. Vos ad apparentiam ſcribitis, vt videamini magni Peripatetici; ſed quantum capio, non examinatis, quid

ſit

ſit in textu, quid non ſit. Doctrina igitur de compoſito, & citationes veræ ſunt, falſa veſtra vobis relinquuntur. Sed neque Ferchius, neque Contarenus diſſentiunt; immò & ipſi docuerunt ante vos compoſitum fieri ex materia vt ex parte; formam fieri in materia, vt in ſubiecto. Controuerſia eſt, ex quo fiat forma, quam rem toto hoc articulo ſub ſilentio premitis.

Verum ſicut legiſtis hanc doctrinam apud Ferchium, & tranſcripſiſtis: Ita legiſtis apud Contarenum, huius reſponſionis veſtræ confutationem in quæſt. per vos impugnata de origine formarum cap. 10 Cur ergo non tranſcripſiſtis impugnationem,& de veſtro pectore cunnon hauſiſtis ſolutionē? Sanè quæ contra Cremoninum pro, & contra copioſè tranſcriberetis, apud Raguſeum, & Contarenum habuiſtis. At apud neminem inueniſtis ſolutionem iſtius impugnationis: vnde nec per vos ſolutionem inuenire, nec per alios inuentam tranſcribere potuiſtis. Sic autem vir inclytus arguit. Hanc doctrinam, *omne quod fit, fit ex aliquo*, Ariſtoteles applicauit non modò compoſitis, ſed etiam ſimplicibus. XLIII. *Oſtenſoria tranſcribunt, non ſcribunt.*

Siquidem materia prima ſimpliciſſima eſt, ſed in 1. phyſ. 82. de materia, inquit philoſophus, ſi materia fit, *ſubijci aliquid oportet.*

Et in 8. phyſ. 6 de æternitate mobilium, & motiuorum ait; ſi motiuum, & mobile fiunt, ergo per motum, & mutationem, quæ præſupponunt materiam; at motiua continent ſub ſe etiam ſubſtantias ſeparatas ſimpliciſſimas. Mobilia continent etiam cælos, ideſt corpora ſimplicia, ergo non ſolùm de compoſitis, ſed etiam de ſimplicibus vera eſt illa propoſitio: *illud, quòd fit, ex aliquo fit.* Et ex conſequenti veſtra reſponſio non eſt ſufficiens.

Inſuper omne, quod fit, fit ab aliquo, ex aliquo, & aliquid per 7. meth. 22. Sed particula *ab aliquo*, & particula *aliquid*, dicuntur tam de ſimplici, quam de compoſito, ergo & particula *ex aliquo*, niſi pro libito veſtro, vnam recipere, alteram repudiare velitis. Ad hanc impugnationem obmutuiſtis.

Non ergo inde deducere debemus formam non fieri. Oſtenſio

Ruſus extra propoſitum; Debuiſtis probare, & impugnare, ſed reſpondetis negando conſequentiam. Fiat tamen ex di- XLIII. 19. Defenſio.

ctis

ctis argumentum tale pro vobis.

Fieri propriè ex aliquo, vt ex parte dicitur de compoſito.

Forma verò fit in alio, & cum alio;

Ergo forma fit.

Reſpondeo negando conſequentiam duplici de cauſa, prima, quoniam continet fallaciam ſecundum quid ad ſimpliciter: fit in alio, ergo fit. Quando anima rationalis præexiſtens de nouo, aduenit in corpus: verum eſt, quòd anima fit in corpore, vt forma in materia; non tamen verum eſt animam fieri ſimpliciter quò ad ſuam eſſentiam, & eſſe. Aſſerit Contarenus in generatione compoſiti formam fieri in materia (nam quæ latebat in ſeminario, non informans, fit actu, & determinatè informans) nec tamen concedit formam fieri quo ad ſuam eſſentiam, & eſſe de nouo. Vos autem diſput. iſta 5. quæſt. 1. art. 1. promiſiſtis impugnaturos hoc illatum Contareni, *forma eſt ingenerabilis, & incorruptibilis, forma non fit de nouo*, ſed promiſſis non ſtatis, niſi arguere à ſecundum quid ad ſimpliciter ſit impugnare.

Secunda cauſa negationis eſt fallacia accidentis, commutando habitudines. nam ſapienter Contarenus diſtinxit fieri *in quo*, & fieri *ex quo*. Quæ duo diuerſa ſunt. Compoſitum quippè fit *ex quo*, non *in quo*. Forma fit *in quo*, non *ex quo*, niſi vos oſtendatis, ex quo fiat, quod in hac reſponſione non tangitis, dicentes: *Non ergo inde deducere debemus formam non fieri, aut ex nihilo ſed fieri in alio, & cum alio. Ideſt fieri in materia, & dependenter ab ea*. Quòd forma fiat in alio, Contarenus, & Fetchius ſine vobis dixerunt. Controuerſia eſt de fieri ex alio, & hoc tacetis.

XLIV. Deducet ergo Fetchius. Compoſitum fit ex aliquo, non in aliquo. Forma fit in aliquo, non ex aliquo. Non aliquid, & nihil æquipollent ex primo tractatu ſummularum: ergo forma fit in aliquo, ſed ex nihilo.

Forma non fit ſimpliciter, pro Contareno. Deducet Contarenus. Forma non fit ex nihilo, vt vos contenditis contra Fetchium. Forma non fit ex aliquo, vt vos nunc victi tacetis: ergo forma non fit ſimpliciter, ſed ſecundum quid, quia fit in materia. Non fit quò ad eſſe, fit quò ad ineſſe.

Confirmabit ex Ariſt. 12. metaph. 12. in 7. metaph. 22. 26. 27. 32. quòd forma non fit. Si Ariſtoteles in illo 7. metaph. negauit

gauit ipſum fieri de forma præciſè, & abſolutè; aſſeruit fieri cum addito, nempè fieri in hoc; ergo Ariſtotelicè loquitur, negans formam fieri denouo, quò ad eſſe ſimpliciter, concedens quò ad fieri ſecundum quid.

Præterea ſecundò arguam pro Contareno. Philoſophus in primo de generat. animal. cap. 18. cart. 1227. docet quatuor eſſe modos, quibus aliquid *fit ex alio*.

Primus eſt ratione *ordinis*, quia hoc poſt hoc, vt ex puero fit vir, quia prius eſt puer, poſterius fit *vir*.

Secundus ratione *materiæ*, ſic ex ære ſtatua fit, vt ex aliquo, quod inſit & formetur, totum fit.

Tertius ratione termini oppoſiti, vt ex immuſico fit muſicum, & omninò ex contrario contrarium.

Quartus ratione efficientis, vt ex maledictis fit pugna, quia maledicta ſunt principiũ motus. Facta diuiſione tanquam ſufficiente, Ariſt. quærit, quo nam ex iſtis modis animalia fiunt ex ſemine. Diuiſio autem debet eſſe ſufficiens, ne ſit fallacia conſequentis. Eodem pacto arguatur, ſi forma fit ex aliquo, purà ex ſubiecto præiacente; non fit primo modo ex ſubiecto, quia quod eſt prius, non manet cum poſteriore; vt puer non manet cum viro; ſed materia manet cum forma.

Non fit ſecundo modo, quoniam materia non eſt pars formata, & inexiſtens ipſi formæ, tanquam toti.

Non tertio modo, materia enim nulli eſt contraria, ergo forma non fit ex materia, vt ex contrario.

Non quarto modo, quoniam ex 2. de generat. 53. materiæ eſt pati, non efficere. Ergo forma ſubſtantialis non fit ex materia vllo modo. Quarè aut fit ex nihilo, quod negatis; aut nullo fit, quod Contarenus aſſeuerat.

Tertiò arguitur; quando dicitis formam fieri in alio; accipitis nè ipſum fieri propriè, prout eſt compoſitorũ, quæ per generationem fiunt, an communiter pro ipſo fieri generaliter ad omnia, quæ incipiunt eſſe, ſiuè per generationem, ſiue abſque generatione. XLV.

Si primo modo; ergo in 1. phy. t. 82. cùm demonſtratur, quòd materia non fit, demonſtratur, quòd ipſa non fit propriè per ge-

neratio-

nerationem, ſicut compoſitum fit ex ſubiecto primo, & inexiſtente per ſe. Ita quoque in 8. phyſicorum 6. ſi motiuum, & mobile fit, concluditur, quod non fit propriè per mutationem ſubſtantialem ex materia præexiſtente, & inexiſtente; ne ſcilicet procedatur in infinitum.

Verumtamen ex hoc fieri propriè, & per generationem non concluditur, quòd res, quæ non fit, ſit æterna: propterea quod in 12. met. 12. & in 7. met. 32. & alijs locis concluditur, quòd forma non fit, ne in infinitum procedatur, ſi forma fiat ex forma. Per hoc tamen non concluditur, quòd forma ſit æterna, quò ad eſſentiam, & eſſe ſuum ſimpliciter, vti vos contenditis contra Contarenum non concludi. Neque concluditur, quòd ſit ſimpliciter ingenerabilis, & incorruptibilis. Sed quòd non fit propriè, vti compoſitum fit. Igitur in 1. phyſ. 82. & in 8. phyſ. 6. non concluditur, quod materia, mobile, & motiuum ſint res æternæ; ſed ſolum, quòd non ſiat factæ, propriè accepto fieri. Vnde in iſtis locis verè dicet Ferchius non concludi ab Ariſtotele philoſophicè, quòd materia, & mundus ſit æternus; ſed tantùm popularitèr, & apparenter hoc inferri ad iram populi euitandam, volentis, quòd mundus, & cæli, ſint Dij immortales. Quorum oppoſita ſi Ariſtoteles dixiſſet, morti adiudicatus fuiſſet. Hoc inquam eſt pro Ferchio, quanquam contra vos, affirmantes, quòd ſupra libros de cælo demonſtrauertis, Ariſtotelem tenuiſſe mundi æternitatem.

Si autem ſecundo modo accipitur fieri, ergo in omni fieri, ſiue ſpeciali, & propriè ſumpto, ſiue generali, & communiter; ſiue ſimplicium, ſiue compoſitorum, vera eſt Ariſtotelis aſſertio: omne, quod fit, fit ex aliquo, pro vt Contarenus optat. Forma verò ſubſtantialis non fit ex aliquo, vel accidente, vel ſubſtantia, ſicut idem egregiè, & robuſtè probat in quæſtione de origine formarum cap. 10. & antea num. 40. relatum eſt: ergo reſtat, vt forma ſit æterna, quantum ad ſuam eſſentiam, & eſſe ſimpliciter: & ſolùm fiat ſecundum quid, ſcilicet fiat in materia, quò ad informationem materiæ, non quò ad eſſe proprium.

Ad extremum, quòd compoſitum fit ex aliquo, validè probatis tribus textibus ex Ferchio ſumptis.

Quòd

Quòd forma fiat ex aliquo, non ex nihilo, nullo textu. *Imbecillitas*
Quòd forma non fiat ex ſeminario, nullo textu. *belluina aduerſa-*
Quòd forma fiat in eſſe ſimpliciter, vltra fieri in hoc, nullo *riorum.*
textu. Contra Contarenum, & Ferchium Ariſtotelicos, nihil ex Ariſtotele probatis. Sed verba, non res datis. Atqui difficile eſt dare verba ſeni, qualis eſt Contarenus, & ſoliditate ſapientiæ, & curſu ætatis ſenex.

Aut ex nihilo fieri. Offenſio.

Immò Ferchius concludet. Quod fit ex aliquo, propriè fit, XLVI.
vobis quoque aſſerentibus: forma propriè non fit, ergo forma 20. De-
non fit ex aliquo, ergo ex nihilo; negato quippe vno contra- *fenſio.*
dictorio, aliud conceditur.

Item compoſitum fit ex ſubiecto, & parte præſuppoſita, ergo forma fiet, neque ex ſubiecto, neque ex parte præſuppoſita; quandoquidem quæ duo affirmantur in factione ex aliquo, illa negantur in factione ex nihilo, vt vobis placet.

Sed fieri in alio, & cum alio, ideſt fieri in materia, & dependenter Offenſio.
ab ea.

Ariſtoteles dixit formam fieri in alio. Fieri cum alio, neſcio, 21. De-
an dixerit. Quia tamen particula, *cum*, ſignificat aſſociatio- *fenſio.*
nem, in ipſo fieri hæc particula non Ferchio, ſed Contareno probabitur, qui arbitratur formam ab æterno eſſe cum productione materiæ comproductam, vel concreatam. Materia certè de nouo non fit, ergo neque forma fit cum ea de nouo. Quod autem adiungitis declarando, *ideſt fieri in materia, & dependenter ab ea.* Hæc ſecunda pars, *& dependenter ab ea,* ex vobis nata eſt,
non ex Ariſtotele: proinde Ferchius vos certiores facit, ſe non *Forma non pen-*
conceſſurum dependentiam formæ à materia, niſi ex Ariſtotele *det à ma-*
probaueritis. Legit quippè in primo de cælo 100. & in 12. *teria probatur &*
metaph. 38. effectus dependere à cauſa efficiente, vel finali, *hic, & in-*
hoc eſt à cauſa externa: dependere à cauſa interna, non legit. *fra num.*
Si tamen liberalitatis cauſa placeat cõcedere, ſic argumentabi- *50.*
tur ex Scoto. Omne cauſatum per ſe, per ſe dependet à quali- XLVII.
bet per ſe cauſa eius: & à nullo alio per ſe dependet. Sed materia eſt cauſata à forma in genere finis per ſecundum phyſ. 23. & primum de partibus cap. 1. ergo materia per ſe dependet à

G for-

forma: cum autem forma nullo modo ſit cauſata à materia, reſtat, vt forma nullo modo dependeat à materia. Scotus in lib. de primo principio cap. 1. omnem dependentiam eſſentialem coarctat ad genus cauſati, vt vel cauſatum dependeat à cauſa per ſe: vel cauſatum poſterius à cauſato priore eiuſdem cauſæ. Hoc ſecundum genus dependentiæ non recipitur, ſed primum ſolum: ne homo factus poſt volucres, piſces, beſtias terreſtres (Geneſis primo) ab iſtis eſſentialiter dependere dicatur, quia ab eodem efficiente, & ex eadem materia cauſata ſunt.

2. Scotus in 1. diſt. 35. L. *Nihil habens perfectius eſſe in aliquo genere ad illud, quod habet minus perfectum eſſe in tali genere, dependet.* Actus, & forma in genere ſubſtantiæ habet perfectius eſſe, quàm potentia, & materia. Igitur forma ſubſtantialis à materia non dependet.

3. Scotus 1. diſt. 35. F. ponit, quòd ſi relatio realis fuerit inter aliqua, vel inter extrema eſt mutua coexigentia, ſi relatio eſt mutua: vel in vno extremo eſt dependentia, ſi relatio non eſt mutua. Nunc autem per 2. phyſ. materia dicit relationem ad formam, nec eſt mutua coexigentia inter eas, quia ad aliam formam eſt alia materia, & non è conuerſo: ergo dependentia eſt in materia ad formam, & non è conuerſo. Quia, & ex 5. metaph. 20. in menſura non eſt relatio, ſed in menſurato: menſura quippe dicitur ad aliquid, quia aliud refertur ad ipſam. Sed actus eſt menſura potentiæ, forma materiæ in genere ſubſtantiæ; ergo materia, vt menſurata dependet à forma, & non è contra.

2. phyſ. 26.

Offenſio. *Ideſt fieri in materia, & dependenter adeo quod nequeat naturaliter fieri extra eam, quæ dependentia à ſubiecto in ſuo fieri impedit, ne creari dicatur, & ex nihilo fieri.*

XLVIII. 22. Defenſio. Dato, & non conceſſo, quòd forma dependeret à materia, ex hac dependentia impediri, ne forma fiat ex nihilo, vel ne creetur: eſt veſtra petitio principij, non probatio contra defenſores rationum ſeminalium: contra Philoponum contra S. Auguſt. Immò, quod eſt maximè aduertendum, eſt contra ſacram Scripturam, vt ſupra patuit: compoſitum enim creatur ex materia, à qua pendet.

Offenſio *Et hanc dependentiam à materia ad differentiam animæ rationalis,*

lis, expreßè inſinuauit Ariſt. 2. de generat. animal. cap. 3. cum dixit ſolam mentem ab extrinſeco, & de foris venire, cæteras formas ex intrinſeco educi, quia licet anima rationalis quoque fiat in ſubiecto, non tamen dici idcirco poteſt ex eo educi, quia non fit in eo dependenter ab eo, cum ſuapte natura poßit extra illud fieri, & conſeruari. Furantur textū ex Contareno.

Contarenus in diſputatione de orig. formarum cart. 146. circa finem armatur iſto textu, quia de ſola mente aſſertum eſt eam extrinſecus accedere: alias formas ab intrinſeco ſeminario educi. Sanè, quod non eſt in aliquo, ex eo educi non poteſt, vt ſanguis ex lapide: ſi aliæ formæ ſunt in ſeminario materiæ, ex ipſo poſſunt educi: mens, quæ non eſt in ſeminario, non poteſt educi. At ſecundum vos formæ non ſunt in ſeminario, nihilque ſpectans ad propriam, & veram entitatem formæ eſt in materia: neque materia ſecundum ſuam entitatem eſt vel tota forma, vel pars formæ: ſolùm habet rationem potentiæ receptiuæ ad formam, quæ etiam relatio, nec eſt forma ſubſtantialis, nec pars formæ, ergo entitas formæ propria ſecundum vos non poterit educi ex materia. 23. Defenſio.

Vlterius. Omne abſolutum eſt prius natura, quàm relatiuum in ipſo fundatum, vel terminatum ad ipſum. Forma ſubſtantialis eſt quid abſolutum, relatio dependentiæ ad materiam, eſt relatio, ſicut & relatio potentiæ fundata in materia, terminata ad formam, eſt relatio (loquendo de potentia reali) ergo forma prius natura habet ſuam eſſentiam, & exiſtentiam realem, quàm vel fundet reſpectum dependentiæ realis, vel terminet reſpectum potentiæ realis; ergo prius eſt educta in eſſe eſſentiæ, & exiſtentiæ propriæ, & per conſequens non dicetur educta propter iſtos reſpectus reales: ſed propter ſeminarium in quo eſt. II.

Nec dici poteſt, quòd forma educatur in eſſe reali propter reſpectū rationis id eſt reſpectū potentiæ, qui fundatur in materia, & terminatur ad formam non exiſtentem: vel propter correſpectum fundatum in forma non exiſtente, terminatum ad materiam. Quoniam iſti reſpectus, ait Scotus 4. diſt. 43. quæſt. 13. nihil ſunt, vt euitet *brigam* de reſpectibus, vel ſi ſunt aliquid, Briga Scoticum vocabulum. ſunt reſpectus rationis, qui nihil faciunt ad realem effectionem formæ in eſſe reali, iuxta doctrinam Scoti in 1. diſt. 13.

CAPVT VII.

Offenſores vitiant textum ſecundi de generatione animalium: hinc oſtenditur forma ſubſtantialis non pendere ex materia, nec educi, nec eſſe in potentia materia.

1. SEd præter dicta pro Contareno, obſeruare oportet, Ferchiũ veſtigatione 6. lib. 1. cap. 11. num. 51. & 52. textum citatũ ſecundi de gener. animalium cap. 3. declarauiſſe. In quem textum primò intruditis *dependentiam*, quæ in textu non eſt. Immò cum Ariſtotele in primo de anima 90. forma continet materiam, & materia continetur, hoc eſt, in ſuo eſſe conſeruatur à forma: quòd ſi hoc eſt dependere per vos, materia dependet à forma, non forma à materia. Textus ſic habet. *Quid igitur continet animam, ſi partibilis eſt nata? non enim vtique corpus, videtur enim contra magis anima corpus continere: egrediente enim, expirat, & putreſcit.* Violentum profectò argumentum; quandiu anima eſt in corpore, vt in materia ſubiecta, corpus in ſuo eſſe continetur, & conſeruatur ab anima: quando anima egreditur, remanet æquiuocè corpus vt in 4. meteoror. cap. vlt. 1. de part. cap. 1. 7. metaph. 39. & ſæpè alibi, ſtatimque corpus putreſcit, ergo anima dedit eſſe ipſi corpori, & conſeruauit illud in eſſe. Et 2. de anim. 39. anima continet elementa (hoc eſt materiam) ne diſtrahantur.

1. violatio textus citati.

Sed quoniam duplex eſt forma, alia informans, & internè afficiens materiam ſuam; alia verò aſſiſtens, & externè conſeruans, ac regens; hoc idem Philoſophus etiam de forma externa tradit in 4. de cælo 23. ſcilicet locum continentem eſſe formam, locatum contentum eſſe materiam. *Semper enim quod ſuperius eſt, ad id, quod eſt ſub ipſo, vt forma ad materiam ſe habet.* & in tex. 35. *Dicimus autem, quod continet formam eſſe, quod continetur, materia.*

Et 1. de cælo 74.

teria. *Eſt autem in omnibus generibus hac differentia. Etenim in qualitate, quantitate, & cæteris.* Sic in 4 phyſ. 49. locus, forma appellatur, & continens: ſi ergo locatum eſt materia, dependens à forma externa in fieri, & conſeruari; multò magis corpus dependet in fieri, & conſeruari ab anima informante. *Vide ſup. num. 46.*

LI. Præterea in textu cit. Ariſtoteles loquitur de origine animarum tantùm, quærens vnde ſint: & ex proprijs operationibus vitalibus proprias illarum origines perſcrutatur: qua authoritate, Domini Offenſores, dictum de animabus transfertis.

Secundò, ad alias formas? Ex 1. poſt. 58. demonſtrationes de numeris nō poſſunt aptari ad accidentia magnitudinū; ſicut neque principia: non ergo dicta de formis vitalibus conuenient formis non vitalibus. Quod ergo aliæ formæ fiant ex intrinſeco & quod à ſubiecto dependeant, de veſtro eſt inductum, non de textu depromptum. *2. violatio.*

Tertiò, formæ vitales poſſunt comparari, vel ad materiam, in quam inducuntur; vel ad efficiens, ex quo inducuntur, vt ex principio, vnde motus. Ariſtoteles in illo textu & quæſito non ponit quæſtionem de materia; ſed præſuppoſito corpore ipſius prolis, quærit *vnde*, hoc eſt, vtrum omnes animæ extrinſecus aduenient, an omnes intrinſecus, an partim intrinſecus, & partim extrinſecus: docet autem, neque ex maſculo, neque ex maſculi ſemine mentem aduenire in prolem, ſed extrinſecus; ergo particula *extrinſecus*, vel *intrinſecus*, dicit reſpectum ad cauſam efficientem, qualis eſt maſculus, & ſemen maſculi: quod ſi anima ab iſtis inducatur, dicetur venire intrinſecus; ſi autem ab efficiente extra genus phyſicum, & particulare; iam veniet ab extrinſeco in prolem. *Reſtat ergo, vt ſola mens extrinſecus accedat, eaque ſola diuina ſit: nihil enim cum actione eius communicat actio corporalis.* Ecce per actionem propriam colligit concluſionem propriam de anima intellectiua, nempè extrinſecus accedere ab efficiente, extrinſeco ſcilicet. De cæteris animabus, quia non habent actionem, niſi cum corpore, concludit oppoſitum, videlicet intrinſecus aduenire, ſcilicet ab agente maſculo *3. violatio.*

ſculo, ac ſemine maſculi, vel à proportionali duobus iſtis: quare & concluſio, & medium iſtud ſolis animatis conuenit, & non alijs. Et hæc item dicuntur in comparatione ad efficiens, nam in comparatione ad materiam ſubiectam, omnes animæ in eam inducuntur, ſiue in eam aduenïunt: neque in illo textu, quod ſpectat ad materiam ſubiectam, diſcrimen aſſignatur, & meritò; quia quæſitum eſt de efficiente, non de materia. Mutare autem habitudinem ad efficiens fundatam in forma in habitudinem formæ ad materiam eſt fallacia accidentis.

Ex iſto igitur textu Offenſores probatis dependentiam, vel independentiam à materia: cum talis dependentia, vel independentia in textu non ſit; ſolùm enim in textu agitur de dependentia ab agente, puta intrinſeco, maſculo ſcilicet, & femina, à quibus venit in foetum anima vegetalis, & ſenſualis. Sed mens ſola eſt independens ab efficiente intrinſeco, & in foetum accedit ab extrinſeco.

LII. Sed age, demus vobis, mentem non dependere à materia, cæteras formas dependere: quid concluditis? Quòd propter hoc mens non educitur, aliæ formæ educuntur? Nego conſequentiam. Quod enim eſt intra materiam poteſt ex materia educi: quod non eſt, non poteſt. Formæ autem iuxtà defenſores rationum ſeminalium ſunt in materia, atque ideò poſſunt educi; ſecundum vos formæ aliæ non ſunt quò ad totum, vel partem: quò ad eſſentiam, vel eſſe in materia, vt infra refero ad num. 73. ergo non poſſunt educi.

Offenſio Iniuria. *Quare tota ſeminarijſtarum deceptio inde ortum duxit, quod non capiunt quid ſit formam educi de potentia materiæ. Nec eductionem diſtinguere ſciunt ab inductione, & ſimplici receptione, cum tamen paſſim dicatur anima rationalis recipi et in corpus induci, non tamen è corpore educi.*

24. Defenſio. Deceptio non capiunt, non ſciunt diſtinguere inter paſſim dicta. Rurſus non ius, ſed iniurias. Hanc ignorantiam erroneam non in ſolos ſeminarijſtas, verùm in omnes ferè modernos impingitis cart. 226. num. 25. dicentes. *Immo vniverſaliter errant Moderni ferè omnes, autumantes, eandem prorſus eſſe actionem realem, eductionem de potentia materiæ, vnitionem eiuſdem formæ cum materia, & productionem compoſiti.* Apud vos, Salomones no-

uellos,

uellos, alij ſeminariſtæ ſunt, inchoatores ſunt, decepti ſunt, incapaces ſunt, ignorantes ſunt, errones ſunt. Vos lumina mundi debuiſtis tenebras omnium ignorantium diſcutere. Quanquam in diſputatione veſtra 2. phyſ. quæſt. 7. tradatis, quid ſit Eductio, non quid Inductio: neque diſcernatis alteram ab altera. Immò in diſputatione eadem, & quæſt. cart. 225. column. 2. ſcribitis. *Quid ſit formam educi de potentia materiæ: & quid ad veram eductionis rationem requiratur, quot capita tot ſententiæ.* Heu, neque vos ſcitis, quod alij non ſciunt. Nemo etenim poteſt ſcire omnia capita, omnes ſententias, niſi Deus. Quid in re tàm incerta certi promere poteritis? Si moderni ſequerentur impoſitionem terminorum ab Ariſtotele impoſitorum, non certarent de vocibus: quia tamen vnuſquiſque vocabula trahit ad propriam ſententiam, ideò nihil certi eſt.

De eductione rurſus lege Defenſ. 3 num. 45.

Si autem omnes loquuntur ad placitum, loquatur, & Ferchius. Et quoniam diſtinctio vocum educi, & induci fundatur ſuper tex. cit. 2. de generat. animalium cap. 3. formæ poſſunt comparari, vel ad efficiens *ex quo*, vel ad materiam *in quo*. Formæ, quæ ab agente extrinſecus in materiam veniunt, educi, hoc eſt ab extra duci dicantur, talis eſt ſola mens. Animæ aliæ, quæ non veniunt ab extrinſeco, ſed intrinſeco agente, non dicantur educi, quia non veniunt ab extrinſeco. Formæ omnes in ordine ad materiam, in ea fiunt, & ſunt: vnde omnes quo ad fieri in materiã induci dicantur, quando ſcilicet totum fit. Quando totum deſtruitur, ſola mens educitur de materia, & potentia materiæ, quoniam extra materiam ducitur: eſt enim ſeparabilis, aliæ formæ ſunt inſeparabiles; vnde non poſſunt eſſe ſine toto, ſed cum toto intereunte, intereunt. Sunt quippe ex 13. met. ſumma prima cap. 2. priores toto, ratione, non ſubſtantia; vnde nulla alia forma educitur de materia, niſi intellectiua.

LIII. Educi, induci. 2. de generat. animal.

Sco quol. 9. K. 13. met.

Scotus in 4. diſt. 12. quæſt. 4. A. oſtendit formas accidentales induci, & eadem diſt. quæſt. 3. O. ſcribit. *Non poteſt alterans inducere gradum incompoſſibilem alterabili. Probatur ex ratione terminorum, quia non poteſt mouens inducere gradum incompoſſibilem ſuo mobili, quia mobile manet in toto motu, ergo ſub omni grado per motum inducto*, & ibi ſæpius. Et ad P. loquens de

Scotus ſic de inductione in 4. d. 43. q. 5.

forma

forma ſubſtantiali ignis inducenda à cælo, *Præcipuè*, inquit, *cum forma hic inducenda ſit imperfecta, quæ totaliter eſt in virtute actiua cæli, & per conſequens nullo particulari agente impediente, immò magis diſponente, poteſt forma illa à cælo induci, ſicut inducit quaſdam formas imperfectas in materias corruptibilium, & ſi eſſet aliqua forma, ad quam inducendam cælum non ſufficeret, oporteret fugere ad primam cauſam ſimpliciter, quia ſic induceret illam formam, ad quam agens naturale diſponit.* Ergo omnis forma ſubſtantialis, vel accidentalis ſiue à prima, ſiue ſecunda cauſa inducitur in materiam, quando fit in materia.

LIV. Deinde modos eſſendi in 4. phyſ. 23. docuit Ariſtoteles, quorum vnus eſt, quo forma eſt in materia; cui, dum forma vnitur materiæ, correſpondet ipſum fieri in materia. Quamobrẽ dum forma fit in materia, prius nõ erat in materia, ſed tunc inducitur, vt ſit in ea. Propterea quod forma, quæ actu eſt in materia, non poteſt recipi; ſiquidem oportet recipiens eſſe denudatum à natura recepti.

Forma inſuper antequàm actu recipiatur in materia, nec eſt in materia, nec eſt in potentia materiæ. Si namq; forma dicatur eſſe poſſibilis, vel poſſibilis recipi, aut ex materia, aut ex potentia receptiua materiæ; forma vtiq; denominabitur poſſibilis & in potentia, vel denominatione formali à potentia materiæ, vel denominatione cauſali.

Non primo denominatione formali. Quoniam potentia materiæ eſt relatio, quæ formaliter fundatur in materia, & materiam denominat formaliter potentem recipere formas: ergo illa eadem numero potentia neq; eſt formaliter in forma, neque formam formaliter denominat poſſibilem recipi, aut eſſe in potentia receptiua. Quandoquidem eadem relatio numero non poteſt eſſe formaliter fundata, & in fundamento, & in termino eſſentialiter diuerſis. Quocirca forma formaliter denominatur poſſibilis recipi à relatione potentiæ, quæ vel fundatur in forma habente eſſe ſimpliciter, ſicuti anima rationalis præexiſtens ante actualẽ receptionem denominatur poſſibilis recipi in corpus; vel fundatur in forma habente eſſe ſecundum quid, nempe eſſe poſſibile à cauſis; atque hoc pacto à potentia fundata in forma,

termi-

terminata ad materiam, forma denominatur formaliter receptibilis.

Neque ſecundò forma eſt in potentia receptibilis cauſaliter à materia, quoniam forma non cauſatur à materia in genere cauſæ extrinſecæ, efficientis, aut finalis, vt conſtat: neque in genere cauſæ intrinſecæ, vt materialis, vel formalis, alioquin forma non eſſet ſimplex.

Quin potius materia eſt in potentia ratione formæ, non forma ratione materiæ. Quia enim forma eſt receptibilis, ideò quæritur materia, quæ ſit receptiua: quòd ſi forma non eſſet potentia receptibilis, Deus, & natura materiam non feciſſent; ſed quia anima hominis, vel Leonis recipi poteſt, ideò membra hominis, vel membra Leonis talia fiunt, qualia requiruntur, vt animæ dictæ poſſint recipi. Cauſaliter itaque potentia materiæ, & materia eſt in forma, & in potentia formæ, ſicut ens ad finem, eſt in fine, vel efficiente. Forma non eſt in potentia materiæ, vel in materia cauſaliter. Sed forma formaliter poteſt recipi per potentiam fundatam in eſſentia formæ, ſicut & eſſentia formæ recipitur actu in materia. Cuius autem eſt potentia, eius eſt actus: & è conuerſo. LVI. *2. phyſ. 23. 26. & 2. d. animal. 37. primo de par. c. 1. Sco. 2. d. 1 q 6.*

Et ſi obijciatis, materia poteſt recipere formam, ergo forma eſt in potentia materiæ.

Reſpondeo, negando conſequentiam: nam à potentia, quæ eſt in materia, forma nec denominatur potens recipi, neque actu eſſe recepta in materia: ſed denominatur poſſe recipi à potentia formaliter exiſtente in ipſa ratione formali formæ; ſicut dicitur eſſe actu in materia per actualem vnionem, vel informationem quaſi actiuam cum materia, quæ informatio actiua formaliter recipitur in ipſamet forma.

Reſtat ergo, vt forma nullo modo ſit in materia, antequam actu fiat in materia; nec enim antea eſt actu, vel potentia in materia, ſed antea poteſt eſſe, & poſtea eſt in ea ſecundum Ferchium.

CAPVT VIII.

Offenſiones probaturi formarum originem, nil ſure probant cart. 304. col. 2. num. 144. ſed iniurÿs improbant.

Offenſio. *GEnerationem quoque ſubſtantialem dari, & formas ſubſtantiales de nouo produci, probauimus quæſt. prima huius diſputationis art. primo. Et Rubion cit. ait hoc eſſe adeò per ſe notum, vt nulla egeat probatione, vnde contra Contarenum id amplius proſequi non eſt opus.*

LVI. 37. Defenſio. In eadem diſputatione quæſt. 1. art. 1. minitati eſtis, vos hoc loco impugnaturos illatum à Contareno, illud: *formæ non fiunt de nouo, ſed ſunt ingenerabiles, & incorruptibiles.* Hoc loco nulla ratione, vel authoritate impugnaſtis; ſed dicitis non eſſe opus contra Contarenum proſequi probationem. Sit ita: nec ergo erit opus reſponſione ad impugnationes, quas nullas facitis, licet multas promiſeritis. Aliud eſt promittere, aliud obſeruare ſcilicet. Si etiam in ipſamet quæſt. prima art. 1. impugnauiſtis Contarenum, cur non dixiſtis vos iam impugnauiſſe? Quoniam neque tunc impugnaſtis. De Rubione non ſumus ſoliciti.

Poſthac aſſeritis vos probauiſſe generationem ſubſtantialem dari. Sub numero 8. illius articuli primi hoc probare cœpiſtis, ponendo duo principia, tanquam Ariſtotelica.

Primum, Non omnis mutatio, quam in ſublunaribus videmus, eſt accidentalis.

Secundum, Viribus naturæ ex nihilo nihil fit.

Induat aliquis perſonam antiquorum philoſophorum, qui negabant formam ſubſtantialem, compoſitum ſubſtantiale, & generationem ſubſtantialem dari. Quid dicet ad hoc primum fundamentum? Ariſtotelem in probando petere principium. Aduerſarij quippè negant omnem mutationem ſubſtantialem, & ſolam accidentalem affirmant. Primum principium veſtrum accipit contradictorium ſtatim, *non omnem mutationem eſſe accidentalem, ſed aliquam ſubſtantialem.* Egregiam laudem Ariſtoteli comparatis.

Induat

Induat aliquis perſonam Heſiodi, vel Philoponi; quid ille dicet ad ſecundum fundamentum? Nimirum Ariſtotelem in ſecundo fundamento falli, quoniam *ex nihilo aliquid fit*. Immò non falli reuera, quoniam nullam propoſitionem tàm clarè, tam diſertè negauit Ariſtoteles (demptis idæis) quàm iſtam, ex nihilo nihil fit, vt conſtat in lib. de Xenophane, & in lib. de Zenone. Vos quidem multas columnas conſumpſiſtis ad probandum hoc ſecundum fundamentum contra Ferchium. Sed quantumcumque laboraueritis, nullum Ariſtotelis textum adduxiſtis, in quo Ariſtoteles illam propoſitionem ex nihilo nihil fit, approbauerit: verba ſcilicet datis, non res. *lib. de gen. & cor. diſp. 5. q. 1. art. 2.*

2. Rurſus contra antiquos probare cœpiſtis formas ſubſtantiales dari duabus rationibus: prima ab operatione, ſecunda ab accidentibus vnitè contentis. Sed iſtæ duæ rationes petunt principium. Nam antiqui omnes operationes à qualitatibus prodire dicent, hoc eſt ab accidentibus. Vnionem quoque accidentium ab vno accidente contineri poſſe, vt à frigore continetur denſitas, obſcuritas, durities, grauitas, terminatio intrinſeca, magnitudo, & alia multa. Quam ergo formam, vel collectionem formarum vos vocabitis leonem, ac dicetis eſſe ſubſtantialem: antiqui eodem nomine appellabunt; ſed accidentalem dicent. Accidit autem hoc vobis, quoniam Ariſtoteles vobis contemptui eſt. Inuexit Ariſtoteles formas ſubſtantiales, & eas rationibus comprobauit, dignis Ariſtotele; vos de propria ſapientia tumentes, veſtra ſophiſmata demonſtrationibus Ariſtotelicis præponitis. LVIII

3. Formas autem fieri de nouo, in illo articulo non probatis: aut ego non diſcerno rationes. Vos illas formate, & in forma reſpondebo. Denique hinc illuc, illinc huc remittitis impugnationem Contareni circa æternitatem, vel nouitatem formæ fiendæ; atque prout Scotus 4. diſt. 6. quæſt. 8. de quodam Iuriſta, inquit. *Et in fine nihil ad propoſitum.*

Silendum tamen non eſt, eius poſitionem inter quotquot ſeminarium formarum conſtituerunt, eſſe alijs omnibus (magis) irrationabilem. Offenſio.

Seminarij defenſores hic pro veſtra vrbanitate beſtias eſſe definitis: Contarenum autem magis beſtiam, quàm omnes. 26. Defenſio.

Illi ſunt irrationales, quæ eſt definitio beſtiæ; Contarenus eſt omnibus alijs irrationalior. Tanta eſt veſtra procacitas, & linguoſa proteruitas. Sed exploremus, quam ob cauſam ſit ipſe omnibus irrationabilior.

Offenſio. §. 1. *Primò, quia alij ſeminarijſtæ, non negarunt formas ſubſtantiales de nouo produci, immò hoc libentiſsimè admittebant.*

§. 2. *Sed ne creari dicerentur, conſtituebant ſeminarium, & inchoationes formarum, vt nimirum aliquid formæ ſemper præcederet. At Contarenus negat formas de nouo produci.*

§. 3. *Ad quid ergo deſeruit ſeminarium illud formarum ab ipſo ſtatutum, ſi non ponitur, vt ex eo, velut ex ſemine traducantur.*

LVIII. 27. Defenſio. Scotus in 7. met. quæſt. 12 ſex modos refert defendentium opinionem famoſam de rationibus ſeminalibus. Quintum quo ponitur potentia paſſiua materiæ eſſe ratio ſeminalis: ſextum, quo agens principale dicitur eſſe ratio ſeminalis. Quos modos reijcit Scotus tanquam improprios. Quatuor alios, & ſingillatim, & ſimul refutat.

Primus diſtinguit vniuerſale genus, & ſpecies ſubalternas, ac ſpecialiſſimas. Primo modo forma generis eſt concreata materiæ ab æterno: atque hæc eſt ratio ſeminalis, quæ non fit de nouo. Secundo modo fit de nouo in tempore.

Secundus diſtinguit in forma vnã partem concreatã materiæ, quæ eſt ratio ſeminalis, & non fit: & aliã partem formæ, quæ de nouo fit cũ forma tota cõſtituta ex parte priore, & ex parte noua.

Tertius ponit formam præeſſe, & non vnitam materiæ; ſed in generatione fieri vnitam materiæ: & iſte eſt modus Contareni, qui ſeminarium omnium formarum ponit ab æterno in materia, quodammodo vnitum ſecundum aliquem gradum ſpecialem determinatum; alios verò gradus in ſeminario latentes affirmat non immediatè vnitos per informationem; ſed vniri, quando materia receperit diſpoſitiones ſufficientes ab agente naturali.

Quartus ponit formam præeſſe, & vnitam materiæ, ſed in eſſe incompleto: fieri autem ab agente naturali in eſſe completo.

Ex iſta commemoratione modorum pro rationibus ſeminalibus, apertum eſt, quòd ratio ſeminalis materiæ concreata ſecundum nullum ex iſtis modis fit de nouo. Secundum tertium

tium modum, quantum ad eſſentiam ſuam forma non ſit de nouo (ſicut neque ſecundum quartum), ſed fit vnita, hoc eſt fit informans materiam. Falsò igitur dicitis in primo paragrapho, alios inchoatores libentiſſimè admittere, quòd formæ ſubſtantiales de nouo producantur. Hanc autem quam dixi eſſe Contareni ſententiam, verba illius ex quæſtione de origine formarum cap. 10. cart. 140. ad lineam quartam oſtendunt. Dixit autem. *Cum itaque formæ naturales habeant eſſe reale, nec ipſæ potuerint de nouo produci, ſequitur neceſſariò (iuxtà philoſophiam Ariſtotelis loquendo) quòd habeant eſſe æternum; quoniam verò non poſſunt ſemper habere ſuum eſſe determinatum, perfectum, ac penitus actuale: quandoquidem non ſemper exiſtunt eorum corpora, ſine quibus quo ad eſſe abſolutum, & perfectum exiſtere non valent ex 12. met. 17. propterea rationabiliter colligitur, quod habeant tale eſſe ex ſe confuſum, indeterminatum, ac poteſtatiuum. Quale nos eas habere fatemur, donec latent intrà eſſentiam illam ſpiritualem, materiæ ſemper inhærentem, quæ eſt ipſarum formarum inchoatio, ac ſeminarium. In qua, forma illa, quæ de nouo in generatione apparet, non tanquam ex aliqua diuerſa eſſentia producta; ſed tanquam illius eſſentiæ ſeminarij gradus inſurgens, cæteriſquè gradibus redundans genitum illud ſecundum rationem ſuæ naturæ informat, ac determinat.* Et cart. 143. linea 33. *Ante generationem equi adeſt vtique in materia forma, ideſt gradus dans eſſe canis quò ad integritatem ſuæ eſſentiæ, non autem quò ad totalitatem exiſtentiæ, ſeu actualem determinationem naturæ compoſiti, ſcilicet equi: quam quidem actualitatem exiſtentiæ non acquirit per aliquam eius additionem eſſentialem, ſed ſolum per additionem habitudinis, ac copulationis eius cum illa materia.* Patet ex his ad profundiſſimi Philoſophi opinionem, quòd gradus ſpecificus formæ equi aderat confusè in ſeminario inhærente ipſi materiei: ſed ille gradus ſpecificus aſtans materiei nō erat copulatus per informationem cum materia, copulatur autem, quando diſpoſitiones ſufficientes ad formam equi ab agente naturali ſunt inductæ. Tunc verò ex materia, & gradu ſpecifico formæ vnitis, materia acquirit eſſe ſpecificum formæ equi; atque ſpecificam denominationem. Deinde ex iſtis vnitis ſic ſit compoſitum ſubſtantiale, tanquam ſubſtantia

facta

facta de nouo, nam compoſitum, vt equus fit, materia, & forma non fit 7. met. 26. & 27. Forma item eſt principium *quo* operandi ipſi compoſito operationes conuenientes, vt generare ſibi ſimile, agere actione reali, vel intentionali, exercere operationes animales, ac naturales; eſſe principium accidentium, & propenſionis ad motum, vt idem Contarenus cart. 139. linea 15. & ſequentibus docet. Ita enarrata ſit opinio Contareni.

LIX. Quod attinet ad hanc rationem, quam facitis contra Contarenum, vt eius opinionem omnibus irrationabiliorem probetis. Deſiderauiſſem argumentum in forma. Si docentes non forment argumenta, fortaſſe tolerandi ſunt; rem quærunt docere, non alium decipere, vel impugnare. Sed vos impugnatis Contarenum, & lectorem decipitis, dum detrahitis de honore hominis ſummo cum honore nominandi. Erigam argumentum in forma. Et ſi quidem rectè ad veſtrum ſenſum, gratulabor ſuperis. Sin autem non formauero ad placitum veſtrum, veſtra erit culpa, qui argumentum ideo non formatis, vti defectus veſtri in forma non appareant. Sit igitur argumentum veſtrum.

Quæ opinio ad nullum finem eſt, eſt irrationabilior ijs omnibus, quæ ſunt ad aliquem finem.

Sed opinio Contareni de ſeminario ad nullum finem eſt, aliorum ſeminarijſtarum opiniones ſunt ad aliquem finem.

Igitur opinio Contareni eſt irrationabilior omnibus alijs opinionibus ſeminarijſtarum.

Minor quò ad primam partem eſt petitio principij; vnde vos eam probatis ſic, opinio Contareni non eſt ad hunc finem *formam produci de nouo*; ergo opinio Contareni ad nullum finem eſt. In iſta conſequentia eſt aperta fallacia conſequentis, à negatione vnius ſingularis ad negationem vniuerſalis; vt ſi Socrates non currit; ergo nullus homo currit.

Vos probatis conſequentiam ſic in 3. §. ſupra poſito. *Ad quid ergo deſtruit ſeminarium*. &c. Aſtutè, pro ratione probante conſequentiam, affertis interrogationem examinantem. Vt ſi reſpondens afferat rationem ad interrogata, vos non teneamini probare conſequentiam; ſecundò vt poſſitis non concluſionem propoſitam improbare; ſed extrà propoſitum arguere contra rationem

tionem allatam. Denique eſt cautela ſophiſtica à parte arguentis tranſire ad partem tentantis, ſiuè examinantis, cum hæc officia ex 1. Elenchorum ſint valdè diuerſa. Summa eſt, vos deficere in probando conſequentiam; vnde in hoc argumento eſt petitio principij, & fallacia conſequentis.

Formaui autem primam maiorem argumenti, dicens *ad nullum finem*. Quoniam ſi dicerem, ad vnum finem non eſt, ergo eſt opinio, vel irrationalis, vel irrationabilior: maior eſſet falſa. Proficiſci enim in gymnaſium eſt operatio, quę rationabiliter fit, *diſcendi gratia*. ſi quis tamen proficiſcatur in gymnaſium, & non gratia diſcendi, non propter hoc profectio eſt irrationalis. Nam Illuſtriſſimus, & Excellentiſſimus Reformator proficiſcitur ad gymnaſium publicum gubernandi gratia, lector publicus cauſa docendi lectionem, bidellus cauſa conuocandi ſtudentes; nuncius Principis gratia promulgandi mandatum, hoſpes gratia ſalutandi ſtudentes amicos. Ità quoque, quamuis opinio Contareni non concedat formas produci de nouo, concedit alios fines. LX.

Primus eſt, vt euitetur creatio noua de nihilo, ſi forma de nouo fiat.

Secundus, vt Ariſtoteles teneatur, dicens compoſitum fieri, formam non fieri 12. metaph. 12.

Tertius, vt forma educatur ex eſſe confuſo, & poteſtatiuo, quod erat in ſeminario, ad eſſe diſtinctum, & actuale, iuxtà Ariſtotelem 2. de gener. animal. cap. 3. dicentem, quòd ſola mens ab extra venit: aliæ animæ ab intra veniunt, ſcilicet à ſeminario, in quo ſunt.

Quartus, vt materia mutetur ſubſtantialiter à non ſubeſſe formæ ad ſubeſſe formæ, à qua recipiat eſſe formale, & denominationem formalem:

Quintus, vt forma tranſeat à non informare ad informare actu.

Sextus, vt generetur de nouo compoſitum.

Septimus, vt omnes operationes, omnes paſſiones, omnia accidentia per ſe conſequentia formam, & compoſitum, habeantur.

Licet

Licèt ergo prudentiſſima Contareni opinio non ſit ad hunc finem, ſcilicet ad *formæ nouam productionem*, eſt ad fines commemoratos, & alios multos in eadem quæſtione de origine formarum à viro oculatiſſimo exploratos, ac declaratos.

Deeſt ad perfectam ſolutionem huius argumenti; aliquid. Nam in probatione minoris poſuimus abſolutè opinionem Cōtareni non eſſe ad hunc finem.

Ponenda eſt alia pars minoris pro comparatione à vobis facta ſic: & omnes aliæ opiniones ſeminariſtarum ſunt ad hunc finem. Verùm hæc ſecunda pars eſt falſa; nam tertius modus à Scoto relatus ſeminariſtarum aſſerit formas vniri de nouo, non fieri de nouo; ſicut etiā aſſerit Cōtarenus. Quartus modus ſentit formam non fieri de nouo quò ad rem, ſed quò ad modum: nam eadem eſſentia formę antea delitescebat in ſeminario ſecundum eſſe incompletum, & potentiale; sed in generatione compoſiti forma fit, non ſecundum rem, ſed ſecundum modum eſſendi, completum, & actualem; quæ ſententia eſt S. Bonau. in 2. diſt. 7. quæſt. 10. num. 71. Non igitur omnes ſeminariſtæ concedunt formam produci de nouo. Interrogate nunc ad quid, ad quid? Reſpondeo vobis: probate, probate, quod non ad aliquid.

Offenſio. *Deſeruire dicet ad hoc, vt in eius gremio omnes formæ foueantur, ac dormiant, donec per præuias diſpoſitiones ab agente naturali euocentur, & excitentur.*

Sed ſanè hac ratione potius cubile formarum, quàm ſeminarium debebat appellari.

LXI. 28. Defenſio. Prædixi, vos interrogare, vt contra rationem explicatam argueretis. Poſtulaſtis ad quid deſeruit ſeminarium? Reſponſum eſt à vobis, ad hoc, vt in eo formæ dormiant, & excitentur. Contrà rem argumentari non ſciuiſtis, de nomine cauillari potuiſtis. Quamuis ſi dixiſſet Contarenus formas in ſeminario contineri, vt congruo tempore educantur; tunc fuiſſetis dicturi, non eſſe appellandum ſeminarium, ſed domum cæcorum, qui educi ab aliquo duce egeant; nec enim vident. Vel eſſe carcerem, in quem inducuntur, & ex quo educuntur malefici. Argumenta hæc ſunt vobis digna. Nonne licet eandem rem oc-

culiam

cultam diuerſis exemplis declarare? Dicitur ergo ſeminarium, vt ex eo formæ prodeant in actum perfectum, ſicut plantæ ex ſemine. Vocatur gremium, vel ſinus maternus, in quo ſeruantur tanquam filij gradus formarum ſpecifici pro tempore, quo agens naturale circa materiam ſeminario fœcundam operabitur. Appellatur latibulum, eò quod formæ in eo prius deliteſcant, poſterius à naturali agente in actum extra ducantur. Promptuarium nuncupatur, in quo formæ reconditæ ſint, & ex quo promantur ad conſeruationem vniuerſi. Theſaurus cenſebitur, in quo bonum, diuinum, appetibile ſeruatur, vt congrua occaſione pretioſa quæque in ornamentum naturæ producantur.

Quid vetat etiam dici cubile, in quo ſopitæ ſint ab æterno, & in tempore ab agente naturali excitentur, formæ, vt quaſi vigiliam, & quaſi operationem exerceant connaturalem? Ad extremum tota probatio veſtra conſiſtit in irriſione vocabuli *ſeminariũ*, & contemptu vocabuli, *cubile*. Deducite ex hoc, ergo ad nihil deſeruiunt rationes ſeminales: nego conſequentiam.

CAPVT IX.

Rationem ſeminalem eſſe ſpiritualem: & de ſpiritu plura tradantur.

DEinde etiam ex alio capite irrationabilior cæteris eſt eius poſitio de ſeminario formarum, quia cæteri formarum inchoatores hoc ſeminarium poſuerunt eſſe quid corporeum, & materiale, vt Auicennas, qui ponebat formam corporeitatis; at Contaren. ponit hoc ſemirium eſſe eſſentiam ſpiritualem, materiæ concreatam, ac ei perpetuò hærentem, quod à ſæculo non eſt auditum. Offenſio.

Si hoc à Contareno proditum, non eſt à ſæculo auditum: ſignum eſt Illuſtriſſimum Contar. non eſſe furacem aliorum inuentorum, vt vos ſequenti libello apparebitis; ſed eſſe inuentorem, fundatorem, ac defenſorem, nouæ opinionis; quam tùm probando, tùm defendendo vſque adeò armauit, vt vos ne ſpirare quidem poſſitis quicquam, quod ille acutiſſimè non viderit, & præocupauerit, dummodo ſpeciem aliquam probabilitatis ha- LXII. 19. Defenſio.

beat; quare & veſtrum præcedens argumentum ex illius doctrina ſolutum eſt, non ex mea, vt vidiſtis: tametſi illud argumentum, nec ſophiſticam habeat apparentiam, tantum abeſt, vt habeat probabilitatem dialecticam.

Secundò, falsò dicitis à ſæculo non eſſe auditum, quod aliquis poſuerit rationem ſeminalem eſſe ſpiritualem. Nam Ficinus de Theologia Platonis lib. 11. cap. 4. cart. 450. ſcribit. *Hinc patet vim ſeminariam in ſemine ipſo latentem, eſſe quodammodo* lib. 4. De. ſenſ. nu. 4. *incorpoream, in qua ſit motus, generationiſque principium*. Hunc librum legiſtis ad Platonicos accuſandos, ſed ad ſeminarium ſpirituale defendendum non legiſtis. S. Bonau. quoque in 2. diſt. 15. quæſt. 1. a num 9. vocauit rationem ſeminalem, potentiam ſpiritualem, dicens: *Vt potentia ſpiritualis indita à creatione ipſi materiæ corporali*. Parui tamen intereſt dicere eſſentiam ſpiritualem, vel potentiam ſpiritualem de ſeminario. Et vos, qui vt audiretis D. Bonau. doctrinam ex inſtituto Sixti 5. ſanctæ recordationis, honores ſeraphicos, & eccleſiaſticos obtinuiſtis, pecuniam Eccleſiæ conſumpſiſtis, panem D. Bonau: deuoraſtis, tàm ignominiosè proſcinditis Doctoris Eccleſiæ, & Religionis noſtræ ſummi doctrinam? Si eam non audiſtis, veſter eſt defectus, qui à debito officio deflexiſtis.

LXIII. Profectò (vt ego exiſtimo) vocabulum iſtud, *ſpiritus*, neque vt Philoſophos, neque vt Theologos decebat, ponderaſtis: nam formę quædam in materia, & in corpore exiſtentes etiam dicuntur ſpiritus.

Siquidem in Theologia ſacra notat Author libri de cognitione veræ vitæ in tomo 9. S. Aug. num. 183. F. vocem, ſpiritus, ſex habere ſignificata: eorum, vnum eſt, vt anima brutorum dicatur ſpiritus, vt Geneſis 6. *Interficiam omnem carnem, in qua* S. Auguſt. *ſpiritus vita eſt*. Eccleſ. 3. *Quis, ſcit, ſi ſpiritus hominis aſcendat ſurſum, & ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum?* S. Aug. 13. de Ciuit. Dei. cap. 24. cart. 119. A. ex diuina ſcriptura memorat, ſpiritum hominis, ſpiritum pecoris, ſpiritum corporeum, vt ventum. Nulla ergo neceſſitas erat in Theologia ex ſubſtantia ſpirituali nominata, intelligere ſubſtantiã intellectualem, vt Deum, angelum, animam rationalem. Vos autem tale quid intelligitis

per

per ſpirituale, vt patebit in ſequenti offenſione. Præterea in philoſophia Ariſtotelis nomen, *ſpiritus*, nunquam inuenio vſurpatum pro ſubſtantia intellectuali, & incorporea. Sed ſignificat ſemper corpus aliquod ſubtile, mobile, ac motiuum celerrimè. Proinde Contarenus, vt Peripateticus meritò ſuſpiciendus, cum Ariſtotele locutus eſt, qui in ſemine ex 2. de gener. animal. cap. 3. duas partes docet, alteram ſpiritualem, qua fœcunda ſint ſemina: alteram corpulentam, quæ vehiculum quoddam ſeminis eſt. Producatur textus. *Ineſt in ſemine omnium, quod facit, vt fœcunda ſint ſemina, videlicet, quod calor vocatur. Idq; non ignis, non talis facultas aliqua eſt: ſed Spiritus, qui in ſemine, ſpumoſoq; corpore continetur: & natura, quæ in eo ſpiritu eſt, proportione reſpondens elemento ſtellarum*. Et in cap. 2 præcedente pulcherrimè docet, quomodo ex parte aquoſa, & ſpiritu conſtituantur ſemina animalium, fiuntque alba, ſicut nix, & ſpuma; atque in 3. de generatione animalium cap. vltimo: ſpiritum proportionalem ſemini per vniuerſum eſſe diffuſum, quaſi animam, dixit, ex quo animentur ſtirpes, & animalia ſponte genita. Sed & in libris Meteororum, ſpiritus affertur ad fulmina, ventos, terræmotus, & alia quamplurima; quibus locis ſpiritus, & forma ſpiritualis, qua conſtituitur ſpiritus, non eſt intelligẽdus, angelus aliquis, vel dæmon: ſed ſubſtantia quædam, & forma exiſtens in corpore, quæ tamen non dat eſſe corporeum. Cum etenim ſint diuerſi gradus formarum, gradus corporeitatis datur à forma corporeitatis. ſed grados ignis, vel auri, vel ſanguinis, vel plantæ, vel bruti non dantur à forma corporeitatis. Propter hoc eſſentia ſpiritualis ſeminarij dicitur, quia vt ſic non dat eſſe corporeum, ſed eſt indifferens ad eſſe corporeum, ad eſſe ignis, auri, & cætera. Sed & eſſentiam bruti S. Bonau: in 2. diſt. 15. quæſt. 1. num. 9. dixit non eſſe extenſam; nam hoc eſt formæ corporeitatis. Quocirca ratio ſeminalis eſt indifferens ad omnes formas, etiam ad extenſionem, & corporeitatem, quæ quidem corporeitas eſt in ſeminario inchoata, & ab agente naturali reducitur ad eſſe conſummatum. Hæc de vocabulo, *ſpiritus*, ſi tanquam Theologi, & philoſophi conſideraſtis, & tamen diſſimulaſtis, non ſincerè procedìtis ad

1 meteor. hui. 2. c. 17. 2. meteor. hunc 3. c. 19.

LXIV.

S. Bon.

veritatem. Si non conſideraſtis, ignoſcite alijs, ſi vultis vobis ignoſci. Qui multa vult ſcribere. aut legere, non poteſt ea multùm conſiderare. At Contarenus rationabiliter, & conſideratè, ſicut Ariſtoteles ſemen vocat ſpiritum, & ex conſequenti rationem, qua ſemen conſtat, ſpiritualem: & ipſe quoque rationem ſeminalem ſpiritualem dixit. Dixit etiam ſpiritualem, ad vitandas difficultates, quæ ſequuntur opinionem Auicennæ, repoſitas à Contareno quæſt. de origine formarum cap. 9. cart. 336.

Accedit iactantia veſtra. Aſſeritis omnes alios inchoatores ponere formam corporeitatis, vel corpoream. Omnes ergo legiſtis. Probatis autem adducendo ſolum Auicennam. Sed vnus ſolus non eſt omnes. Quem ſolùm, vt ego quidem cenſeo, non legiſtis: ſed à Contareno citatum, reſcripſiſtis.

Verùm enimuerò ſi ponant inchoatores cæteri omnes inchoationem eſſe corpoream, Contarenus ſolus eſſe ſpiritualem; pronunciatis hanc opinionem eius eſſe irrationalem. & omnibus magis irrationalem. Qua ratione probatis tàm acerbam ſententiam contra Contarenum latam? Reſpondeo pro vobis. Non eſt neceſſe, vt nos omnium ſapientum ſupremi Iudices noſtri decreti rationem reddamus. Noſtrum proponere eſt multò efficacius probare, quã ſi afferrentur omnes demõſtrationes mathematicę.

Patientia igitur nobis ſubditis, neceſſaria eſt, poſteaquam tàm improbam ſententiam non probatis.

Offenſio *Et explicare tenetur; quare hoc ſeminarium formarum debeat eſſe potius ſpirituale quippiam, quàm corporale.*

30. Defenſio. Hoc non eſt probare, quòd opinio Contareni ſit omnibus irrationabilior, ſed eſt poſtulare explicationem. Quam explicationem, antequam poſtularetis, legiſtis in quæſt. de orig. formarum cap. 9. Relegite, non reſcribam. Eam vos, aut non reprobare, iuſtum erat, aut allata ratione reprobare.

Offenſio *Si enim inſeruiat, vt formæ ex eo traducantur: ſiuè vt ex eius gremio foueantur; planè ad hoc munus obeundum, maiorem proportionem videbatur habere eſſentia corporalis, quàm ſpiritualis, cum & ipſæ formæ materiales ſint, & corporeæ.*

LXV: 31. Defenſio. Hæc veſtra ratio confundit ſimilitudinem cum proportione. Corporale, & corporale habent maiorem ſimilitudinem non

habent

habent maiorem proportionem. Extrema ſimilitudinis in eadem qualitate conueniunt, & ſunt idem. Extrema proportionis frequenter ſunt maximè diſſimilia, atque diuerſa. Eſt namq; proportio inter cauſam, & cauſatum: potentiam, & obiectum: materiam, & formam: motiuum, & mobile: terminum à quo, & ad quem: Deum, & creaturam. Scotus 1. diſt. 3. quæſt. 3. C. *Proportio requirit diſsimilitudinem proportionatorum, ſicut communiter dicitur in omni proportione: ſicut patet de materia, & forma, parte, & toto, cauſa, & cauſato & cæteris proportionalibus.* Conſiderentur anima rationalis, & corpus humanum. Hæc habent per ſe proportionem ad conſtituendum hominem. Aſt anima ſpiritualis eſt, & informat corpus: eſt inextenſa in ſubiecto extenſo: eſt incorruptibilis, & immortalis in carne mortali, & corruptibili; eſt rationalis, & vitalis in receptiuo non rationali, non viuo. Proportio ergo eſt, ſimilitudo non eſt.

Vos quoque offenſores formam ſubſtantialem, verbaliter ſaltem, educitis de materia, & de potentia materiæ. Sed materia de ſe non eſt forma, potentia materiæ non eſt actus formalis ſubſtantialis, non eſt corpus, aut corporea, non eſt ignis, vel glacies, non eſt aurum, vel plumbum, non eſt planta, vel brutum.

Non eſt ergo ſimilitudo, ſed proportio inter formas eductas, & materiam, ex qua educuntur. Eodem pacto Contarenus ſtatuit inter formam, quæ educitur, & ſeminarium, ex quo educitur, proportionem, quæ ſtat cum maxima diſſimilitudine, videlicet ſeminarij ſpiritualis, & gradus educti corporalis. Si ſeminarium eſſet corporale, ratio corporei eſſet actualiter prius in materia, quàm ſit actualiter educta, & erit ſimilitudo. Si ſeminarium ex quo *ſit ſpiritale*, & forma educta corporalis, erit debita proportio.

Scotus in prima quæſt. 1. ſententiarum docuit diſcrimen inter ſimilitudinem, & proportionem. Petrus Hiſpanus in ſummulis diſtinxit locum à ſimili, & locum à proportione. Vos hæc logicæ rudimenta ignorare non debuiſtis, cum omnium eruditorum litis cenſores ſeueriſſimi. Itaque hoc argumentum contra Contareni opinionem, nullum habet fundamentum, niſi ignorationem terminorum proportionis, & ſimilitudinis. 1. d. 3. q. L. 4. d. 49. q. 11. B.

Tene-

Offenſio *Tenetur etiam explicare, quomodo hæc eſſentia ſpiritualis materiæ illabatur, ac inexiſtat, num ſcilicet, vt forma informans, ſicut anima rationalis dicitur eſſe in corpore, an potius vt forma aſsiſtens, & quicquid dicatur. eſt purum, & merum figmentum.*

LXVI. 32. Defenſio. *Purum figmentũ* Veſtrum iſtud argumentum eſt purum, & merum ſophiſma petitionis principij; maiore etenim conceſſa, minorem nullatenus probatis. Deinde ex primo ad Nichomachum. *Vnuſquiſque ea rectè iudicat, quæ cognoſcit, atque is eſt bonus Iudex.* Vos non cognoſcitis: quid Contarenus eſſet reſponſurus, non ergo eſtis boni iudices, aut ſimulatis non cognoſcere, quaſi non ſit explicatum, quod explicatum eſt à celeberimo Viro. Etenim illa eſſentia ſpiritalis per vnum aliquem gradum immediatè informat materiam: alij gradus in ea latentes, mediante eſſentia, inhærent materiæ. Quamobrem contra hanc explicationem non replicaſtis? Iniurias dicere, veſtrum fuit: ſed iure arguere, veſtrum non fuit. In hoc tamen argumento apparet vos talem eſſentiam ſpiritualem intellexiſſe, qualis eſt anima rationalis, quæ impartibilis eſt: Qualem ſpiritualitatem ratio ſeminalis non habet ſecundum Ariſt. aut Bonau. aut Contarenum.

Offenſio. *Deniq; hæc eius poſitio eſt adeò difficultatibus obuia, vt hic auctor plures prauiderit non exigui momenti, & ſoluere conatus ſit, ſed tàm ægrè, & imbecilliter, vt vel eius reſponſiones manifeſtè ſuadeant eius opinionem Anxaagoriſtis eſſe relinquendam, & è Peripato penitus eliminandam.*

33. Defenſio. Totum hoc dictum ſpectat ad conuitia, & maledicta. Contemnunt reſponſiones Contareni, qui ægrè, & imbecilliter ſoluerit. Contemnunt rationes Contareni, quas reſoluere non dignantur. Contemnunt opinionem, quam à peripato eliminant, & inter Anaxagoricos relegant. Veruntamen cur acerrimi offenſores, non refutaſtis tàm ægras, tàm imbecilles reſponſiones? Ah dignæ non ſunt, contra quas acutiſſima veſtra ingenia dirigatis. Robur mentis veſtræ contra Gigantes exeritis, non contra Pigmeos. Proſit vobis. Satis benè de vobis, nimis malè de alijs, & iudicatis, & ſcribitis. Qui tamen legerit attentè diſputationem Contareni de origine formarum, non poterit non admirari vigilantiſſimum ingenium in oppoſitionibus videndis,

colli-

colligendis, ſoluendis; vt planè Contarenus laudem præclariſſima inuentionis aſſequatur, eam & fortiſſimis rationibus, & inconcuſſis defenſionibus armando. Denique vir eſt, qui non ſolum in ſchola Peripatetica gloriam adeptus ſit; ſed etiam ſcholæ Peripateticæ tùm nobilitate, & auctoritate; tùm doctrina, & moribus gloriam multam attulerit.

CAPVT X.

Auguſtini, & Anaxagoræ opiniones de ſeminario formarum, & S. Auguſtini declaratio ex S. Bonauentura.

HAc itaque veritate ſuppoſita contra Anaxagoriſtas, quod detur vera generatio ſubſtantialis, & productio de nouo, non ſolum compoſitorum; ſed etiam formarum ſubſtantialium. Offenſio Cart. 305 col. 1. n. 135.

Quoniam ecce iam tertiò opinionem S. Auguſtini de rationibus ſeminalibus materiæ cõcreatis, tanquam opinionem Anaxagoræ irridetis, & reijcitis: tria faciam. LXVII. 34. Defenſio.

Primo diſtinguam has opiniones.

Secundo ad opinionis D. Auguſtini declarationem afferam aliqua ex D. Bonauentura.

Tertio reſoluam argumenta (nam hic nulla ſunt) quæ feciſtis in diſput. 2. phyſ. quæſt. 7. art. 1. contra rationes ſeminales: cui opinioni, vel hoc nomine, quod S. Auguſtini eſt, reuerentiam, & honorem deferre debuiſtis, niſi veſtra ſumma modeſtia obtitiſſet.

Ad primum ex iſtis. Anaxagoras duo poſuit principia, ideſt materiale, quod eſt chaos: & effectiuum, qui eſt intellectus, nempè diuinus. In chao poſuit infinita ſimilaria corpora, quorum vnum ab altero eſſet diuerſæ rationis: & cuiuslibet corporis ſimilaris infinita corpuſcula minima dixit in chao eſſe commixta, quodlibet in quolibet. Efficientia verò intellectus ſegregari ex chao partes inter ſe ſimiles, & inter ſe congregari, vt os cum oſſe, aurum cum auro. Quia verò nunquam aliquid ſincerè aurum fieri poterat, ideo dixit ex pluribus partibus auri in toto exiſtentibus totum denominari. Legatur

ad dicta, & dicenda Ariſtoteles in 1. phyſ. à tex. 32. ad 40. in primo de gener. cap. 1. in primo met. ſumma ſecunda cap. 1. & cap. 2. & ſum. 3. cap. 2.

Quidam Anaxagoræ tribuũnt, laſitationem formarũ, ſed in textu Ariſt. non apparet.

1. Anaxagoras non poſuit diſtinctionem materiæ, & formæ ſubſtantialis; ſed corpuſcula minima in vltimo actu poſuit. Auguſtinus ponit materiam, & formam ſubſtantialem tanquam duas ſubſtantias eſſentialiter diſtinctas, & formam in duplici diſpoſitione, primam vt rationem ſeminalem eſſe, ſecundam, vt factam ex ratione ſeminali.

2. Anaxagoras generationem, & corruptionem ſubſtantialem corpuſculorum non poſuit. Auguſtinus ſtatuit omnia corpora generari, & corrumpi ſubſtantialiter.

3. Anaxagoras infinita corpora alterius, & alterius rationis induxit, vt particulas eiuſdem materiei. Auguſtinus, formas finitas pro numero rerum naturaliter producendarum: ipſaſque formas extra eſſentiam materiæ.

4. Anaxagoras ſegregationem, & congregationem corpuſculorum inuexit, quæ eſt mera iuxta poſitio, non ſubſtantialis mutatio. Auguſtinus ponit ſubſtantialem mutationem materiæ ex priuatione ad formam ſubſtantialem in eſſe actuali, & completo.

5. Anaxagoras cenſuit ex nihilo nihil fieri, ac proinde omnia in omnibus eſſe, vt quodlibet ex quolibet fieret. Auguſtinus aſſerit materiam ex nihilo factam, rationes ſeminales formarum factas ex nihilo, & materiæ inditas ab initio ſeculi, & in decurſu temporis formas de nouo fieri ab agente ſecundo cum concurſu primi ex rationibus ſeminalibus. His, & alijs multis facilè diſcerni poterant hæ opiniones, quarum tamen neutram propter ſupremos auctores earum, debuiſtis irridere.

LXVIII *Zerb. 7. met. q. 9. art. 3. in prima opin. pulcrè iſtam exponit.*

Ad ſecundum. Pro Sancto Bonauentura noto eſſentiam formæ eandem poſſe eſſe ſub diuerſis diſpoſitionibus, ſeu modis: vt incompleti, & completi. Exemplum in globo roſæ, & roſa, cæpa, & cæpe planta. Forma roſea eſt in globo incompleta & in roſa eſt completa. Quando ex cæpa de pariete ſuſpenſa prodit planta, tunc eſſentia formæ præexiſtens ſub eſſe incompleto educitur ad eſſe completum, beneficio caloris cæleſtis; dumque

que eſt incõpleta, eſt ſub modo potentiali ad complementũ: eſt ſub modo actuali, quando complementum habet. Idem paſſim cernitur in ſemine plantarum, & plantis. Sic formas ſecundum eſſentiam inchoatam Auguſtinus ponit vt rationes ſeminales, ex quibus fiant formæ completæ. Et cum producitur naturaliter quidditas, nulla veritas eſſentiæ inducitur de nouo; ſed datur ei noua diſpoſitio, vt quod erat in potentia, fiat in actu. Differunt enim actus, & potentia: non quia dicant diuerſas quidditates, ſed quia dicunt diſpoſitiones diuerſas eiuſdem quidditatis: non tamen ſunt diſpoſitiones accidentales, ſed ſubſtantiales ex B. Bonau. 2. diſt. 7. quæſt. 10. num. 71. & 4. diſt. 43. quæſt 4. num. 22.

Secundò. Eſſentia formæ poteſt produci à Deo ſecundum vtrumque modum, vt potè ab omnipotente. Sed efficienti naturali, nec nihil, nec nimium tribui debet. Quia prima productio formæ quò ad eſſentiam ſuam eſt ex nihilo, ideò nullam quidditatem ſubſtantialem, vel accidentalem agens creatum producit; ſed quidditatem exiſtentem ſub vna diſpoſitione facit eſſe ſub alia. Idque non eſt adeò magnum, vt non poſſit agenti creato concedi: ſufficit tamen, ne agens naturale ſit otioſum. Sic ex D. Bonau. 2. diſt. 1. quæſt. 1. fundamento vltimo, & diſt. 7. dub. 4. & 5. num. 49. & 50. & 4. diſt. 43. quæſt. 4. Sed ad quos effectus concurrat neceſſariò cauſa naturalis particularis cum vniuerſali, ad quos non neceſſariò, docet idem Sanctus in 2. diſt. 7. quæſt. 11. diſt. 8 quæſt. 3 num. 20. diſt. 15. quæſt. 1. num. 7. Excipe formas quaſdam accidentales viliores, quæ aliud habent pro ſubiecto, aliud pro cauſa: vt ſunt cõmuniter formæ intentionales, veluti lumen in aere, & imago in ſpeculo, nam lumen fit à ſole, imago ab obiecto: quæ formæ fiunt ex nihilo, & in nihil redeunt ex 2. diſt. 26. num. 26. & 32.

Tertiò aliquid fit ex aliquo, vel ratione totius ſubſtantiæ, vel ratione partis. Quando globus fit roſa, tunc ex globo fit roſa, non ita vt *ex* dicat partem, ſed vt dicat conſubſtantialitatem; nam tota eſſentia formæ roſeæ fit in eſſe actuali ex ſe tota in eſſe potentiali. Ita PP. in Concilio Nicæno primo, Filium Dei non produci ex nihilo, ſed ex Patre dixerunt, LXX.

vti Deum ex Deo propter conſubſtantialitatem; nam tota ſubſtantia Filij eſt tota ſubſtantia Patris ſub diuerſo modo eſſendi, à ſe, & ab alio. Quando compoſitum fit ex materia, vel forma præexiſtente, non fit ex nihilo, ſed ex aliquo ſuæ ſubſtantiæ. At quando forma fit, per ſe terminus a quo, eſt negatio formæ totius, & totaliter: per ſe terminus ad quem eſt affirmatio formæ totius, & totaliter, ſi tamen formæ eſſentia primò fiat. Quod ſi termini iſti, a quo, & ad quem, ſint extra ſubiectum facilè concedetur, formam creari ex nihilo. Sed per acceſſum ad ſubiectum negatio contradictoria nõ perdit ſuam naturam, adhuc ergo forma fiet ex nihilo. Inſuper nullus reſpectus fundatus in aliquo, vel terminatus ad aliquid, deſtruit per ſe rationes ſuorum extremorum, ſed præſupponit; ergo prius natura ſunt prædicti termini, a quo, & ad quem, & eſt productio formæ, quàm ſit reſpectus materiæ ad illos terminos; vel è contra. Licet ergo ad productionem formæ, poſterius natura ſequatur mutatio materiæ, non variatur per ſe ratio productionis. Neque priuatio, quæ eſt non informatio, eſt idem formaliter cum dicta negatione formæ totius, ac totaliter. Priuatio enim formaliter in ſubiecto eſt 4. met. 4. 5. met. 27. illa negatio formæ totius, ac totaliter eſt eadem: ſiuè in ſubiecto, ſiuè extra ſubiectum: tolliturque negatio formæ dicta, etiam non ſublata priuatione: Veluti ſi forma inducatur in vnam materiam ſibi çquatam, & non in alias, in quibus poteſt eadem forma recipi. Ab alijs materijs non auferetur priuatio.

Sed tamen forma dicitur eſſe in rerum natura reſpectu omnis entis, quamuis non dicatur ineſſe, niſi in vna materia.

LXXI. 4. Denique forma in actu completo fit *in* materia, *ex* materia, & *à* materia. Quando enim ab agente naturali forma recipit modum eſſendi actualem, & completum: tunc fit in materia, & materiæ ineſt actu tanquam actus receptus in potentia receptiua. Secundo fit ex materia, non quia materia ſit ipſa eſſentia formæ, ex qua materia forma fiat: Sed quia in materia eſt concreatum ſeminarium, ex quo agens naturale, non vt ex parte, ſed vt ex conſubſtantiali educit formam in actum. Tertio forma fit à materia, non quòd materia vim effectricem ex ſe habeat:

ſed

ſed quia ratio ſeminalis, ideſt forma ſubſtantialis ipſius ſeminis, eſt actiua ad formam perfectam; ſicut in biualuijs plantis viſu patet. Cum enim faſeolus, vel faba formatur in plantam, apex ſeminis virtute actiua ſua figit radices in terram, & eadem planta latens in ſemine fit planta patens extra duas partes ſeminis, concurrente adiutorio agentis extrinſeci vniuerſalis, & particularis; nam forma in eſſe inchoato non poteſt ſe ſola efficere plantam conſummatam. Sicut ergo Philoſophus in 1. & 2. de gener. animal. ponit vim actiuam intrinſecam in ſemine plantæ, vel animalis ad formam prolis inducendam; & in 3. de gener. animal. cap. vltimo poſuit in toto vniuerſo ſpiritum ſeminalem, quaſi animam, vt annotauit Doctor Sanctus in 2. diſt. 15. quæſt. 1. Ita Sanctus Auguſtinus in omnium naſcentium generatione poſuit rationes ſeminales in 3. de Trinitate, vt ex eo ſeminario, & ab eo fiant omnia, quæ naſcuntur in mundi curſu ſecundum ordinem naturalem. Hæc ſufficiant in præſentiarum pro declarandis rationibus ſeminalibus. Quas defendunt ex poſterioribus philoſophis. *de Iunen. & Senec. cap. 1.* *S. Bon.* *S. Aug.*

Zerbus in 7. met. q. 9. Angelucius de Inſtituto met. c. 25.
Sueſſan. 7. met. q. 11. Ioan. Bapt. Cont q. de orig. formar.
Capulſus in 2. ſent. diſt. 7. & 18. (tom 2.

Gallicius in diſput. phyſicis lib. 1. tractatu 3. quæſt. 3. 6. & 7. & Capreolus apud Gallicium in 2. diſt. 17. quæſt. 1.

Ex Antiquioribus ſupra citatis Bacconus 2. diſt. 18. quæſt. vnica; Albertus, Alenſis, Petrus Lombardus, Lincomenſis, Auicenna, & Algazel. Immo Aquarius 7. metaph. dilucid. 11. citat. pro hac ſententia Alfarabium, Albumaſar, Auerroem, Themiſtium, Olympiodorum, Galenum. Sanè Auerroes 8. met. commentario 15. declarans cauſam vnitatis compoſiti ait: *Cauſa iſtius vnitatis eſt, vt tranſmutetur quod eſt in potentia, donec fiat in actu ab agente ſcilicet extrahente ipſum de potentia in actum. Eſt igitur hic aliquid vnum, quod primo eſt in potentia & poſt transfertur in actum: translatio enim eius non largitur ei multitudinem; ſed perfectionem in eſſe: & in toto hoc eſt vnum in actu, &c. Non enim eſt hoc aliud cauſatum ab agente ab eo, in quo agit; ſed illud idem, ſcilicet, quod eſt ſphæra in potentia fit ſphæra in actu, cum agens extra-* LXXII.

hit ipſam de potentia in actum. Non loquitur Auerroes de compoſito extracto ex potentia in actum; ſed de aliquo ſic extracto, quod eſt in toto. At ex. 4. phyſ. 25. id *in quo*, & *quod in hoc*, non ſunt idem primò: igitur aliud eſt illud vnum extractum, aliud eſt ipſum compoſitum, in quo eſt. Neque illud extractum eſt materia, quoniam ait Auerroes, hoc cauſatum non eſſe aliud ab eo, in quo agens agit: ſed forma eſt aliud à materia, ergo forma cauſata ab agente extrahente in actum, & forma in potentia, in quam formam agens agit, ſunt vnum, & idem. Sic in commentario 16. taxans Antiquos, qui non poterant dicere cauſam, propter quam compoſitum ſit vnum, ſcribit, *cauſa deceptionis eorum eſt, quia ponunt idem, quando eſt in potentia, & quando eſt in actu, eſſe diuerſa, & in rei veritate eſt vnum illud*. Sed dicere, quòd materia, & forma ſit vnum; vel quòd forma, & compoſitum ſint vnum, non eſt verum. Sermo eſt igitur, quod vna, & eadem forma prius eſt in potentia, deinde ab agente extrahente fit in actu: quo caſu agens largitur materiæ perfectionem, non multitudinem. Quia ſcilicet duæ erant entitates, materia, & forma, ſed forma in eſſe imperfecto, & potentia non largiebatur perfectionem materiei, quando fit actu forma largitur perfectionem de nouo, ſed non eſt noua multitudo. Sed de Auerroe ſatis.

CAPVT XI.

Rationes contra ſeminarium formarum ab Offenſoribus facta reſoluuntur.

LXXXIII A D tertium tandem veniamus. In diſputatione ſecunda phyſ. quæſt. 7. art. 1. probatis, formas ante generationem non præexiſtere actu in materia ſecundum aliquod ſui eſſe.

Offenſio. Prima ratio eſt. *Materia in generatione tranſit de non eſſe formæ ad eſſe formæ, ſeu de priuatione ad formam: ergo forma ante generationem, nec ſecundum ſe totam, nec ſecundum aliquid ſui; ſiuè eſſentiæ, ſiuè exiſtentiæ præcedit in materia.*

Re-

Reſpondeo negando conſequentiam, materia quippè, vel dicitur tranſire à non eſſe formæ ad eſſe formæ ſimpliciter, & nego: vel ſecundum quid, quo ad ineſſe in materia; vel non ineſſe, & concedo. Sed ex hoc non ſequitur, quod forma antea non eſſet ſimpliciter, ſiue in ſeminario, vt aliæ formæ, ſiue extra, vt anima rationalis. Igitur eſt fallacia à ſecundum quid ad ſimpliciter, ideſt ab *eſſe in* ad *eſſe* ſimpliciter. 15. Defenſio.

Sic priuatio non opponitur formæ in eſſe ſimpliciter, ſed formæ in ſubiecto. Sint quatuor, materia, ſubeſſe, forma, ineſſe. Priuatio negat à materia ipſum ſubeſſe, & informari primò: cõſequenter negat ineſſe à forma, ſiue informare, & nihil aliud ſpectans ad formam negat: ſiquidem priuatio non eſt negatio formæ ſimpliciter, ſed ex 4. met. 4 eſt negatio formæ in ſubiecto apto. Quocirca in hoc enthimemate eſt fallacia à ſecundum quid ad ſimpliciter ſic. Materia tranſit à priuatione ad formam, quò ad non informari ad informari, ergo forma, nec ſecundum totum, nec ſecundum aliquid ſui, eſſentiæ, vel exiſtentiæ præcedit in materia. Ita Zerbus art. 3. *priuatio includit non eſſe non quidem formæ ſecundum omnem ſuum modum, ſed ſolùm ſecundum eſſe actuale.*

Probatis conſequentiam, *quia priuatio, & forma ſe totis opponuntur, tàm ſecundùm eſſentiam, quàm exiſtentiam, & ſunt incompoſſibiles in materia ſecundum quemcunque gradum.* LXXIV.

Ad hanc probationem diſtinguo primam partem aſſumpti. Priuatio, & forma ſe totis opponuntur quò ad incluſionem, quia nihil incluſum in vna quiditatiuè, incluſum eſt in altera, & concedo; nec enim poteſt aliquid idem includi quidditatiuè in affirmatione, & negatione. Et reuera diſtingui ſe totis obiectiuè, aut ſubiectiuè attendi debent ratione incluſionis. Quò autem ad conditiones: vel diſpoſitiones formæ, nego priuationem, & formam ſe totis opponi: nego pariter ſecundam partem aſſumpti, nempè priuationem, & formã eſſe incompoſſibiles in materia ſecundum quemcunq; gradum. Quoniam affirmatio eſt menſura negationis, ideò quod ponitur per affirmationem in materia, hoc tollitur per priuationem, non quidem ſimpliciter, ſed à materia.

Quan-

Quandoque autem forma tota ſecundum eſſentiam, & eſſe; ſecundum rem, & modum abeſt à ſubiecto: quo caſu dato priuatio à materia totam formam negat (dixi à materia, quia forma poteſt extrà materiam eſſe ſimpliciter, non obſtante priuatione) ſed priuatio partim poteſt expelli, partim remanere, ſicut & forma poteſt partim induci in materiam, partim non induci. Veluti ſi duo gradus albedinis in materiam pictor inducat, priuatio illorum duorum graduum expellitur: ſed priuatio aliorum duorum graduum, qui poſſunt induci, manet cum duobus gradibus inductis in materiam. Sicut autem dicitur de albedine, ſic dicatur de forma ſubſtantiali, nam & ſubſtantia ſuſcipit magis, & minus, iuxta S. Bonau. in 2. diſt. 3. num. 3. & diſt. 3. num. 30. & alibi.

Inſuper quandoque forma ſecundum eſſentiam, & ſecundum modos eſſentiæ abeſt à materia: quo caſu ſecundo dato, priuatio negat à materia, & eſſentiam, & modos formæ. Si tamen forma recipitur ſecundum eſſentiam, & vnum modum, puta imperfectionis tunc cum ipſa forma actu præexiſtente in materia ſecundum vnum modum, ſtat priuatio formæ ſecundum alium modum. Sic in globo roſæ habente formam per modum incompleti, ſtat priuatio formæ ſecundum modum completi.

Quandoque item forma abeſt ſecundum genus, & ſpeciem, atque tunc priuatio negat à materia, & genus, & ſpeciem, vt in embrione nondum completo adeſt priuatio formæ, tùm animalis, tùm talpæ. Quandoque autem forma recipitur ſecundum genus, non ſecundum ſpeciem: quo caſu tertio dato, in talpa eſt priuatio viſus, ſecundum genus, non ſecundum ſpeciem.

Quandoque item forma eſt in vna materia ſibi adęquata, ſine priuatione ſui; ſed cum priuatione ſui in alijs materijs adęquatè receptiuis eiuſdem numero formæ; vt ponit caſum S. Bonau. 4. diſt. 43. quæſt. 5. de vna rationali anima, quæ poteſt indifferenter recipi in diuerſis portionibus materiæ primæ, tanquam in receptiuis adæquatis in ſuo ordine.

Denique, quoniam priuatio non eſt ens in recto, aut entitas; ſed eſt entis, tùm vt oppoſiti, tùm vt ſubiecti ex 2. diſt. 34. num. 33. & 36. Idcirco priuatio connotat ſubiectum, & aptitudinem, & po-

& poteſt accipere varietatem tùm ex oppoſito, tùm ex ſubiecto. Ex 2. diſt. 34 num 38. vt maior priuatio, magis de bono adimit, minus relinquit: minor priuatio minus de bono tollit, magis relinquit e 4. diſt. 18. num 71. Claudus magis, & minus dicitur: ſic magis, & minus iuſtus. Magis etiam priuatus viſu eſt, qui læſus eſt in pupilla, & neruo, quàm qui in pupilla ſolùm.

Hinc patet diſcrimen inter negationem formæ, & priuationem formæ. Negatio formę ſimpliciter negat formam ex rerum natura, ad quodcunque comparetur, ſicut & eſſe ſimpliciter ipſius formæ ponit formam in rerum natura in reſpectu ad quodcunque. At non informari, & forma opponuntur ſecundum quid, præcisè quò ad informari, & quò ad illud, quod eſt recipiendum de forma, & ſecundum illum modum, ſecundum quem eſt recipiendum, & non aliter. Quapropter argumentum eſt fallax & probatio conſequentiæ falſum accipit. LXXV.

Accedit ex Baſolio, quòd non ſolum forma, & priuatio ſunt ſimul incompoſſibiles in materia; ſed etiam formæ ipſæ adinuicem, non ſe compatiuntur in eodem ſubiecto, nec ſecundum ſe totas, nec ſecundum aliquas ſui partes, nec ſecundum eſſe eſſentiæ, nec exiſtentiæ, quia eſſentiæ ipſæ formarum ſunt, quæ inuicem repugnant, & in qualibet particula formæ includitur eſſentia formæ. Offenſio

Baſolij dictum nego, & primò de formis ſubſtantialibus, nam formæ ſubſtantiales non ſunt inter ſe contrariæ, nec incompoſſibiles ratione ſui; ſed ratione diſpoſitionum contrariarum, quas exigunt, adhoc vt ſint in actu completo. 2. Quò ad formas accidentales in eſſe intenſo, & completo, aliquæ formæ accidentales ſunt contrariæ; quo non obſtante, nullæ ſunt in eſſe potentiali, & incompleto incompoſſibiles: at nec in eſſe completo, & actuali, ſed remiſſo ſunt incompoſſibiles, præſertim ſecundum vos, qui ponitis contraria duo ſimul eſſe poſſe in eadem numero materia. 36. Defenſio.

Inſuper infinitæ eſſent actu formæ in materia: quia ſi omnes præcedunt ſecundum aliquid ſui, cum ſint poſſibiles formæ infinitæ ſincathegorematicè, erit vtique ſub infinitis formis imperfectis, & incompletis. Offenſio

37. Deſenſio. Vos in lib. de gener. diſput. 5. quæſt. 2. art. 2. num. 68. cart. 252. oppoſitum tenetis, quod ſi omnes formæ ſubſtantiales ſint in materia in eſſe incompleto, ſicut Ferchius dicebat, non ſequitur infinitas. Nunc autem infinitatem ſequi vultis.

LXXVI. Deinde in eodem lib. de gener. diſput. 5. quæſt. 7. art. 2. nu. 172. cart. 324. non eſt vobis inconueniens, ſi detur infinitas ſincathegorematica etiam in rebus actualibus: quare multo minus erit inconueniens, ſi detur in formis imperfectis, & incompletis ſub modo potentiali. Quod igitur infertis tanquam inconueniens, non eſt inconueniens.

Verum iuxta S. Bonau: Deus qui omnia fecit in numero pondere, & menſura, concreauit ab initio ipſi materiæ rationes ſeminales ſecundum multitudinem ſpecificam finitas. Multiplicatio quoque indiuiduorum dato initio, & fine numerus erit finita. Non ergo conſequentia hæc veſtra quicquam conficit.

S. Bon. 2. diſt. 18. num. 29. una ratio ſeminalis ſecundum indifferentiam, ex qua educi poſſunt ignis, vel aqua, aut aer. Sed neque contra viuaciſſimum Contarenum vobis proderit: ponit enim vnam eſſentiã ſeminarij cum gradibus ſpecificis finitis in ſeminario latentibus. Etenim ſpecies ſubſtantiales non poſſunt eſſe infinitæ ſecundum Ariſtotelem. At ſingularia verò habenda in infinitum, non eſt neceſſe ponere ſingulorum indiuiduorum ſingulas rationes ſeminales; nam ipſe gradus ſpecificus formæ ex coniunctione ſui cum hac materia efficit vnum ſingulare, ex coniunctione cum alia materia, aliud ſingulare: & item ex alia, & alia coniunctione eiuſdem gradus ſpecifici, etiam cum eadem portione materiæ, exurgit aliud, & aliud ſingulare. Quod autem ipſum indiuiduum fiat hoc, & vnum numero ex coniunctione formæ ad materiam, eſt doctrina S. Bonau: in 1. diſt. 19. quæſt. 6. & in 2. diſt. 3. quæſt. 5. & 6. Vnde vel Illuſtriſſimus Contarenus opinionem accepit à S. Bonau: (nec enim vir animi modeſtiſſimi indignabitur imitari tã Doctorem) vel eadem veritas mentes clariſſimorum Doctorum Bonauenturæ, & Contareni coniunxit.

Offenſio. *Nec ad iſta reſpondere valebit, quod forma, & priuatio, & formæ ipſæ ad inuicem ſunt incompoſſibiles ſecundum eſſe perfectum, & completum, non verò ſecundum eſſe imperfectum & incompletum.*

Tum quia forma ſubſtantialis eſt ſimplex, & non habet partes in-

ſec-

tenſionis, ſecundum quas dicatur modò incompleta, & imperfecta; modò completa, & perfecta.

Reſpondetur ad hanc replicam, quòd forma ſubſtantialis habet partes intenſionis, ſecundùm quas poteſt dici ſuſcipere magis, & minus. Vnde, vel petitur principium : vel hæc diſputatio facilis ad aliam multò difficiliorem transfertur. Quamuis in eo, quod forma ſubſtantialis ſuſcipiat magis, & minus, multi Scotiſtæ conueniant cum Doctore Seraphico, & ſubtili. LXXVII 38 Defenſio.

Alio etiam modo tollitur hæc replica, non ſolum per partes graduales, quæ ſunt eiuſdem rationis, ſed etiam per modos : nam eadem forma tota ſecundum eſſentiam, & quilibet eius gradus, poteſt eſſe incompleta, & ſecundum potentiam : completa, & ſecundum actum prout ſecundum Doctorem Seraphicum, & Auerroem dictum eſt. Si duæ res ſint, vna vt potentia receptiua, reliqua vt actus receptibilis, ex eis fit compoſitio, & tollitur ſimplicitas. Si autem ſit vna res, nunc ſub modo potentiæ, nunc ſub modo actus: ſtante ſimplicitate rei, ſtat varietas modorum, quoniam non coniunguntur, vt ex eis fiat vnum.

Tum quia etiam ſi ſecundum gradus indiuiduales ſuſciperet magis, & minus, adhuc tamen ſecundum ſpecificos conſiſtit in indiuiſibili, & penes hos præſertim attenditur incompoſſibilitas. Offenſio

Reſpondetur ad hanc ſecundam replicam per reſponſionem datam ad dictum Baſolij, nullas formas ſecundum eſſe incompletum, & potentiale eſſe incompoſſibiles in gradibus ſpecificis, & in hoc vos proponitis, & non probatis incompoſſibilitatem. In eſſe completo ſubſtantiales formæ, & accidentales, quæ contrarium non habent, non ſunt incompoſſibiles ratione ſui; ſed ratione diſpoſitionis annexæ. In formis contrarijs ſecundum eſſe completum, eſt incompoſſibilitas, ſi ambæ ſint in eſſe intenſo: ſi autem vna ſit intenſa, & altera remiſſa, vel ambæ remiſſæ, ſunt compoſſibiles. 39. Defenſio.

Tum tandem, quia priuatio eſt prorſus incompoſſibilis cum forma, etiam in eſſe remiſſo. Offenſio.

Ad hanc tertiam replicam nego aſſumptum; vt enim dixi ad primum, cum duobus gradibus albedinis receptis ſtat priuatio duorum graduum recipiendorum : ergo priuatio graduum ſe- 40. Defenſio

quentium ſtat cum gradibus remiſſis præcedentibus.

Offenſio. *Denique refellitur hæc opinio de inchoationibus formarum etiam ex ſuo met fundamento, quod erat tale. Si forma non præcedit in materia ſecundum vllam prorſus inchoationem, ergo forma creatur, & fit ex nihilo. Quod argumentum ità retorquet Scotus. Illa pars formæ, quæ de nouo producitur, non præceſsit in materia, quia de nouo generatur, ergo fit ex nihilo ſui, quia pars, ſeu inchoatio præcedens ab illa diſtinguitur, ergo illa pars adhuc creatur.*

LXXVIII. 41. Defenſio. Ad hanc retorſionem: pro ijs, qui ponunt vnam partem formæ eſſe inchoationem, aliam partem de nouo produci, reſpondent Zerbus, & Sueſſanus locis relatis. Sed contra S. Bonau. & Contarenum ponentes totam eſſentiam formæ præexiſtere in ſeminario ſecundum eſſe poteſtatiuum, atque totam extrahi ſecundum eſſe actuale ſpecificum, hæc ratio colorem non habet: ſupponit enim formam in eſſe actuali, & completo fieri ſecundum partem ex forma incompleta ſecundum partem. At ſecundum Doctorem Seraphicum particula, *ex*, in eductione formæ de ſeminario, non dicit partem; ſed conſubſtantialitatem, vt ex globo fit roſa, quemadmodum ſupra retuli. Cætera, quæ ſcribit is circa hoc argumentum, non ſunt ad propoſitum.

Offenſio. *Adhuc etiam Canonicus 2. phyſ. quæſt. 1. retorquet hoc fundamentum contra Aduerſarios; nam vel gradus, & pars formæ actualis, quam dicunt in materia præcedere eſt producta; vel improducta. Non ſecundum, vt pat: ſi primum, ergo vel producta eſt ex nihilo ſui, vel ex aliquo: ſi ſecundum ergo dabitur proceſsus in infinitum; ſi primum, ergo non euitant creationem, ad quam euitandam, has formarum inchoationes excogitarunt.*

42. Defenſio. Et hæc retorſio Canonici ſupponit in gradu ſpecifico formæ inchoato, & conſumato partem, & partem. Quod ſuppoſitum à nobis non tenetur; ideoque & argumentum non eſt contra nos. Verùm prima productio formæ in ſeminario eſt ex nihilo à Deo. Non vitant autem creationem Auctores, nec vitare intendunt in reſpectu ad Deum primò producentem eſſentias formarum: ſed intendunt euitare in reſpectu ad agens ſecundum, quod in generatione naturali non faciat formam ex nihilo; ſed ex aliquo, non tamen vt ex parte, ſicuti fit compoſitum; ſed ex

toto

to conſubſtantiali, vt agens ſecundum non largiatur multitudinem entitatis formalis, ſed perfectionem.

Quantum verò attinet ad vltimum dicendi modum illius primæ ſententiæ, qui pro formarum inchoatione ponit eſſe quoddam non actuale, ſed merè poſſibile; Vel per hoc eſſe poſſibile formarum intelligit eſſe poſſibile ſubiectiuum, & hoc non eſt aliquod eſſe formæ; ſed eſſe materiæ, veluti ſubiecti præcedentis, ex quo fit forma, & in hoc ſenſu coincidit cum communi ſententia, de qua articulo ſequenti. Vel intelligit eſſe obiectiuum formarum; at hoc non poteſt dici inchoatio formæ in materia præcedens, quia tale eſſe poſſibile habet formam à potentia actiua efficientis cauſæ, quatenus eſſe poteſt terminus actionis illius ex Scoto 2. diſt. 12. quæſt. 1. & non in potentia paſſiua materiæ. Offculio *Aquarius 7. meth. dilucid. 11. reſpondet ad hoc. eſt potentiale ſubiectiuũ; nam potentiale obiectiuũ irridet.* LXXIX 43. Defenſio.

Reſpondetur poſſibile, quod eſt ratio ſeminalis, nec eſt ſubiectiuum, quia non eſt entitas ſubiecti; nec eſt obiectiuum, quia non eſt entitas efficientis; ſed eſt poſſibile formale, quoniam forma eſt prius in potentia, poſterius ab efficiente extrahitur de potentia ad actum. Fundatur vero hæc poſſibilitas in eſſentia formæ exiſtente extra nihil, extra mentem, & extra cauſas: exiſtente inquam, ſed ſub modo poſſibilitatis, & incompleti, quæ poſſibilitas eſt ad actualitatem completam. Conſequuntur tamen in eadem eſſentia formæ poſſibilis duo reſpectus: alter ad efficiens, à quo forma poteſt extrahi ad actum perfectum, quale efficiens eſt cauſa naturalis externa, & ipſa quoque ratio ſeminalis, vt cauſa effectiua partialis interna. Alter ad materiam, quam poteſt informare actu ſecundum eſſe perfectum. Vnde ſecundum iſtos duos reſpectus poteſt dici, & poſſibile obiectiuum in ordine ad efficiens, & poſſibile ſubiectiuum in ordine ad paſſum. Quanquam hoc ſecundum ſit minus propriè dictum; nam potius appellandum eſt poſsibile informatiuum, quia forma poteſt informare, non ſubijci: materia verò eſt poſsibile ſubiectiuum, quæ poteſt ſubijci. Hoc poſsibile formale declarauit Zerbus 7. metaph. quæſt. 9. diſtinguens formale formabile, & formale formatum. Hinc liquet argumentum hoc vltimum continere fallacium conſequentis ab inſufficienti enumeratione, nec enim ſolummodo eſt poſsibile ratione efficientis, & materiæ; ſed etiam datur poſsibile ratione formæ, & finis, & alijs quoque modis.

Illud obiter aduerto à vobis dictum, quòd poſsibile ſubiectiuum nihil eſt formæ, ſed eſt entitas materiæ. Propter quod cum forma fit ex materia, re vera fit ex nihilo ſui; nam ipſum poſsibile ſubiectiuum nihil ponit in forma, vel de forma. Ipſa verò materia eſt phyſicè primò diuerſa à forma; vnde ſi fieret ex materia, ita fieret ex nihilo ſui: ſicut ſi fieret anima rationalis ex obiecto viſibili, aut intelligibili, quod eſt poſſibile obiectiuum ipſi animæ propoſitum.

Addo vos rurſus dicere formam fieri ex materia, quod negauit Ariſtoteles in 1. phyſ. 58. & 60. dicens muſicum non fieri ex homine.

Hactenus conſtat vos non ſatis impugnauiſſe rationes ſeminales, vt putabatis. Nunc proſequamur reliqua per vos dicta diſput. 5. q. 6. num. 145. cart. 305.

CAPVT XII.

Offenſores ex Contareno ſumunt doctrinam; ſed ingrati Doctorem obſcurant.

Offenſio *GEmina occurrit difficultas, prima eſt, an cauſa effectiua generationis, & productiua ſubſtantialis formæ ſit ipſum agens immediatum, quod præuia alteratione materiam diſpoſuit, vt V. G. an ignis introducto prius calore, & ſiccitate in ligno ſufficiens ſit ad educendam quoque formam ignis ex ligni materia, an potius recurrendum ſit ad illud agens ſeparatum, quod in materia ab agente immediatè diſpoſita formas producat.*

Vt ad cælum, ſicut putarunt Fernelius lib. de abditis rerum cauſis cap. 5. & Raguſcius diſput. 16. peripat. cap. 17.

Vel ad intelligentiam quandam ſeparatam, vt opinatus eſt Auicenna lib. 1. ſuffic. cap. 5. & 4. met. cap. 4.

Vel etiam ad ipſum Deum, & totius naturæ authorem, vt probabiliter proponit Areſius 1. de gener. quæſt. 20. ſec. 4. conluſione 5.

LXXX. 44. Defenſio. Ex iſtis opinionibus, primam Fernelij, & Raguſei citat Contarenus quæſt. de origine formarum cap. vlt. ſed quam modeſtè, quam ingenuè, & laudabiliter. *Idem* inquit *euitandæ creationis*

con-

conſilium, quod nos in prædictam ſententiam induxit, quamplures percelebres philoſophos ad ipſam formarum originem inueſtigandam excitauit; præcipuè Ioannem Fernelium lib. de Abditis rerum cauſis cap. 5. Cui adhæſit nuper excellentiſsimus Raguſeius in 16. ex ſuis peripateticis diſputationibus cap. 17. qui quidẽ grauiſsimi viri conſiderantes, &c. Ecce quàm nobilis, & honoratus ſcribendi modus, viro honoratiſsimo, & prudenti veritatis inquiſitore dignus adhibetur à Contareno. Qui honoratus eſt, honorificè loquitur de alijs. Vocat eos *percelebres philoſophos, grauiſsimos viros, excellentiſsimum Raguſeium*, vt etiam ſi eorum opinionem non teneat, opinantes cum laude dimittat. Qualis quiſque eſt, talia ſentit, & loquitur ex Ariſt. in 1. ad Nichomachum. An vos oſtenſores tàm modeſtè, & honorificè de alijs ſcripſeritis in iſto articulo, ex veſtris dicterijs, ledorijs, iniurijs, maledicentijs, contemptionibus grauiſsimorum virorum, & in primis Contareni, viri doctiſsimi, & omni honore digniſsimi, conſtat.

Secundam opinionem Auicennæ commemorat Contarenus eadem quæſt. cart. 140. linea 18. *Produci, ſcilicet formas, ab intelligentia omnium infima, qualis eſt illa, quam poſuit Auicennas in 1. ſuffic. cap. 10. ac in 9. met. cap. 4. ipſam datricem formarum appellans.* At in commemoranda Auicennæ citatione vos diſcrepatis à Contareno. Ille namque citat lib. 9. metaph. cap. 4. Vos lib. 4. cap. 4. Volui periculum facere, an falſa citatio facta ſit à Contareno, an à vobis: Accepi metaphyſicen Auicennæ. In lib. 4. ſuæ metaph. non ſunt niſi tria capita. Et vos citatis quartum? Igitur falſi eſtis, vel alios fallitis. Quoniam autem libri tranſcripti corriguntur ad normam primi originalis: has citationes primæ & ſecundæ opinionis tranſcripſiſtis à Contareno. Quarè veſter liber eſt corrigendus iuxtà veram citationem Contareni. Auicenna quippè in 9. metaph. cap. 4. veraciter habet, quæ à Contareno dicuntur. LXXXI

Tertia opinio Areſij, quæ refert productionem formarum omnium in Deum, non multum diſsidet ab opinione Contareni. Contarenus quippè omnem formarum eſſentiam ponit à Deo materiæ concreatam ab æterno. Areſius ponit in ſingulis temporibus à Deo fieri. Differentia eſt in duratione. Propterea

quod Contarenus intra limites Ariſtotelicos loquitur, ſuppoſita æternitate mundi, Arcſius non item.

LXXXII Sed pro opinione Fernelij, & Ragulei, Contarenus adducit duos textus, primum ex 2. phyſ. 26. *Sol, & homo generant hominem*. Vt ab homine materia, à cælo fit forma corporis.

Secundum ex primo meteororum cap. 1. Inferiorem mundum regi à ſuperiori cæleſti latione. Eoſdem duos textus citatis & vos, nominando Fernelium, & Raguſeium; ſuppreſſo nomine Contareni, à quo transſcribitis.

Contarenus proprio inuentu reſpondet ad primum. *Non ſignificat Philoſophus, quòd homo producat corpus, & cælum animam. Sed quoniam in quauis generatione requiruntur agentia extrinſeca, ſcilicet uniuerſalia, & remota, atque particularia, & proxima, quæ corpus geniti præparent ad formæ receptionem, ideò in generatione hominis concurrit ſol, vt agens vniuerſale, & homo, vt cauſa vniuoca, & ſpecifica*. Eandem prorſus reſponſionem reſcribitis, tacito Contareno, à quo reſcribitis.

Ad ſecundum reſpondet Contarenus, non ſignificari ab Ariſtotele mundum hunc à cælo gubernari, quo ad productionem formarum; ſed ſolum quò ad influxiones in corpora per alterationem diſponenda regi. Eandem reſponſionem reſcripſiſtis; ſed Contareni nomen non aſcripſiſtis. Quid ita? Quoniam alienos labores, & alienam laudem ad vos trahere voluiſtis, non inuentori, vt erat iuſtum, tribuere. Laborauit ergo Contarenus non ſibi, ſed vobis.

Sic vos, non vobis, mellificatis apes.

Vos ergo, quaſi veſpæ mel apis argumentoſæ ſugitis, & apem ingratè pungitis. At Aduerſariorum nomina ſcripſiſtis. Qua de cauſa? Nimirum, vt vos ſapientiores authoribus impugnatis videremini: qui ſoluere potuiſtis nodos, qui eis inſolubiles viſi ſunt. Vndique amor propriæ veſtræ gloriæ conſpicitur, ſiuè dum alios nominatis ad eos obſcurandos; ſiuè dum non nominatis, ad vos ſcilicet illuſtrandos lumine alieno. Igitur, & furaces, & feraces eſtis.

Furaces, dum bene ab alijs dicta, ad vos tanquam propria traducitis.

Fera-

Feraces, dum malè in alios dicta congeritis, præſertim in eos à quibus accepiſtis bona. Ità natrix ſuauem aquam bibit; ſed reliquam lethifero veneno inficit. Vos quoque optimam doctrinam à Contareno ſuſcepiſtis: ſed Doctorem iniurijs & calumnijs, tanquam lethali virulentia conſperſiſtis. Vt autem, & veſtra furacitas, & feracitas à cunctis videatur, duos ſequentes libellos pro corollario adiungo.



LIBER PRIMVS

Furacitas Belluti, & Maſtrij patefacta.

CAPVT I.

Furtum authoritatum Ariſtotelicarum ex Contareni, & Raguſei laboribus.

Lxxxiii. CVm legerem librum de generatione, & corruptione, conſcriptum à Belluto, & Maſtrio, idq; volantibus oculis, ad inuenienda ea, quæ contra me ſcripſerãt, caſu occurrit videre pagina 20. nomen Cremonini: lego, & ſeuerè ipſum vituperari conſpicio. Ordior à capite lectionem illius paginæ, quæ incipit Quæſtio 2. Art. 1. num. 9. Deprehendo meos Offenſores acriter arguere eos, qui Ariſtotelis authoritatibus inhærent. Hanc igitur Concluſionem non eſſe vtendum authoritatibus probant, allata Zabarellæ authoritate, & dubrum ſcriptorum, quos, qui ſint, ignoro. Ridiculum mihi viſum eſt, concluſionem eſſe, non vti authoritatibus, & probationem fieri per authoritates. Itaque dum negant vtendum authoritatibus, authoritatibus vtuntur, ſibique contradicunt. Hinc aduerſus Cremoninum in Peripatetica palæſtra non obſcurum ita ſcribunt.

Offenſio. Locutio modeſta ne! *Ea igitur potiſſimum de cauſa Ariſtotelis authoritates adducimus pro noſtro aſſerto, vt putidum Cremonini mendacium refellamus, qui ſec. 2. cap. 1. ſub finem ait, latinos, nec vnum quidem locum adducere poſſe vbi elementorum qualitates appellauerit accidentales, cum tamen pro ſententia Græcorum legantur innumeræ ab ipſo relata: ſummatim itaque, & clariores afferemus.*

Lxxxiv. Defenſio. Cæpi legere, vidique Ariſtotelis authoritates grandine frequentiores cadere. Mirabar, ſciens viros iſtos non multum Ariſtotelis lectione, vel ponderatione delectari, immò in eadem pagina confutare adhibentes Ariſtotelis dicta: immò & dicere

ſe

ſo pluris facere vnam rationem firmam, quàm mille authoritates (verendum ne ſit infirma ratio, quæ firma videtur) Venit illicò in mentem, & Georgium Raguſeum, & Ioannem Baptiſtam Contarenum in Peripatetica doctrina celeberrimos hanc Diſputationem aduerſus Cremoninum ſuſcepiſſe. Conſulo vtrunque authorem, & inuenio omnes authoritates à prima ad vltimam eſſe prædatorio modo raptas ex quæſt. Contareni to. 2. de formis elementorum cap 7.. Sed aſtutè ad occultandum furtum Offenſores citant loca, non verba textus, ne deprehendatur latrocinium. At Contarenus prudenter illa verba textus, quæ ad propoſitum faciunt, citat. Percurramus ſingulas, ex Offenſione ad paginam 20. colum. 2. quæſt. 2. art. 1. num. 9 Statimque ex Contareno apponamus authoritatem citatam.

Prima Authoritas ab Offenſoribus citata eſt.

In 7. lib. phyſ. 11. Offenſio 1. furtum Lxxxv.

Prima authoritas à Contareno citata in quæſtione de formis elementorum cap. 7. cart. 136. eſt in 7. phyſ. contex. 11. vbi (Ariſtoteles numerat primas qualitates inter paſsiones ſenſibiles, mox in ſequenti tex. inquit per eas fieri alterationem ijs verbis. *Si igitur ſenſibiles quidem paſſiones ſunt, per has autem alteratio eſt.* Defenſio detegitur.

Et 8. phyſ. lib. 55. primas qualitates enumerat inter qualitates ſenſibiles. Offenſio 2. furtum

Secunda authoritas allata per Contarenum eſt in 8. phyſ. contex. 55. talis. *Amplius autem omnium paſsionum principium eſt denſitas, & raritas: etenim graue, & leue, & molle, & durum, & calidum, & frigidum denſitates videntur eſſe, & raritates quædam.* Defenſio detegitur.

Idem habet 1. de gener. 24. Offenſio 3. furtum

Numerum textuum accipiunt à Raguſeo diſp. 15. parte 2. cap. 4 pag. 260. ex authoritate quinto loco citata. Sed hæc tertia authoritas eſt, vt apud Offenſores, ità apud Contarenum, vbi qualitates elementorum accidentia vocantur. *In his autem ſi aliqua maneat paſsio eadem contrarietatis in generato, & corrupto, vt quando ex aere aqua, ſi ambo tranſparentia, aut frigida, non oportet alteram huius paſsionem eſſe, in quam traſmutantur.* Defenſio detegitur.

Et lib. 2. de gener. 54. & 55. carpit Antiquos, eo quia ſolas ele- Offenſio 4. furtum

mentorum qualitates agnouerint, non eorum formas ſubſtantiales.

Defenſio detegitur. Quarta hæc authoritas ex Offenſoribus, eſt quarta Contareni, dicentis de Ariſtotele, Carpit Antiquos philoſophantes, qui de ſolis qualitatibus elementorum, nequaquam verò de illorum formis mentionem fecerant. Ideò ait. *Amplius autem, & potentias attribuunt corporibus, propter quas, & generant valdè inſtrumentaliter, auferentes eam, quæ ſecundum formam cauſam: quoniam enim natum eſt, vt inquiunt, calidum quidem ſegregare, frigidum autē congregare.* Eadem authoritas ex 2. de generat. 54 & 55. citatur a Raguſeo diſp. dicta cart. 258. argumento 11.

Offenſio 5 furtum. *Item lib. de ſenſu, & ſenſili ait ignem agere, non quatenus ignem, ſed quatenus calidum, per quod manifeſtè ſecernit formam ſubſtantialem ignis ab ipſo calore.*

LXXXVI. Defenſio detegitur. Hæc authoritas quinta eſt Contareni ſexta. Ariſtotelis verba ſunt. *Qua igitur ignis, & qua terra nihil natum eſt agere, vel pati, nec aliud quicquam: qua autem ineſt contrarietas in eis, hæc omnia agunt, & patiuntur.*

Offenſio 6. furtū. *Et ſecundo de partibus animaliũ ab initio docet qualitates non eſſe de eſſentia elementorum, ſed illorum virtutes.*

Defenſio detegitur. Hæc eſt authoritas ſeptima per Contarenum allata ex initio 2. de partibus animalium, *vbi Philoſophus docet, qualitates non eſſe de eſſentia elementorum, ſed eſſe illorum virtutes, cum inquit. Cum itaque triplex ſit compoſitio, &c.* Acceperunt a Contareno, nedum locum citatæ authoritatis, ſed eaſdem Contareni clauſulas, orationes, dictiones.

Offenſio 7. furtum *Et 7. metaphiſicæ 17. diſertiſſimis verbis ait, ſubſtantias non eſſe, ſed accidentia.*

Defenſio Detergitur. Hæc citatio eſt prorſus falſa: nam in 7. metaph. 17. nihil tale reperitur. Legatur textus. Aſcriberem, ſed non eſt neceſſarium; etenim hoc in loco non eſt error tranſcribentium ex Contareno, ſed error eſt impreſſoris, qui loco 3. ſubſtituit 7. Quando impreſſor errat, emendamus recurrendo ad originale, ex quo tranſcriptio facta eſt. Igitur ad Contarenum recurramus, qui authoritate octaua ſcribit. *Clarius verò in 3. metaphyſicæ contextu 17. hoc idem ijs verbis expreſſum eſt. Quæ verò maximè ſubſtantiam ſignificare videntur, aqua, ignis, & terra, ex quibus corpora compoſita*

ſita conſtant. Horum verò caliditates quidem, & frigiditates, & ſimiles paſſiones non ſunt ſubſtantiæ. Ecce apertè quod ſecundum mentem Ariſtotelis primæ qualitates non ſunt ſubſtantiæ, ſed affectiones.

Quod denuò repetit 5. *metaph.* 19. Offenſio. 8. furtum

Contarenus citat eundem textum 5. metaph. 19. in authoritate 9. *Item quecunq; ſubſtantiarum, quæ mouentur paſſiones, vt caliditas, & frigiditas, &c.* Defenſio. detegitur

Et 8. *metaph.* 5. *Videatur contextus, quia verba ſunt apertiſſima, quæ breuitatis gratia hic non tranſcribimus.* Offenſio. 9. furtum

Hæc eſt vltima authotitas citata ab Offenſoribus, & vltimò citata à Contareno. *Quædam ſenſibilium paſſiones, vt duritie, & mollitie, & denſitate, & raritate, & ſiccitate, & humiditate* ac paucis interpoſitis inquit, *ſubſtantia itaq; nihil horum eſt, neq; combinatum, attamen proportionale in vnoquoq;.* Noluerunt tranſcribere, non quidem propter breuitatem, quoniam authoritas eſt breuis, ſed propter occultationem. Præſertim cum pleraq; dicant extra neceſſitatem. Nullam itaque Ariſtotelis authoritatem inuenerunt. Immò inuenerunt omnes, ſed apud Contarenum: nam apud proprium intellectum nihil. Defenſio detegitur.

Præter authoritates Ariſtotelis breuiſſimè rationes etiam afferunt. Eas legamus.

Deniq; idem deducitur ex varijs Ariſtotelis principijs. LXXXVI.

1. *Quod nimirum ſubſtantia non habet contrarium.* Offenſ. 10. furtũ

Ragulei eſt parte 2. cap. 2. argumento 5.

2. *Non ſuſcipit magis, & minus.*

Raguſei ibid. argumento 6. 11. furtũ

3. *Non eſt per ſe immediatè ſenſibilis.*

Raguſ. ibid. argumento 12. 12. furtũ

4. *Non terminat alterationem, ſed generationem.*

Raguſ. ibid. argumento 9. 13. furtũ

Et alia huiuſmodi, quorum oppoſitum omninò conuenit allegatis qualitatibus.

Quatuor rationes indicant ex principijs Ariſtotelis, quæ rationes promptæ ſunt ex Raguſeo locis inſertis. Hoc tamen intereſt, quod Raguſeus fecit rationes in forma, & minores in Defenſio detegitur.

materia probatas: Offenſores noluerunt ſubire tantum negotij.

Nunc ſubit vehementer mirari redundantiam verborum cõtra Cremoninum in Offenſoribus, & deficientiam in authoritate, ac ratione. Dicunt ſe non eſſe multæ authoritatis, ſed multæ rationis. Alias fortaſſe. Nunc nouem authoritates à Contareno: quatuor rationes à Raguſeo ſurripuerunt, vt apparerent multæ authoritatis, & paucæ rationis. Reuera autem ſint, & nullius authoritatis, & nullius rationis. Igitur ſunt ex alieno opulenti, ex proprio inuento mendici.

CAPVT II.

Conſiderantur reſponſiones Cremonini, & impugnationes ab Offenſoribus allatæ; oſtenduntur clam vel palam ex alieno accepta.

LXXVIII. POſthac noſtri Compilatores in quæſt. 2. dicta art. 1. num. 10. afferunt reſponſiones Cremonini ad authoritates allatas, & refutant reſponſiones. Cremoninus etenim præuidens aliqua poſſe obijci, reſponſiones quaſdam generales cautè dedit.

Prima reſponſio Cremonini ad locum tertij metaph. 17. dicit Ariſtotelem loqui dubitando, & proponendo dubitationes antiquorum, quando qualitates primas dicit eſſe paſſiones primas elementorum, non ſubſtantias.

Refutatio ab Offenſoribus ſcribitur ad num. 11.

Offenſio 14. furtũ *Verum eſt nonnullis ex prædictis locis Philoſophum examinare veterum placita, poſtea tamen ex propria ſententia loquens determinat ipſas qualitates non eſſe ſubſtantias, ſed affectiones elementorum, vt præſertim videre eſt 3. metaph. 17.*

Defenſio detegitur. Confutatio hæc eſt accepta ex Contareno cap. citato 7. cart. 137. circa octauam authoritatem, dicente. *Quamuis enim in præcedentibus verbis examinandam propoſuiſſet opinionem antiquorum, quod ſcilicet numeri, ſuperficies, & puncta ſint ſubſtantiæ:* mox *tamen ſcilicet in citatis verbis, clarum eſt, quòd ſoluens quæſtionem, & ex propria ſententia loquens, determinat ipſas qualitates non eſſe ſubſtantias, ſed affectiones.*

De-

Detecto furto, conſidero, accuratiùs Cremoninum examinaſſe textum, quàm Offenſores, vel textum, vel commentarium ſui Scoti. Nam commentarius Antonij Andreæ Scoto ab iſtis aſcriptus, diuidit textum in argumenta pro parte falſa, & argumenta pro parte vera. Pars falſa continet argumenta Platonis, & verba, quæ citantur ab Offenſoribus ſunt in argumento pro parte falſa. Verba textus ſunt Platonis, probantis illo argumento, quòd corpus eſt ſubſtantia, calor, & frigus ſunt accidentia. Atqui Ariſtoteles contra Platonem tenet in concluſione, ergo etiam præſumendum eſt, quòd non concordet cum Platone in propoſitionibus, iuxta Scoti notationem in 2. diſt. 3. quæſt. 7. ad primum. Profectò ex argumentis in parte falſa, authoritas non eſt ſumenda. Illam verò authoritatem eſſe in argumentis pro parte falſa, ante Aragonium tenuit Thomas Aquinas, & ante hunc Alexander Alenſis, nec non & Auerroes, & Aphrodiſeus apud Sueſſanum. Quare & rapiunt confutationem, & rapientes contra ſuum Scotum faciunt.

Secunda Reſponſio Cremonini ad num. 10. eſt. Cum Ariſt. negat eſſe ſubſtantias loquitur de ſubſtantijs compoſitis, & per ſe ſubſiſtentibus. Lxxxix.

Refutatio ad num. 11. continetur in Offenſoribus.

Quia cum Ariſtoteles ait prædictas qualitates non eſſe ſubſtantias, abſolutè loquitur de ſubſtantia, & abſque limitatione. Et nedum negauit eſſe ſubſtantias, ſed affirmauit etiam eſſe paſsiones, & affectiones, ſic enim loco nunc citato loquitur. Horum verò ſcilicet elementorum caliditates, & frigiditates, & ſimiles paſsiones non ſunt ſubſtantiæ. Offenſio Furtum 15. & 16.

Contarenus eodem cap. cart. 137. circa octauam authoritatem duas haſce dedit refutationes. *Planum eſt enim*, inquit, *è contra, quod loquitur de ſubſtantia abſolutè, & abſque aliqua limitatione.* Defenſio detegitur.

Præterquam quod expreſsè aſſerit eas qualitates non eſſe ſubſtantias, ſed paſsiones.

Tertia Reſponſio Cremonini. Cum Ariſt. negat in ſubſtantia contrarietatem, loquitur tantùm de ſubſtantia compoſita, non autem ſimplici, quales ſunt formæ elementares, vnde vult Lxxxx.

ſub-

ſubſtantiam latè ſumptam, vt etiam differentias ſubſtantiales complectitur contrarietatem habere.

Quod probat ex 1.phyſ. 67. vbi principia rerum naturalium contraria ponit.

Et 10. metaph. 13. vbi ait, in omni genere aliquam primam contrarietatem reperiri, quatenus omne genus per oppoſitas diuiditur differentias.

Refutatio 3. reſponſionis ad num. 11. ab Offenſoribus ſcribitur.

Offenſio. Furtum 17.& 18. *Non tertium, quia vt oſtendimus in Logica diſput. 7. quæſt. 1. art. 3. Proprietas illa conuenit omni ſubſtantiæ, non ſolum directè, ſed etiam lateraliter, & indirectè exiſtenti in prædicamento. Nam eam Ariſtoteles prædicamento ſubſtantiæ aſcripſit, vt à quocunque alio accidentium prædicamento contradiſtinguat, & ideò de quacunque ſubſtantia intelligi debet.*

Tum quia ſi formis, ac differentijs ſubſtantialibus contrarietas conueniret, etiam & compoſitis ex eis conſtitutis conuenire deberet, quia forma, & differentia, vel eſt totalis, vel certè principalis pars compoſiti, cui totam ſuam communicat naturam, & conditionem.

Nec loca, quæ ex Ariſtotele pro hoc adducit, ei ſuffragantur, vt loco citato in Logica notauimus.

Defenſio. detegunt. Confutatio iſthæc, & ex Raguſeo cap. 18. cart. 282. & ex Contareno cap. 5. cart. 131. ſumpta eſt.

Raguſeus ſcribit. *Ariſtoteles in eo loco, vbi de hac proprietate ſermonem habet, de prædicamentali ſubſtantia loquitur, vt genus quoddam eſt à cæteris prædicamentis diſtinctum; vult igitur ibi ſubſtantiæ proprietates aſsignare, quibus totum ſubſtantiæ genus à quocunque alio genere diſtinctum intelligatur: ſed totum ſubſtantiæ genus, omnes ſubſtantiæ ſpecies, ſiuè ſimplices, ſiuè compoſitæ illæ ſint, complectitur; voluit igitur Ariſtoteles proprietatem illam ſubſtantiæ non ſoli ſubſtantiæ compoſitæ, ſed toti ſubſtantiæ generi conuenire.*

In fine capitis eiuſdem Raguſeus tradit *Non habere contrarium* competere ſubſtantiæ tam ſecundum profunditatem, ideſt ſubſtantiæ directè: quàm ſecundum latitudinem, hoc eſt ſubſtantiæ lateraliter, & indirectè: de qua re idem Raguſeus cap. 15. cart. 277. ergo primam rationem cum declaratione noſtri

Of-

Offenſores à Raguſeo accipiunt.

Immò & primam, & ſecundam rationem ſumunt à Contareno quæſt. dicta de formis ellementorum cap. 5. cart. 131. *Videtur etiam ibi loqui de omni ſubſtantia, quæ quotumque modo attineat ad prædicamentum; nam agit ibi de prædicamento ſubſtantiæ, prout à quocunque alio accidentium prædicamento contradiſtinguitur, &c.* Hæc ratio ad verbum ab Offenſoribus tranſcripta eſt.

Secundo ait Contarenus. *Cum forma ſubſtantialis, quæ compoſitum eſſentialiter conſtituit, illudque ſecundum totalem rationem ſuæ naturæ perficit: ei ſuas quaslibet conditiones communicet, ideò ſi formæ ſubſtantiali alicuius elementi competat contrarietas, idipſum erit etiam de totali illo elemento compoſito.*

Hic aduerto meos Offenſores omninò remouere contrarietatem a ſubſtantia. Sed in diſp. 5. quæſt. 2. ſoluendo ſeptimum argumentum à me factum, contendunt in ſubſtantia reperiri cõtrarietatem, non ſolum virtualem cum Tatareto, ſed veram contrarietatem, ſcilicet formalem cum Mairone, ergo vt mihi contradicant, ſibi contradicunt. *Offenſores ſibi contradicunt.*

Quamuis nec rectè textum expenderint. Etenim *non habere contrarium*, non competit ſubſtantiæ, vt contradiſtinguitur à quocunque prædicamento accidentis, dicente Ariſtotele, *non eſt autem hoc ſubſtantiæ proprium, ſed etiam multorum aliorum, vt quantitati: bicubito enim, & tricubito nihil eſt contrarium.* Sed neq; differentijs applicauit Ariſtoteles hoc attributum *non habere contrarium*, ſed ſolis ſubſtantijs primæ, & ſecundæ, ideſt generibus, ſpeciebus, & indiuiduis ſubiectis in quid. Quarè ex virtute textus non poteſt hoc attributũ extendi ad formas, vel differentias, quoniam concluſio non poteſt excedere probationem. Probatio autem facta eſt de ſolis ſubſtantijs primis, & ſecundis.

Reſponſio quarta Cremonini eſt, quòd ſubſtantia non ſuſcipit magis, & minus, non quantum ad totum ambitum, ſed quantum ad ſubſtantiam, quæ contrarietatem non habet, cuiuſmodi eſt ſubſtantia tota; nam partes poſſunt habere contrarietatem. Loquitur enim de eo magis, & minus, quod contrarietatem ſequitur. LXXXVI

Offenſores refutant hanc reſponſionem ad numerum 11. ſic.

Non

Offenſio Furtum. 19. *Non quarta, tum quia, vt ibidem diximus ſuſcipere magis, & minus ab Ariſtotele tribuitur ſubſtantiæ vniuerſaliter, vt ab accidente condiſtinguitur, atq; ideò omni ſubſtantiæ etiam diſtributiue competere debet.*

Tum quia, ſi aliqua ſubſtantia magis, & minus ſuſcipit, ergo malè illam aſsignaret proprietatem de tota ſubſtantia, ac in toto ambitu ſuo.

Furtum 20. *3. Tum quia ſi de illo magis, & minus loquitur, quod contrarietatem ſequitur, cum nulla prorſus ſubſtantia, vt diximus, contrarium habeat, nulla quoque ſuſcipiet magis, & minus.*

Tum tandem, quia inferius diſput. 5. quæſt. 5. art. 2. abſolutè oſtendimus, cuicumq; formæ ſubſtantiali magis, & minus ſuſcipere penitus repugnare.

Defenſio detegitur. 19. Raguſeus diſp. 15. cart. 288. refert Cremonini reſponſionem, ſed refutationem remittit ad alium locum, ſcilicet diſput. 19. cap. 7. pag. 383. dicens. *Ariſtoteles in prædicamentis de ſubſtantia diſputans ab accidentibus diſtincta, &c. inter cæteras autem proprietates hæc præcipua numeratur, ſubſtantia non ſuſcipit magis, & minus. Loquitur Ariſtoteles de ſubſtantia, quatenus prædicamentum eſt, ſub quo omnes ſubſtantiæ tam ſimplices, quàm compoſitæ, tam perfectæ, quàm imperfectæ, vel directè, vel à latere continentur. Debet igitur hæc proprietas, quæ ipſi generi tribuitur, quatenus genus eſt, omnibus quoque ſub ſe ſpeciebus contentis conuenire* &c.

detegitur. 20. Tertia ratio illorum; ſi magis, & minus contrarietatem ſequitur, Raguſei eſt diſp. 15. cart. 291. *Magis, & minus dici propter contrarium. At verò ſubſtantiales formæ nullum contrarium recipiunt, vt ſupra oſtenſum eſt: propterea magis, & minus à materia participare non poſſunt.*

LXXXII. Quinta Reſpon. Cremon. refertur ab Offenſoribus num. 10. non negare Ariſtotelem ſubſtantiam aliquam eſſe per ſe ſenſibilem, ſæpius enim diſtinxit Ariſtoteles in ſenſibilem, & intelligibilem; quarè ſicut abſtracta à materia eſt per ſe intelligibilis, ità materialis erit per ſe ſenſibilis.

Vel hoc aſſeruit de ſubſtantijs compoſitis, non ſimplicibus.

Vel denique elementares qualitates cadere ſub ſenſu, vt qua-

litates

litates ſunt, & accidentia, non vt formæ ſubſtantiales.

Refutant has reſponſiones ad num. 11. cart. 22. colum: 1. ſcribendo.

Non quintum, quia cum Ariſtoteles 2. de anima 63. 64. 65. docet, ſubſtantiam non eſſe per ſe ſenſibilem, loquitur in vniuerſum de quacunque ſubſtantia, tàm compoſita, quàm ſimplici, quia in hoc eam ab accidente ſecernit. Offenſio 21. fortis.

Reſponſiones tres Cremonini ſimul ponuntur à Raguſeo pagina 303.

Refutatio primæ reſponſionis eſt in Contareno cart. 130. Defenſio detergitur.

In 2. de anima tex. 63. 64. 65. contradiſtinguit ſubſtantiam ab accidente proprio, & communi per hoc, quod illa ſunt ſenſibilia per ſe, & ſubſtantia non eſt ſenſibilis, niſi per accidens. Idem etiam ex eiſdem textibus dixit Raguſeus cart. 259. & cart. 302. arguit, ſubſtantia quatenus ſubſtantia ſenſibus non ſubijcitur. Ergo nulla ſubſtantia quæcunq; illa ſit, ſiuè ſimplex, ſiuè compoſita, ſenſibus percipi poteſt.

Quod quidem certiſsimè conſtat ex Euchariſtiæ ſacramento. Sinamq; ſubſtantia per ſe ſenſibilis eſſet, tunc, vt arguit Doctor 1. diſt. 3. quæſt. 3. K. & diſt. 22. quæſt. 1. in corpore, poſſet eius præſentia directè, & abſentia ſaltem indirectè ſenſu percipi. Sicut, inquit, Ariſtoteles 2. de anima 113. quod viſus eſt tenebræ perceptiuus, quando ſcilicet lux non eſt præſens, atque ità poſſet ſenſu percipi abſentia ſubſtantiæ in hoſtia conſecrata, quod eſt erroneum, & contra experientiam. XCIII. Offenſio cart. 22. col. 1.

Cremoninus diceret primo falsò citari textum Ariſtotelis: nam in 2. de anima 113. nihil tale eſt, quale aſſeritur. Defenſio falſa citata.

Secundò diceret, ſe omni cum reuerentia, & adoratione debita ſanctiſſimum Sacramentum venerari. Atquè à ſe non ſemel in anno maiore, qua poſſet præparatione recipi ſolitum fuiſſe. Sed ſacratiſſimam rem intra ſacrarium retinendam, & in ſacra ſcientia tractandam. Non eſſe ſanctum canibus proijciendum, neq; margaritas ante porcos. Se non agere, niſi de opinione Ariſtotelis, & ſequacium, qui ſunt plerique pagani, Maumetani, hæretici, & ſequuntur ſenſum, ac rationem ſenſibus innixam: nec tenent reuelationes ſupernaturales. Exponitur ſanctiſſi-

N ma

ma Euchariſtia denſui ipſorum; vt Auerroes deriſit, dicens ſe nullam gentem inueniſſe tàm ſtultam, quàm gentem Chriſtianorum, quæ manducat Deum ſuum. Subiungetque cum Sacto Bernardo, *quid mihi de miraculis, qui naturam quæro?*

Tertio diceret, credi quidem certiſſimè poſt conſecrationem Chriſtum eſſe in Sacramento ſacramentorum: ſed falsò à vobis dici hoc conſtare, cum neque ſenſui, neq; intellectui hoc ſit manifeſtum: Deo ſcilicet ità diſponente ad meritum fidei, vt nullam poſſimus habere experientiam de veritate ſacramenti. Ideò vos non benè dicere aliquid de Sacramento per experientiam cognoſci. Argumentum ergo veſtrum in philoſophia naturali procedit ex ignotis, & nihil probat. Sed quoniam Sacramentum Euchariſtię quater accipitis in hac diſputatione, mementote Scoti in prima Prologi reprehendentis Auicennam, qui ſectæ ſuæ dogmata miſcuit cum philoſophicis; ſicut & vos facitis. Id conſiderabimus in fine, nam ſeparanda ſunt ſacra à prophanis.

XCIV. Offenſio. 22. furtũ Carr. 22. col. 1.

Dum autem Ariſtoteles aſsignauit ſubſtantiam ſenſibilem ab intelligibili diſtinctam, ſanè non intellexit eſſe per ſe ſenſibilem, ſed tantum ratione accidentium, quæ ſubiectat, hoc enim ſufficit ad ponendum inter vtranque diſcrimen, quia per nullum accidens inhærens, illa cognoſci poteſt, nec vltra opus eſt, vt qua ratione vnum eſt intelligibile, eadem ratione alterum ſit ſenſibile.

Defenſio detegitur

Contarenus carr. 130. ſcribit *Verificatur, vt ſcilicet omne ens ſit, aut intelligibile, aut ſenſibile aliqualiter, vel ſcilicet per ſe, vt accidentia ſenſibilia, vel per aliud, vt ſubſtantia materialis ſenſibilibus accidentibus affecta. Nec neceſſarium eſt, vt qua ratione vnum eſt intelligibile, eadem ratione alterum ſit ſenſibile.* Similia dicit Raguſeus carr. 305.

Offenſio. 23. furtũ.

Ac prorſus etiam voluntarium eſt, quod ibi addebatur, dici poſſe qualitates illas ſub ſenſu cadere, vt accidentia ſunt, non vt ſubſtantia.

Sic enim eadem prorſus entitas eſſet in ſimul ſubſtantia, & accidens, ſentiretur, & non ſentiretur diuerſa ratione.

Defenſio detegitur

Ita Contarenus carr. 131. contra hanc reſponſionem infert, *ſequeretur idem ens ſimpliciſsimum eſſe inſimul ſubſtantiam, & accidens.* Ità quoque Raguſeus carr. 303.

Offenſio.

Tum quia ad ſenſum tactus pertinet cognoſcere omnem exuberantiã,

vt

vt ait Ariſtoteles 2. de anima 118. ergo poteſt ſenſus tactus cognoſcere qualitatem in quolibet gradu, etiam in ſummo, vt patet experientia, ergo adhuc vt ſubſtantia per ſe ſentiretur, quia ad talem gradum redacta, euadit ſubſtantia.

Non potui reperire authorem huius argumenti, niſi vos. Neque mirum, quoniam in veſtra diſput.5. quæſt.2.art.2.in fine ad cart. 256. col. 2. reprehenditis atrociter Peripateticos, eò quod Ariſtotelis propoſitiones indefinitè prolatas accipiunt, vt vniuerſales. Quod in alijs reprehenditis, nunc facitis; nam in tex. 118. Ariſtoteles ponit ſenſum cognoſcere *exuperantiam* indefinitè, vos falſificando textum apponitis ſignum vniuerſale, *omnem exuperantiam*. Nam ſine vniuerſali ſigno nihil probaretur. Sed Contarenus, & Raguſeus non ſolent falſificare textus. Defenſo

Sexta Reſponſio Cremonini data ad nonum argumentum Latinorum eſt in Raguſeo cart. 292. quam reſponſionem referunt Offenſores, & ad cart.22. colum. 2. refutant his verbis. XCV.

Neq; etiam valet ſextum effugium, quia qualitas in gradu intenſo non differt à ſe ipſa in gradu remiſſo, niſi ſecundum magis, & minus, at differentia inter magis, & minus (vt eſt apud omnes in confeſſo) non variat rationem ſpecificam, tantò minus genericam, quis enim credet, quod eadem qualitas, quæ in 2. gradu verbi gratia erat accidens, euadat ſubſtantia, ſtatim ac tertium, vel quartum gradum attigerit? Offenſo. 24. factū.

Contarenus cart. 128. *quoniam talis diuerſitas non eſſet aliter, quàm per magis, & minus, quæ tamen differentia maioris, & minoris, cum nequeat variare ſpeciem, longè minus apta erit ad immutandum genus, vt accidens tranſeat in rationem ſubſtantiæ.* Defenſio detergitur. Raguſeus cart. 285.

Audiuimus rationem veſtram ex Contareno raptam; ſed vos ad probandam maiorem additis, vt *apud omnes eſt in confeſſo*. Magna laus. Fieri ne poteſt, vt legeritis omnes? Sed Græci, vt Aphrodiſeus, Philoponus, Themiſtius, & eorum ſequaces tàm multi putant per magis,& minus variari ſpeciem, & genus. Quid ergo non ſunt de numero hominum iſti? Sed apud Morales magis, & minus ità ſpeciē variant, vt minus ſit in vitio, magis in virtute, & è contra ex lib. 2. atque 3. ad Nicom. Fortè, & Ariſtoteles, quia Græcus eſt, apud vos non eſt inter homines nu-

Vide ſuperius circa num. 47. merandus. Sed & doctor Seraphicus vobis eſt delendus ex albo hominum, & doctorum, nam in 2. ad 42. num. 56. & 3. diſt. 9. num. 68. & alibi docet per magis, & minus quandoque ſpeciem variari. In arte Medica quatuor gradus in herbis, & animalibus ſolent ſpecificè diſtingui: ſed quod apud vos eſt inconfeſſo, apud omnes eſt in confeſſo, vt video.

XCVI. Offenſio. cart. 21. col. 1. *Denique innuit (*Cremoninus*) alium euadendi modum dicens, ſubſtantiales elementorum formas, non eſſe qualitates ipſas, ſed connexionem duarom qualitatum, &c.*

Ad cart. 22. col. 2. num. 11. Impugnant reſponſionem iſtam tali argumento.

Vnio eſt relatio, relatio non habet vim tranſmutandi accidens in ſubſtantiam, ergo &c.

Defenſio detegitur. Hoc primum argumentum eſt Raguſei car. 268. cap. 8. ſcribentis. *Vnio nil aliud eſt, quàm relatio: At nulla relatio habet vim tranſmutandi qualitatem in ſubſtantiam, cum ex non ſubſtantia, ſubſtantia fieri nequeat, vt in 1. phyſ. ſi igitur quatuor primæ qualitates perſè accidentia ſunt, non poteſt fieri, vt etiam ſi cum alijs ſimul iungantur in ſubſtantiam commigrent.*

Aliud Argumentũ Offenſores proferunt tale, ſi tamen aliud.

Offenſio 26 furtũ. *Tum quia ſi ante vnionem erant illæ qualitates purè accidentia, nequeunt ex vi ſolius vnionis ſuperadditæ fieri ſubſtantiæ. Vnio enim ſolum extrema copulat, & nectit, non autem earum naturam eſſentialiter immutat.*

Tum quia ex non ſubſtantijs ſubſtantia coaleſcere nequit ex 1. phyſ. 52.

Defenſio detegitur. Raguſeus loco cit. cart. 262. commemorauit textum, ſed non commemorauit numerum textus. Benignè vobis occurrit Contarenus, qui cart. 132. & textũ & numerum textus profert. Legatur iterum defenſio proximè præcedens.

CAPVT III.

Alia in eadem quæſtione furta deteguntur.

XCVII. Offenſio. Offenſores, quæ ordinatiſſimè ſcripta ſunt à Raguſeo, confundunt; poſuerunt quatuor rationes ex Raguſeo. Collegerunt reſponſiones Cremonini ex eodem. Sumpſerunt con-

tura-

futationes ex Contareno, & Raguſeo, confusè admodum. Idcirco ad num. 12. cart. 22. colum. 2. poſt diſputationem exactam iterum reuertuntur ad ingenium, & argumentum, quod erat primum in Raguſeo, nunc ferè vltimo loco ponunt. Putant enim ſe poſſe facilius latere, ſi ordinata inordinatè ponantur.

Itaque loco cit. ſic ſcribunt.

Deinde probari ſolet à Latinis euidenti ratione, etiam in ipſo Ariſtotele fundata. Nam 1. phyſ. 23. & 30. ac 3. metaph. 17. Quod vni eſt accidens, alteri nequit eſſe ſubſtantia. Quæ propoſitio maximè veritatem habet in his, quæ dicuntur vniuocè. Sed qualitates prædictæ, quæ conueniunt vniuocè omnibus corporibus, tam mixtis, quàm ſimplicibus, in illis ſunt accidentia, ergo etiam in iſtis. Maior, etiamſi ſit Ariſtotelis, etiam ratione probatur. Offenſio furtũ. 26. 27. 28.

Tum quia ſubſtantia, & accidens non ſolum indicantur ex ſola comparatione ad aliud; ſed quia in ſe talis ſunt conditionis, & naturæ, ergo nequit idem ad diuerſa comparatum modò ſubſtantia eſſe, modò accidens, quia quod de ſe eſt tale, vbicunque ponatur ſemper eſt tale. 5.

Tum quia forma ſubſtantialis dat eſſe ſimpliciter, accidentalis ſecundum quid, modò explicato 2. phyſ. quæſt. 1. art. 3. adeò vt omninò implicet tenorem hunc variari, vt ibi probauimus. 5. 3.

Raguſeus cart. 258. cap. 2. ſecundæ partis duodecim rationes conficit. *Prima eſt, quod vni eſt ſubſtantia, alteri accidens eſſe non poteſt. Vt habet Ariſt. 1. phyſ. 27. & 30. Sed quatuor primæ qualitates, vt accidentia in mixtis corporibus inhærent, ergo formæ ſubſtantiales elementorum eſſe non poſſunt.* Defenſio detegitur.

Contarenus quæſtione citat. cart. 127. ſic *Ex his, quæ vniuocè dicuntur, quod vni eſt accidens, non poteſt alteri eſſe ſubſtantia, vt habetur ex 1. phyſ. contextibus 27. & 30. non enim licet oppoſitum prædicati conuenire ſubiecto; ſed primæ qualitates (quæ vniuocè dicuntur in ſimplicibus, & mixtis, vt apparet ex iudicio ſenſus, ac ex identitate diffinitionis, quam æquè in mixtis, ac in ſimplicibus corporibus obtinent) ſunt in mixtis accidentia: ideò non poſſunt eſſe ſubſtantiæ in elementis.* Iſti expilatores quod additur de vniuocè dictis, accipiunt ex Contareno. Sed tamen, & Raguſeus ad inſtantiam Cremonini de ſcientia, quæ in Deo eſt ſubſtantia, in nobis eſt accidens; dicit, maiorem Ariſtotelicam in vniuocis eſſe veram.

ram. Itaque nihil de proprio dicunt. Immò verò de proprio citant textum tertij metaph. 17. ſiquidem neque Raguſeus, neque Contarenus citant textum iſtum, ergo Offenſores hoc ex ſe inuenerunt. Immò neq; hoc inuenerunt. Quod enim non eſt, inueniri nō poteſt; ſed illa maior, quod vni eſt accidens, alteri non poteſt eſſe ſubſtantia, in 5. metaph. 17. non eſt, ergo ab iſtis inueniri non potuit.

falſa citatio.

Secundus §. quia ſubſtantia, & accidens non dicuntur talia in comparatione ad aliud, ſed ex ſe, eſt Raguſei cart. 258. Et idem argumentum repetitur cart. 274. Additurque maxima, *Qualecunq; quid eſt, vbicunq; ponatur, ſemper idem erit.*

Tertius §. Quòd forma ſubſtantialis dat eſſe ſimpliciter, accidentalis ſecundum quid, eſt Raguſei cart. 268. ijſdem prorſus verbis.

XIC. Offenſio. cart. 23. col. 1.

Dices, quòd licèt ſubſtantialis forma quantum eſt ex ſe, det eſſe ſimpliciter, tamen ſi adueniret enti completo, tunc daturam eſſe ſecundum quid, & ſic euaſuram accidentalem.

§. 2. Hic caſus eſt impoſsibilis, quia ens completum non eſt ordinabile ad vlteriorem formam, quæ det eſſe ſimpliciter quantum eſt ex ſe, alioquin nunquam fieri ſubſtantialis corruptio; nam hæc fit ob aduentum formæ ſubſtantialis diſparatæ; ſed ſi iſta tunc accidens eſſet, iam compoſsibilis eſſet cum præcedenti.

3. §. Minor principalis argumenti ab Aduerſarijs conceditur, & ſanè negari nequit; nam videmus mixta caleſieri, & frigeſieri abſq; aliqua ſubſtantiali mutatione.

4. §. Et in Euchariſtia videmus illas remanere abſcedente ſubſtantia panis, & vini.

Defenſio furtū ſacrido non facta.

In 4. §. Rurſus res maximè ſupernaturalis intra naturalis luminis anguſtias concluditur. Sed & hoc argumentum tangitur à Raguſeo cart. 277. in fine cap. 13.

In cæteris particulis 2. 3. perficitur argumentū pro Latinis.

Ad quod argumentum nomine Cremonini Offenſores afferunt reſponſionem cart, 23. col. 1. ſic.

Offenſio. 29 furtū. 1. Inſtantia. 2. Inſtantia.

Reſp. Cremon. maiorem illam non eſſe abſolutè veram, quia intellectio in Deo eſt ſubſtantia, & in homine accidens.

Figura rotunda Cælo eſt ſubſtantialis, inferioribus corporibus accidentalis.

Sit

Et forma ſubſtantialis dicitur accidens reſpectu materiæ, quia ei accidit, & ſubſtantia reſpectu compoſiti, quod ſubſtantialiter conſtituit. 3. Inſtantia.

Inquit ergo eſſe verum, formam, quæ vni accidentalis eſt, alteri ſubſtantialem eſſe non poſſe, ſi eodem modo ab vtroque participetur, at falſum eſt, ſi participatur diuerſimode: & ideo quia calor in mixto non perfectè participatur ab ipſo, nec calor in eo eſt ad eum gradum progreſſus, vt poſſit ſubſtantialiter determinare, ideo eſt accidens, & à materia ignis perfectè participatur, ità vt ſubſtantialiter poſſit determinari.

Hucuſque reſponſio pro Cremonino affertur.

RAguſeus cart. 269. cap. 6. tertiæ partis ad initium affert reſponſionem Cremonini, cum tribus datis inſtantijs. Reliqua, quæ in applicatione adijciuntur non ſunt in capite 6. apud Raguſeum, ſed in 11. cart. 274. vbi reſpoſionem formalem refert datam à Cremonino. Vnde apparet iſtos tranſcriptores confusè protuliſſe, quæ ordinatè à Raguſeo ſuis locis poſita ſunt. Defenſio de regi. tur. 29.

Fortè dicet quiſpiam, Raguſeum non retuliſſe integrè dicta Cremonini in reſponſione adhoc argumentum, ſed offenſores ex Cremonino integram referre.

Reſpondeo, me nunc habere in manibus librum Cremonini de formis elementorum, qui ſect. 3. cap. 2. ſoluit argumentum propoſitum ex 1. phyſ. 27. & 30, quod verè eſt, nulli accidit: & ex collatione cum Raguſeo comperio, Raguſeum fideliter, & integrè omnia retuliſse. Offenſores autē arbitror, ne vidiſſe quidē librum Cremonini loco citato, ſed ex tribus locis Raguſei conſarcinaſſe iſta, ſcilicet ex cart. 269. ex cart. 265. & ex cart. 264. An id fecerint, ne deprehenderentur quaſi fures, aliorum eſto iudicium.

Sed ad cart. 23. col. 2. num. 13. Offenſores aiunt contra reſponſionem.

Hæc ſolutio facilè infringitur; nam calor, quando perfectè participatur à ſubiecto, &c. 1C. Offenſio.

Hoc argumentum ſuperius factum eſt ab Offenſoribus, & eodem ferè ſenſu, non verbis, & habetur à Raguſeo cart. 285. Defenſio

& cla-

& clarius cart. 273. in fine octaui capituli, cum inquit. *Dum contendit caliditatem eſſe formam ſubſtantialem ignis, & eandem nihilominus accidere mixto: obſecro, eſt ne eadem re ipſa caliditas, quæ ignem conſtituit, & quæ mixto corpori accidit? Si eadem ſaltim genere, quomodo in igne ſubſtantia, in mixto verò qualitas eſſe poteſt? quænam eſt ratio huius metamorphoſeos? vt ſcilicet de ſubſtantia in qualitatem mutetur. Si autem non eſt omninò eadem, ergo caliditas in igne aliquid ſecum affert, quod non adeſt in mixto: quod certè aliud eſſe non poteſt, niſi forma ſubſtantialis in igne latens.*

Offenſio. Cart. 23. col. 2. n. 13. 30. furtũ. *Nec allatæ inſtantiæ maiorem illam labefactant, non illa de intellectione, aliiſque attributis Deo, & Creaturæ communibus: hæc enim omnia purum conceptum, non autem realitatem adæquatam, &c.*

Defenſio. detegitur. Quæ ſcotica ſunt, ſed à Græcis non recipienda Videatur Fauentinus 11. metaph. diſp. 1. cap. 3. cart. 843. colum. 2. ad hoc; *vnde, & acceperunt regulam diuerſorum generum, & non ſubalternatim poſitorum.*

Offenſio. 31. furtũ. *Nec etiam obſtat inſtantia de figura Cæli, licèt enim ſit accidens ab ipſo naturaliter inſeparabile, atque ideo phyſica ei neceſſitate connexum, non tamen metaphiſica, & logica, ità qnod de ipſo prædicetur in primo modo dicendi per ſe, vt Cremoninus arbitratur.*

32. furtũ. *Nec denique vrget tertia inſtantia de forma reſpectu materiæ, aliud enim eſt loqui de accidente prædicabili, aliud de prædicamentali, forma reſpectu materiæ eſt accidens prædicabile, non prædicamentale.*

Defenſio. Raguſeus parte 3. cap. 6. & 7. reprobat inſtantias Cremonini tres. primam tamen terminis Ariſtotelicis, non Scoticis.

detegitur 31. Secunda cart. 271. vbi diſtinguit accidens ſeparabile, & inſeparabile, diſtinguit neceſsitatem logicam, & metaphyſicam, & phyſicam, atque rem ipſam explicat, & diſtinctè ad argumentum applicat. Licèt vocabula iſta non ponat. Neceſsitas logica eſt non repugnantia terminorum; & abſtractione præciſiua poteſt metaphyſicè concipi accidens ſine ſubiecto, & è contra ſubiectum ſine accidente quamuis inſeparabile naturaliter. Offenſores autem ponunt vocabula, ſed rem non explicant, neque applicant reſponſionem ad argumentum in forma, ſicut Raguſeus fecit. Contarenus cart. 128. idem etiam dicit de figura Cæli, In vocabulis eſt diſcrimen, in re non eſt.

Ter-

Tertia inſtantia item refutatur à Raguſeo cart. 170. & à Contareno cart. 128 alijs verbis eodem ſenſu. 32. detegitur.

Poſtremò probatur, tum quia videmus aquam calefactam, cum ab igne remota fuerit, priſtinam frigiditatem in ſe reparare, ſignum euidens, aliud in ea reperiri principium, frigiditatem anteuertens; in quod talis operatio referri debet, cum ſufficienter referri nequeat in ipſam frigiditatem remiſſam, quia vniuerſaliter nulla qualitas poteſt ſe ipſam intendere in ſuo ſubiecto. C. Offenſo. cart. 24. col. 1. n. 14. 33. furti

Raguſeus cart. 294. verſus finem. *Cum videamus calefactam aquam, remoto calefaciente, & ſua natura relictam priſtinam frigiditatem recuperare, atqui caliditatem, quæ in ea violenter manebat, ab eadem recedere, neceſſariò dicendum eſt calefactam aquam vnà cum prima materia ſuam etiam ſubſtantialem formam retinere, &c.* Defenſo detegitur.

Tum quia in Euchariſtia videmus has qualitates remanere, &c. Offenſo.

Rurſus ſupernaturalia confunditis cum naturalibus. Rurſus quæ ſupernaturalia myſteria ſunt, dicitis vos videre. Ineptè igitur Eccleſia canit de hoc myſterio myſteriorum. Defenſo

Quod non capis, quod non vides
Animoſa firmet fides
Præter rerum ordinem.

Quæ igitur ſpectant adhoc ſacramentum ſunt extra ordinem rerum naturalium, nec ſunt ad propoſitum.

Tum tandem, quia eodem pacto dici poſſet mixta his accidentibus conſtitui ſubſtantiam. Offenſo 34. furti

Ità offenſores cart. 24. colum. 1. num. 14. vſque ad 15.

Raguſeus habet iſta in diſp. 15. cart. 259. cap. 3. Defenſo detegitur.

Inſuper Offenſores cart. 24. col. 2. num. 15. afferunt argumenta Cremonini ex authoritate Ariſtotelis. Quæ authoritates ſunt in Raguſeo diſp. 15. part. 1. Refert autem Raguſeus decem & nouem authoritates à Cremonino citatas, ſecutus ordinem arguentis. At iſti Offenſores mirè perturbant omnia, ſicut ſæpia ſuo nigrore pertubat aquam, ne deprehendatur. Cf.

Primo refero argumentum ex Offenſoribus.

Ex 2. de generat. tex. 6. & 7. vbi ait Ariſtoteles contrarietates cum materia eſſe principia, & formas, quibus conſtituuntur elementa; Offenſo 35. fur

36. furtū.

Idem habet 2. de anima 117. & 1. phyſ. 54. elementa eſſe contrarietatibus complexa, ideſt qualitatibus contrarijs.

Defenſio detegitur.

Primo loco ponunt decimam quartam, & decimam quintam authoritates relatas à Raguſeo pagina 255. & 256.

Textus 1. phyſ. 54. eſt in authoritate nona citatus à Raguſeo 1. textū verò 2. de anima 117. non reperi in Raguſeo, & ſanè miratus eſſem, ſi offenſores hunc textum à ſe poſuiſſent, ab alio non rapuiſſent. Non poteram acquieſcere. Et ecce in Ioanne Baptiſta Contareno diſp. de formis elementorum cart. 126. reperio textum citatum 117. ſecundi de anima ad rem propoſitam. Idem Contarenus diſput. cit. affert 1. phyſ. 54. in 1. argumento. In 6. & 9. textum ſecundi de generat. 6. Dicam paucis omnes has authoritates reperio in Contareno pag. 124. 125 126.

Offenſio. 37. furtū.

Secunda eſt ex eodem 2. de generat. 24. vbi ait elementa eſſe inuicem contraria, quia eorum differentiæ ſunt contrariæ. Quod autem loquatur de differentijs ſpecificis patet, quia hinc colligit elementa in ſe tranſmutari, quod non, niſi per differentias ſpecificas contigere poteſt.

38. furtū.

Idem habet 1. de gener. 18. vbi ait diſtingui ignem, & aquam per calidum, & frigidum tanquam per differentias.

Defenſio. deteguntur.

Raguſeus dicta diſp. 15. cart. 255. in 12. authoritate eadem prorſus habet circa locum ſecundi de generat. 24.

Locus ex 1. de gener. 18. eſt in Raguſeo pag. eadem authoritate 10. Sed & Contarenus cart. 125. argumento 10. & cart. 124. argumento 7. has duas authoritates profert.

Offenſio. ex Cont. car. 126. arg. 14. 39. furtū.

Tertia tex. 49. einſdem libri ait elementa ignem, & aquam eſſe inuicem ſubſtantialiter contraria, adeo vt ſubſtantia ſubſtantiæ contrarietur. Sed non ſunt contraria, niſi per qualitates, ergo.

Defenſio detegitur

Raguſeus pag. dicta 255. authoritate 13. textum hunc habet.

Offenſio. ex Cont. car. 126. arg. 17. 40. furtū

Quarta ait 2. de anima 28. quod ſiccis, & calidis, frigidis, & humidis aluntur omnia viuentia. Si ergo illa, quibus aluntur viuentia, ſubſtantiæ ſunt, tale quoque erit ſiccum, & calidum, &c.

Defenſio. detegitur

Raguſeus cart. 253. in 2. authoritate hunc textum ſcribit: vnde, & partem hanc argumenti ſequerunt.

Offenſio cart. 126 ar. 19.

Quinta lib. 3. de anima 10. ait eſſentiam carnis conſiſtere in calido,

do, & frigido; ſed caro eſt ſubſtantia, ergo. furtũ. 41.

Raguſeus eadem pagina 253. authoritate tertia hunc textum, Defenſio. detegitur
& argumentum habet.

Sexta lib. de ſenſ. & ſenſib. inquit, quod ignis agit, non qua ignis, ſed qua calidus. Sed accidens nequit producere ſubſtantiam. Offenſio. 42. furtũ ex Cont. car. 126. arg. 20.

Offenſores magnum ſaltum faciunt apud Raguſeum. Quia ex cart. 253. ad cart. 258. & 296. migrant. Accipiunt argumentum non ad probandum propoſitum, quod qualitates ſint formę ſubſtantiales, ſed quod accidens non poteſt producere ſubſtantiam. Non faciunt ſaltum in Contareno, imò illa ipſa pagina 126. & præcedens, & ſequens continet argumentum. Defenſio. detegitur

Septima lib. 2. de partibus animalium cap. 1. ait qualitates, & virtutes elementa res eſſe materiam mixti, ſed materia mixti debet eſſe ſubſtantia, ergo &c. Offenſio ex Cont. car. 126. arg. 21.

Reuertuntur ad cart. 253. in Raguſeo, qui hanc authoritatem 1. loco affert, quam iſti vltimo loco ponunt. Sanè ſi ex Cremonino afferre voluiſſent, vt antagoniſtæ: debuerant quemadmodum Raguſeus fecit ſeruare ordinem Cremonini. at volebant rapere, & rapta ex Raguſeo, occultare. 43 furtũ. Defenſio. detegitur

CAPVT IV.

Reſponſiones ad Argumenta Cremonini ex Authoritate ab alijs accepta oſtenduntur.

OFfenſores pag. 25. col. prima num. 15. ad has authoritates Ariſtotelis à Cremonino allatas, ità ſatisfaciunt. *Reſpondetur facillimè ad hæc omnia. Facilimè vtique*, quoniam nullo ſuo labore, vel dolore has ſolutiones pepererunt. Mater, quæ filios parit, magno labore, atque dolore enititur. Quæ alienos partus ſurripit, nullo dolore, modico labore parta congerit.

Reſpondetur facillimè ad hæc omnia. Ad 1. & 2. aliaſque ſimiles authoritates, quibus innuere videtur, primas qualitates eſſe ſubſtantiales elementorum formas, eſt communis ſolutio, non dici elementorum formas, & principia, quatenus elementa ſunt quædam corpora Offenſio acceptilatio,

eſſentialiter conſtituta: ſed quatenus ſenſibilia ſunt, & actiua, & paſſiua in communi rerum generatione.

Vnde cum Ariſtoteles ſic loquitur, vel elementa conſiderat in ordine ad mixtionem, vel naturas elementorum circumſcriptiuè explicat per paſſiones, tanquam per aliquid notius. Vel demum qualitates vocat principia elementorum, quatenus ſunt diſpoſitiones, & origines eorum quò ad ſubſtantiam; & quidem non niſi in aliquo ex his ſenſibus loquitur citatis locis.

Vnde 2. de generat. 6. & 7. conſiderat ipſa in ordine ad mixtionem, & ſenſationem, vt conſtat ex ipſo contextu 2. de anima 117. loquitur de ipſis præcisè in ordine ad ſenſationem, & quatenus ſenſibilia ſunt; quærit enim ibi quodnam ſit obiectum ſenſus.

Defenſio. Reſponſiones iſtæ afferuntur eædem, & à Contareno, & à Raguſeo diffuſius, & explicatius. Sed quoniam ipſi Offenſores confitentur has reſponſiones eſſe communes, nolo eſſe diligentior iuſtò in eis quærendis.

Offenſio. Cart. 27. col. 1. n. 16. *Tentauit Cremoninus has omnes infringere ſolutiones, non ſufficit, ait, illa ſolutio, quod Ariſtoteles loquitur de elementis, vt ſunt principia generationis mixtorum, quia adbuc principium generationis mixtorum debet eſſe ſubſtantiale, cum accidens nequeat producere ſubſtantiam.*

44. furti *Neutra tamen ſolutio infringitur. prima ſubſiſtit adhuc, quia cum dicimus elementa conſtitui principia mixtorum per qualitates, non intelligimus de principio principali, tale enim vtique eſt ſola ſubſtantialis elementorum forma, cui etiam immediatè competit actio generatiua, & ſubſtantialis. Sed loquimur tantum de principio inſtrumentali, cui tantum conuenit actio diſpoſitiua, quæ merè accidentalis eſt.*

Defenſio detegitur. Contarenus cart. 140. cap. 9. §. ad ſecundum. Idem dicit in refutando aduerſario. *Quamuis operationes elementorum procedant proximè ex qualitatibus, tanquam ex cauſis inſtrumenarijs, principalem tamen cauſam, ac ſubſtantialem requirunt, nempè formam ſubſtantialem, cuius ipſa etiam qualitates tanquam ex præcipua virtute dependent. Eamque præſertim requirit actio generandi, tum elementum ſimile, tum etiam mixtum*, &c. Hoc idem iterum dicitur à Contareno cart. 145. §. *Nec officit, quod actio Elementorum* per inſtrumentum &c.

Alte-

Altera ſolutio datur à Cremonino, quæ ità refertur, & refutatur ab Offenſoribus. CII.

Nec etiam valet (inquit) altera ſolutio de circumſcriptione formarum elementorum per qualitates; quia res occultas, & proprio nomine carentes ſolet Ariſtoteles ſignificare nominibus fictis, & aliunde mutuatis. Si ergo Ariſtoteles in elementis agnouiſſet formas ſubſtantiales à qualitatibus diſtinctas, certè illis noua nomina impoſuiſſet cum ſæpè, ac præſertim initio 4. de Cælo mentionem faciat de eis, quibus non ſunt impoſita nomina. Contra hanc reſponſionem ſic, Obijciunt *Altera quoque viget, nam optimum quidem eſt imponere nomina rebus, quando res ipſæ ſunt aliqualiter notæ, at cum penitus abditæ ſunt, & occultæ, vt in propoſito ſunt elementorum formæ, non poſſumus eis nomina imponere, ſed tunc explicandæ ſunt à poſteriori per earum effectus, ac proprietates, vt dicitur 1. de anima 11. Quod eò conſultius fit, quanto hæ proximiores ſunt ipſi formæ ſubſtantiali, vnde in propoſito ad circumſcribendas elementorum formas aptiores ſunt primæ qualitates, quàm grauitas, & leuitas, cum primæ ipſæ qualitates proximiores ſint formis, ſuntque priores, & cæteræ omnes ex illis dependent. Ideò iurè negauit Ariſtoteles 2. de generat. 8. leuitatem, & grauitatem eſſe elementorum formas.* Offenſio 41. furti 46. furti 47. furti

Contarenus cart. 139. eadem fortaſſe ſcribit, dicens. *Optimum eſſe quidem adhibere nomina rebus, quando res ipſe ſint per ſe aliqualiter notæ: cum autem penitus abditæ ſunt, nec aptæ eis nomina imponere licet, tunc explicandæ ſunt per earum effectus, & proprietates, quales in elementis ſunt illorum qualitates, quæ aptiſsimæ ſunt tum ad denotandam inexiſtentiã formarum, ex quibus dependent, &c.* Defenſio detegutur.

Et paulò ſuperius, *ex accidentibus ab illis prodeuntibus aptiſsimis ſubſtantiarum cognoſcendarum inſtrumentis ex 1. de anima 11. manuducitur.*

Et infra. *Elementorum affectiones propriæ, & principales, per quas circumſcribi poſſunt, cum duplices ſint, nempè quatuor primæ qualitates, & grauitas, ac leuitas: aptiores huic deſcriptioni videntur primæ qualitates, quàm grauitas, & leuitas; cum ipſæ primæ qualitates proximiores ſint formis, ſintque priores, & cæteræ omnes ex illis dependeant.*

Quod ſubditur ex lib. 2. de generat. 8. ſumptum eſt ex eodem

Con-

Contareno in ſolutione ad illum contextum cart. 142. in fine.

Offenſio. cart. 26. col. 1. 48. furtũ *At reclamat Cremon. & veluti ingens abſurdum infert ponere elementorum formas occultas ignotas &c. Quod tamen apud nos nullum eſt inconueniens: nam ignoramus etiam formas ſubſtantiales mixtorum, quæ ſunt magis obuiæ, auri, argenti, lapidis, ferri, &c. Si ergo hæ ſunt nobis occultæ, ſi proprio nomine carent, cur non idem de formis elementorum dicere licebit?*

Defenſio Contarenus cart. 138. hanc refutationem fecit, §. Tales itaque. Raguſeus quoque diſp. 15. cart. 259. ratione tertia.

Offenſio 49. furtũ *Ad alias authoritates non minus facilis eſt occurſus.*

Ad tertiam, cum ait ibi ignem, & aquam ſubſtantialiter opponi, ſed tamen opponi eò modo, vt contingit ſubſtantiam ſubſtantiæ eſſe contrariam, nimirum medijs accidentibus, quibus ſubiectæ ſunt.

Defenſio detegitur. Apud Contarenum hoc argumentum ex tertia authoritate eſt ad cart. 126. quod fuit aduerſarijs. 14. Reſponſio eſt ad cart. 143. *Elementa inuicem opponi eo modo, quo contingit opponi ſubſtantias, nimirum reſpectu accidentium, quibus affectæ ſunt, qualis tantum contrarietas competere valet ſubſtantijs.*

Offenſio 50. furtũ *Ad quartum non ait viuentia nutriri ſiccitate, frigiditate, &c. Sed ſiccis, calidis, frigidis, humidis, ideſt ſubſtantijs ex qualitatibus affectis, & per hoc patet ad quintum.*

Defenſio detegitur. Contarenus cart. 144. ad 17. dicit. *Ariſtoteles inquit, nutriri omnia viuentia, non ſiccitate, frigiditate, & cæteris, ſed ſiccis, calidis, frigidis, humidis, nimirum ſubſtantijs his qualitatibus affectis.* & ad 19. ex 3. de anima 10. ibidem omnino idem dicit.

Offenſio 51. furtũ *Ad ſextum loquitur ibi de actione alteratiua ad generationem diſponente, non autem de actione generatiua quæ ſoli formæ ignis competit principaliter, non autem calori niſi inſtrumentaliter.*

Defenſio detegitur. Contarenus cart. 144 in ſolutione 20. Nec aliquam vim habet inſtantia, cui reſpondemus, quod *dicendo ignem agere, vt calidum, videlicet inſtrumento caloris, non tollitur efficientia talis actionis à virtute ſubſtantiali ipſius ignis, quæ vt cauſa principalis, ſed mediata per proximum inſtrumentum caloris in externum agit.* Quæ autem de actione diſpoſitiua, & generatiua breuiter tangunt, fuſius dicta ſunt à Contareno paulò ante cart. 139. §. & vltimo circa.

Ad

Ad ſeptimum dicitur ibi *mixtum conſtare ex elementorum qualitatibus, quatenus ex earum temperie coaleſcit, & dicuntur materia mixtorum, quatenus ſunt materialis diſpoſitio ad formam.* Offenſio 52. furtũ

Contarenus cart. 144. ad 21. ſcribit. *Elementa dicuntur materia mixtorum, ipſorumque elementorum forma dicuntur materia formæ mixti, quoniam eis commixtis, contemperatiſque, ac ex talis actus temperiei educitur forma mixti, &c.* Defenſio detegitur.

CAPVT V.

Ad rationes pro Cremonino reſponſiones dantur.

OFfenſores cart. 26. col. 2. num. 17. rationes Cremonini pro ſententia Græcorum afferunt. Quas rationes Contarenus cart. 123. exaratas habet, licèt Compilatores ſecundam rationem in duas diuiſerint.

Prima ratio. Forma non cognoſcitur aliter, quàm per ſuas operationes; ſed in elementis nulla apparet operatio, quæ non procedat à primis qualitatibus, ergo &c. *Ratio prima.*

Reſpondent cart. 26. colum. 2. num. 17.

Reſp. ad 1. negatur minor; nam actio reducendi ſe ad priſtinum ſtatum, cum ab eo deiecta fuerit, ac generandi alias ſubſtantias elementares, & mixtas, ſatis indicat aliam formam qualitatibus ipſis priorem. Offenſio 53 furtũ

Aſtutè, ratio, quæ inter arguendum, fit à Contareno, fit & Raguſeo; hic refertur ad reſpondendum. Defenſio detegitur.

Hæc ratio de forma aquæ reducente ſe ad priſtinum ſtatum eſt facta per Contarenum cart. 134. & 155. per Raguſeum cart. 291.

Ratio de generatione ſubſtantiæ elementaris, & mixtæ data eſt a Contareno in reſponſione ad ſecundum argumentum pro Græcis, quod argumentum ab iſtis diuiſum eſt in primum, & tertium. Legatur ergo Contarenus cart. 140. ſolut. 2. *operationes elementorum procedunt proximè ex qualitatibus tanquam ex cauſis inſtrumentarijs, principalem tamen cauſam, ac ſubſtantialem* requirunt, &c. *Eamque præſertim requirit actio generandi tum elementum ſimile, tum etiam mixtum.*

Tum

Offenſio. Ratio Cremonin. Tum 2. *Illud eſt de ſubſtantia rei, quo ſublato aufertur res, 2. de anima 9. Sed ſublatis primis qualitatibus aufertur elementum.*

54. furtũ *Ad 2. negatur minor, omnes enim proprietates hoc habent, vt eis ſublatis rerum ſubſtantia depereat. Illud igitur, quo ſublato res per ſe primo formaliter, & immediatè tollitur eſt vtique de ſubſtantia rei. & illud, quo ſublato, non niſi conſequenter tollitur eſſentia rei, eſt ſolum proprietas.*

Defenſio detegitur. Contarenus cart. 123. hoc argumentum habet, vt primum. Reſpondet cart. 140. *Optimè Auerroes in 8. metaph. commentario 5. illud argumentum ſoluens dicebat, illud quidem eſſe ſubſtantiam rei, ad cuius remotionem tollitur illius rei ſubſtantia primò, & per ſe: ſubſtantiam verò elementi primo, & per ſe non deſtrui, niſi in remotione ſubſtantiæ, ex remotione enim propriæ qualitatis non deſtrui, niſi per accidens, &c.*

Offenſio. Ratio Cremonin. *Illa eſt forma ſubſtantialis alicuius rei, per quam poteſt ſibi ſimile producere, ſed elementa per qualitates actiuas producunt ſibi ſimile, ergo &c.*

55. furtũ *Ad tertium maior eſt vera de ratione producendi ſimile prima, & principali, qualitates actiuæ elementorum verò ſunt illis rationes producendi ſimile ſolum inſtrumentales.*

Defenſio detegitur. Reſponſio eſt Contareni, quam ſuperius hoc cap. attuli, conſiderando reſponſionem datam ad primum ab Offenſoribus.

Offenſio. Ratio Cremonin. *Tum 4. formæ elementorum ſunt contrariæ, alioquin incorruptibiles eſſent, quidquid enim corrumpitur, à ſuo contrario corrumpitur primo de generat. 50.*

56. furtũ *Ad 4. ſufficit, vt corrumpantur, quod ſint affectæ diſpoſitionibus contrarijs; hæ namque dum ſe ſe à ſubiecto expellunt, dificiunt per conſecutionem formæ ipſæ elementares, & ſic intelligit Ariſtoteles quicquid corrumpitur à ſuo contrario corrumpi, vel per ſe, & primo, vel per accidens, & concomitanter.*

Defenſio. Sicut argumentum diffuſius poſitum eſt à Contareno pagina 124. ſic & reſponſio ad paginam 141. ad quartum Græcorum. Reſponſio eadem eſt: pauca repono, in quibus ſubſtantia reſponſionis conſiſtit. *Duplex contrarietas eſt. per ſe, & propriè, atque hæc eſt in accidentibus; non per ſe, & propriè, ſed quatenus res ſunt affectæ contrarijs, qualis contrarietas competit omnibus ſubſtantijs compoſitis.*

poſitis. Primo modo corrumpuntur accidentia, ſecundo elementa. Quæ propterea corruptibilia ſunt, quoniam iunctas habent primas illas qualitates, quæ dum à ſuis contrarijs ex ſubiecto expelluntur, deficiunt per conſecutionem formæ elementares, &c. Sic tota quæſtio de formis elementorum ex alieno compacta eſt. Facillimum eſt hoc modo magnos libros ſcribere, hoc eſt authores doctrinarum ſuo fructu honoris priuare, ſeipſos illuſtrare aliena luce, lectores labore duplici legendi eadem, & apud authores, & apud vos grauare. Verum, quoniam ſacra prophanis miſcuiſtis, & Chriſtianum myſterium in Ariſtotelem, & ſequaces intruſiſtis: nunc extra naturales diſputationes excutere placet, vnum ex veſtris reſponſis, ſeu argumentis. Quater enim obieciſtis diuinum Euchariſtiæ myſterium; ſed quarta vice dicitis aliquid, quod eſt accuratius penſitandum.

Vide ... apud ...

DISPVTATIO THEOLOGICA.

Diſputat Cremoninus de formis Elementorum inter Philoſophos Peripateticos, vt Peripateticus. Offenſores litem mouent theologicam, quaſi ex opinione illius ſequatur aliquid ſuſpectum in fide catholica circa ſacramentum Euchariſtiæ diuiniſſimum. Sic autem ſcribunt. CV.

Vide Rayn... cap. 3...

Tum quia in Euchariſtia videmus has qualitates remanere, vbi tamen omnis ſubſtantia deperit. Quod tamen magis vrget, ſi cum probabili ſententia teneatur, aquam, etiam in vinum non tranſmutatam, conuerti in ſanguinem, quia tunc non ſola mixti frigiditas remaneret, ſed etiam elementaris aqua, Vnde opinio Cremonini videtur in fide ſuſpecta ob Sacramentum Euchariſtiæ. Offenſor.

Vide Rayn... cap. ...

Si alieni à Chriſto, & Chriſti Eccleſia dicant aliena, non eſt mirandum. Mirandum eſſet, ſi non dicerent. Defenſor.

Vnde Cremoninus in hac parte proferens ſententiam Ariſtotelis, & Græcorum, qui ſolo lumine naturæ ducti loquuntur, non eſt ex ſupernaturali lumine confutandus. Non eſſe ſacra dicta, & dogmata inter naturalia dogmata commiſcenda, manifeſtum eſt per ea, quæ dixit Diuus Paul. in 1. cor. 2. & 2. cor. 6. Cæterùm hoc præclarè, Bartholomæus Spina, olim publicus

in hac Patauina vniuerſitate Metaphyſicus, atque Theologus ex ordine Prædicatorum, poſtea Epiſco. tranſigit in 12. metaph. ad tit. 38. contra Antonium Andream, qui aduerſus D. Thomam metaphyſicè ex Ariſtotelis ductu locutus erat. Antonius And. argumentabatur prolato dicto ſacræ Scripturæ. *In quem deſiderant angeli proſpicere.* Defendit Aquinatem Spina, & corripit Antonium Andream his verbis.

Dedecus quippè maximum eſt, quo præcipuè iſti homines in aſtruendis falſitatibus confunduntur, quòd vbi ſibi deſunt rationes naturales, in corde etiam philoſophiæ recurrant ad ſacras literas pro ſubſidio. Sed ſicut neſcit diuina bonitas patrocinium præſtare criminibus, ſic neſcit diuina ſapientia ſubſidium præbere philoſophicis erroribus. Quomodo autem poteſt per ſacras literas probari philoſophum in verbis ſuis habuiſſe hunc, vel illum ſenſum, cum philoſophus ſacris literis non inhæreat? Et plura ibi; ex quibus patet, quàm nulla ſit in naturalibus probatio procedens ex ſupra naturalibus. Vt minimum eſt, ex ignotis proceditur, & petitur principium in probando; at maximum eſt, quod fidei veritates exponuntur deriſui, dum opponuntur ijs, qui fidem non habent. Authoritas diuina tanquam humana contemnitur, quoniam diuina eſſe proponitur, nec probatur. Dicetque aduerſarius, quemlibet mendacem poſſe ſua placita pro diuinis venditare, ſi credantur eſſe diuina ad placitum proferentis.

Interea, quoniam iſtis philoſophis Offenſoribus non philoſophicè procedentibus, viſum eſt, ſe Theologos oſtentare inter puros philoſophos; nos ſeparantes tractationem à tractatione, duo peragemus circa oppoſitionem in Offenſione propoſitam.

Primum eſt de Antecedente illo. *Opinio aſſerens, Aquam immediate in ſanguinem Chriſti conuerti, eſt probabilis.*

Secundum De conſequentia iſta: *ſi opinio hac, dicens Aquam non tranſmutatam in vinum conuerti in ſanguinem, ſit accepta, opinio Cremonini eſt ſuſpecta in fide circa Euchariſtiam.* Exordiamur à primo.

Pro hac veſtra oppoſitione excutienda duo mihi tractanda eſſe video.

Primum de veſtro antecedente: opinio aſſerens, aquam non mutatam

tam

iam in vinũ, immediatè in ſanguinem Chriſti conuerti, eſt probabilis.

Secundum de conſequentia veſtra; ſi hac opinio ſit probabilis, o-pinio Cremonini, & Græcorum eſt ſuſpecta in fide.

CAPVT I.

CIrca veſtrum antecedens verſemur. Aſſeritis eſſe probabile, quòd aqua non mutata in vinum, ſit immediatè tranſubſtantiabilis in ſanguinem. De qua opinione ego cenſuram non feram; referam aduerſus vos Scotiſtas, Franciſci de Pitygianis Arretini Scotiſtæ cenſuram ex 4. diſt. 11. dub. vlt. carr. 503. de hac veſtra opinione ſcribentis. CVI.

His tamen non obſtantibus exiſtimo tertiam ſententiam, quam retuli ex Innocentio adeò eſſe veram, vt oppoſita, vel ſit improbabilis, vel ferè improbabilis, & qui illam appellaret temerariam, non excederet. Quia eſt contra communem Doctorum ſententiam, vt videre poterit, qui legerit Alexand. de Ales locis ſupracitatis. Diuum Thomam Doctorem ſubtilem in hac quæſtione, Ricardum art. 3. quæſt. 5. Maironem quæſt 2. Paludanum quæſt. 1. art. 7. Gabriel lectio 35. in Canonem, Diuum Bonau. diſt. 12. part. 2. art. 1. quæſt. 3. qui aduertit, etiam Chriſtum Dominum non conſecraſſe calicem, donec aqua fuiſſet in vinum conuerſa; & reliquos Theologos in 4. diſt. 11. Et Catechiſmus Pij V. dicit hanc ſententiam eſſe omnium Eccleſiaſticorum ſcriptorum. Et probatur.

Arretini contraria

Primo nullus eſt Theologus, his nouiſſimis exceptis, qui doceat aquam eſſe immediatè conſecrabilem: & multò pauciores docent illam immediatè conuerti in Chriſti ſanguinem, igitur ſententia qua ita dicit, ſingularis eſt, & contraria vniuerſis ferè Theologis.

Suarez in 3. part. q. 78. art. 8. diſp. 45. ſect. 4. eandem dicit additque Innocentium lib. 4. demyſt. miſſa cap. 34. Rabanum de Corpore. Do. cap. 4

Et infrà. *Ante hac noſtra ſæcula nullus Theologorum hanc docuit ſententiam.* Hæc Scotiſta Arretinus. Conſonat Mauritius Centinus lib. de ſac. tract. de Eu. diſp. 2. num. 118. Mayron 4. d. 13. quæſt. 3. Baſol. 4. diſtin. 8. quæſt. 1. art. 2.

Ex quo conſtat, quòd opinio veſtra, Domini Offenſores, eſt noua, & ex nouitate ſuſpecta in ſacramento altiſſimo, ſpectante ad fidem catholicam: in quo nouitates maximè ſunt vitandæ. Eſt opinio ſingularis, eſt temeraria, eſt improbabilis, vel ferè improbabilis.

Ità Scotiſta. Nec diſſonat Scotus in 4. diſt. 11. quæſt. vlt. B.

Huic autem vino apponere aquam non eſt ſimpliciter neceſſarium de neceſsitate ſacramenti; quià etiam quando appoſita eſt, non conuertitur in ſanguinem, niſi prius ſit conuerſa in vinum. Et ità modica eſt apponenda, & ità tempeſtiuè, quòd ante conſecrationem poſſit conuerſa fuiſſe in vinum. Hæc Scotus. Ità vt vos fideliſſimi Scotiſtæ ſitis, qui opinionem Scoto aduerſam probabilem affirmatis.

CVII. Præter rationes, quas affert Arretinus, ego aliquid afferam, & ſi aliquid mihi ex Arretino, & alijs ſit promendum, non ſpoliabo Authores eorum honore.

1. Topic. Arguo ſic ex 1. Top. cap. 8. *Eſt autem propoſitio dialectica interrogatio probabilis, aut omnibus aut plurimis, aut ſapientibus, & his, vel omnibus, vel plurimis, vel maximè familiaribus non inopinabilis.* Idem tradit in cap. 12. Cum autem quærimus, vtrum aqua immediatè tranſubſtantietur in ſanguinem Saluatoris, non poſſumus quærere ſententiam multitudinis Chriſtianæ: quia fides minorum innititur fidei maiorum. Quærendum eſt igitur à ſapientibus, vel omnibus, vel pluribus, vel maximè probatis. Hi verò dicunt, aquam immediatè non conuerti, igitur & dictum eorum probabile, oppoſitum improbabile.

Minorem oſtendo Nam prout refert Baron. ad anni 1188. tomo 12. in Gallia cæpit quæri, vtrum aqua vino adiuncta conuerteretur in ſanguinem Domini. Quam quæſtionem Gaufredus ſcripſit ad Cardinalem Epiſcopum Albanenſem, à quo quid reſponſi habuerit, non conſtat. Sed paulò poſt circiter annum 1215. Innocentius tertius ad Archiepiſcopi Lugdanenſis petitionem talem, vtrum aqua cum vino in ſanguinem conuertatur, reſpondit: & reſponſio habetur extra de celebratione Miſſarum *Cap. cum Martha* Reſpondet verò ſummus Pontifex, tres de hac re eſſe opiniones Scholaſticorum.

Prima docet, vinum in ſanguinem, aquam conuerti in aquã, quæ de Chriſti latere fluxit: quam opinionem Suarez confundit cum opinione reprobata cap. *In quadam* eodem titulo, quæ conuertebat aquam in phlegma Chriſti. Re vera hæ opiniones ſunt diuerſæ, quia vna eſt reprobata cap. *In quadam*, alia recitatur, vt probabilis *Cap. cum Martha*. Et Phlegma diuerſum eſt eſſentialiter ab aqua laterali, ſicut elementum ab elementato hic.

ex Jo: de ... Tom. de ... d. ... n. 3.

to humore, iuxta capitulum *In quadam*.

Secunda affirmat, quòd aqua cum vino tranſubſtantiatur in ſanguinem, cùm in vinum tranſeat mixta vino.

Tertia tenet, aquam non tranſire in ſanguinem, ſed manere circumfuſam accidentibus vini.

Tunc ſubdit Pontifex. *Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior iudicatur, quæ aſſerit aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari, vt expreſſius eluceat proprietas ſacramenti.* Ità decernit Innocentius, homo authoritate ſanctiſſimus, & ſcientia Theologiæ, atq; Canonũ excultiſſimus. Ex qua reſponſione tria colligo.

Primum, Pontificem iudicauiſſe tres opiniones prædictas eſſe probabiles, ſed ſecundam probabiliorem inter eas. Nam comparatiuus præſupponit poſitiuum in extremis comparatis ex 2. Top. loco 41. & cap. de quali inter prædicamenta.

Secundum, opinionem ſecundã, quæ ponit aquam immediatè mutari in vinum, & vinum ex aqua, & vino priore conſtitutum immediatè tranſubſtantiari in ſanguinem, iudicatam eſſe probabiliorem. Id notat Gloſſa in verbo. *Cum vino* ſcribens. *Ideſt vinum aquaticum: non enim tranſeunt, duo in ſanguinem, ſed vinum, quod aqua ſibi incorporauit, & ità expone, aquam cum vino, compactam vel compoſitum ex eis.*

Tertiũ, Tempore Innocentij III. poſt adhibitam diligentiam, & à Pontifice, & à Theologis cooperantibus, nullum ex ſcholaſticis inuentum eſſe, qui affirmauerit aquam immediatè tranſubſtantiari in ſanguinem. Alioqui Pontifex, qui alias tres opiniones enumerauit, hanc quoque retuliſſet. At opinio tertia dicit, aquam neque in vinum, neque in ſanguinem conuerti. Prima inquit, verti non in ſanguinem, ſed in aquam lateris. Secunda, aquam mutari in vinum, vinum tranſubſtantiari in ſanguinem. Quam opinionem per hanc phraſim *aquam cum vino* poſtulauit Archiepiſcopus, poſuere ſcholaſtici, approbauit Põtifex.

Quare hæc opinio, quòd aqua immutata conuertatur in ſanguinem fuit vel *profus ignota* Innocentio, ac Theologis ſui temporis: vel viſa eſt illis omninò improbabilis, nec ponenda *inter opiniones probabiles*. Si primum detur, hæc opinio noua eſt ſuſpecta de nouitate; nam fides de Euchariſtia antiqua

tiqua eſt, non eſt noua: ſi ſecundum, opinio non eſt probabilis, vt offenſores volunt.

CVIII. Eodem ſæculo Innocentij ſcholaſtica theologia peruenit ad ſummum, & obtinuit principes ſcholarum theologicarum, Albertum Magnum, Alexandrum Alenſem, Diuum Thomam Aquinatem, Diuum Bonauenturam Bilhruſcum, hoc eſt duos Eccleſiæ doctores primarios; Aegidium Romanum, Ioannem Dunſium Scotum, Ioannem Bacconium Carmelitanum, Henricum Gandauenſem Seruitam, ſub quibus largiter floret ſcholaſtica Theologia. Sed nemo illorum aliam ſententiam approbauit, quam ſententiam ſecundam ab Innocentio receptam vt probabiliorem: nec apud antiquos Theologos duces, aut ſequaces eorum, inuenitur, quòd aqua non mutata in vinum, immediatè tranſubſtantietur in ſanguinem. Igitur & à plurimis, & à probatiſſimis Theologis aqua in vinum conuerſa, tranſubſtantiatur in ſanguinem: non mutata in vinum, non tranſubſtantiatur. Laborabo patienter in afferendis claſſimorum theologorum ſententijs, quas reperi. Dignetur, & lector patienter conſiderare.

D. Thom. 4. d. 11. quæſt. 2. art. 4. quæſtiunc 1. ad 2. *De aqua appoſita eſt duplex opinio. Quidam enim dicunt, quòd aqua manet in ſua natura, & ſolum vinum tranſubſtantiatur: vnde aqua non apponitur ibi, niſi ad ſignificationem. Alij verò dicunt, quòd aqua appoſita in vinum conuertitur, & ſic totum in ſanguinem Chriſti tranſubſtantiatur. Quæcunque harum opinionum ſit vera, aqua non erit materia huius ſacramenti: quia ſecundum primam non conuertitur in corpus, vel ſanguinem Chriſti: ſecundum ſecundam non manet in propria ſpecie, ſed vini. Secunda tamen verior apparet, & ſecundum rationem naturalem, quia modica aqua vino admixta, quod eſt magis actiuum, à vino corrumpitur, & in ſpeciem vini tranſit. Et quantum ad ritum ſacramenti quia ſi aqua in propria natura remaneret, ſic calix conſecratus non eſſet tantùm potus ſpiritualis, ſed etiã corporalis.*

ex Jo chanibe

Et in quæſtiuncula 4. eiuſdem articuli diſputans de quantitate aquæ apponendæ, in argumentis pro parte vera.

Hoc primum eſt. *Illud quod eſt ex duobus, neutrum illorum eſt, vt Damaſcenus dicit in 3. ſed ſi magna quantitas aquæ apponeretur, eſſet*

quæ.

quadam mixtio: ergo non eſſet vinum, & ità non poſſet inde ſangui Chriſti confici.

Secundum oportet, quòd aqua conſumatur à vino, ad hoc, quod ex parte ſanguinis ſit tantum vna ſpecies, ſicut eſt à parte corporis: ſed non poteſt conſumi, ſi aqua in magna quantitate poneretur, ergo, &c.

Quæ argumenta in reſponſione ad 4. quæſtiunculam conceduntur; nam *Aqua appoſita vino in vinum conuertitur, & ſic totum conuertitur in ſanguinem*. Idem S. Th. conſtanter tenet in ſumma 3. quæſt. 74. art. 8. *Aliorum opinio probabilior eſt, qui dicunt aquam conuerti in vinum, & vinum in ſanguinem. Hoc autem fieri non poſſet, niſi adeò modicum apponeretur de aqua, quod conuerteretur in vinum.* Idem ſentiunt Dyoniſius Cartuſianus 4. diſt. 11. quæſt. 2. Dominicus Soto in 4. diſt. 9 quæſt. 1. art. 6. car. 115. col. 1. Gregorius de Valent. tomo 4. diſp. 6. quæſt. 2. punc. 1. col. 783. Bonac. tomo de Sacramentis diſp. 4. quæſt. 2. punc. 4. apud me cart. 147. qui & plures citat. Azorius part. 1. lib. 10. cap. 30. quæſt. 3. Suarez tomo 3. in 3. partem diſp. 45. ſect. 4. & alij Thomiſtæ.

S. Bonau. 4. diſt. 11. dub. 9. literali num. 35. ait. *Sicut dicit Philoſophus, quando prædominatur vinum, ſoluitur ſpecies aquæ: & cum ſoluta eſt, & conuerſa in vinum, totum eſt vinum, & ſic conuerti poteſt. Non enim conuerti poteſt, niſi panis, vel vinum.* Et intrà. *Fuerunt etiam aliqui dicentes, aquam conuerti in alios humores, & vinum in ſanguinem. Sed hoc nihil eſt, cum ſolùm ſubſtantia panis, & vini poſſint tranſubſtantiari.* CIX. 1. gener. & cor. 39 & ex adu de tex. 42

Huic Sancto Cardinali conſentit Cardinalis Bellarminus, vir vtique vita, & doctrina celeberrimus lib. 3. de Euchariſtia cap. 24. col. 583. dicens. *Nihil enim verti poteſt in corpus, & ſanguinē Domini, niſi quod ipſe Dominus inſtituit, ideſt panis, & vinum.* Bellarmi.

Idem Sanctus Bonau: prædicta diſt. 11. quæſt. 9. num. 54. *Dicendum, quòd de integritate ſacramenti huius ſunt quatuor, ſcilicet materia, & forma, & ordo, & intentio conſecrantis. De congruitate autem, & benè eſſe ſunt, quæ ſunt his annexa; aqua ergo, cum non ſit aliquid horum, non eſt de neceſſitate, ſed annexum eſt materiæ, ſcilicèt vino, quia adiungitur vino, & in ipſum conuertitur, & poſt in modū in ſanguinem, & ideò eſt de congruitate.* Idem aſſerit ad num. 57. & 60.

Ricar-

Ricardū S. Bonauenturæ iungo; in 4. d. 11. art. 3. q. 3. cart. 143. *Aqua, aut ante conſecrationem ſanguinis eſt conuerſa in vinum, & ſic dico, quòd totum conuertitur in ſanguinem; aut adhuc non eſt in vinum conuerſa, & ſic dico, quòd non conuertitur in ſanguinem.*

Duobus Sanctis Eccleſiæ, Doctoribus connectatur Alexander Alenſis eorū Pariſijs præceptor. Is in 4. part. quæſt. 32. memb. 6. 5 art. 3. cart. 127. col. 3. ad 2. *Mixtio*, inquit, *dicitur communiter, & propriè; communiter, quando aliquid miſceatur alicui alterius naturæ, quod tamen non habet proportionem, ſed illud tanquam prædominans ſoluit ſpeciem, & talis poteſt eſſe in hoc Sacramento*, &c. *Eſt alia mixtio propriè dicta miſcibilium alteratorum vnio, & hæc repugnat huic Sacramento.* Igitur ſi vinum ſoluat ſpecies aquæ poteſt fieri conuerſio in ſanguinem, ſi non ſoluat, repugnat fieri.

Aegidius ex Auguſtinianis quolib. 4. quæſt. 6. *Qui*, inquit, *manentibus accidentibus ſola ſubſtantia panis conuertitur in ſubſtantiam corporis, & ſola ſubſtantia vini in ſubſtantiam ſanguinis, &c.* Conſonat Thomas de Argentina 4. diſt. 11. part. 2. quæſt. 1. art. 1. ad finem cart. 101. col. 3. *Niſi aqua infuſa vincatur à virtute vini totaliter, & in vinum conuertatur, tunc licèt partes vini conuerterentur in ſanguinem, tamen ille humor aqueus, qui nondum eſſet conuerſus in naturam vini, non conuerteretur in ſanguinem.*

Ioannes Bacconus 4. diſt. 8. quæſt. 4. *Sed nunquid aqua tranſubſtantiatur? Dico, quod dubium hoc mouetur 3. lib. tit. de celebr. miſſar. Cum Marthæ, poſt medium, vbi recitantur tres opiniones. Prima eſt &c. Alia eſt, Quod aqua, & vinum, quæ commiſcentur, non manent ibi duo, ità quòd vinum conuertatur in ſanguinem, & aliud in aquam; ſed quòd aqua mixta cum vino tranſeat in vinum, & ſic aqua cum vino, ideſt vinum, quod ſibi aquam incorporauit, & compoſitum ex vtriſque tranſubſtantiatur in ſanguinem. Alia eſt, &c. Inter has decretalis eligit, quòd probabilior iudicatur illa opinio ſecunda quæ aſſerit aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari.*

Gabriel Biel inter Nominales famigeratus in 4. diſt. 11. q. 2. art. 3. deb. 3. ait. *Aqua autem, ſi nondum eſſet in vinum conuerſa, dum ſacerdos conſecrat, non conuertitur in ſanguinem.*

Adduxi Scholarum Theologicarum Principes, nam quod Scolarchæ docent, ſequaces tenent. S. Th. apud Dominicanos,

nos, S. Bonau. & Scotus apud Franciſcanos, Aegidius apud Auguſtinianos, Ioannes Bacconus apud Carmelitanos principes ſunt. Alij quoque ſunt Theologi, qui proprio iudicio ſcripſerunt. Hos omnes cum ſcholis integris conſtituere plurimam Theologorum partem, nemo poteſt negare: nemo negare principes ſcholarum eſſe maximè familiares & probatos. Igitur hæc propoſitio *Aqua non conuertitur immediatè in ſanguinem* eſt probabilis, & probabilior; oppoſita verò iſta *aqua non mutata in vinum eſt immediatè conuertibilis in ſanguinem*, non eſt probabilis: ſed inter poſitiones abſurdas collocanda eſt. Hactenus probabilitas ex authoritate quæſita eſt.

Ita ſumma miſta, Sp. plementum, Euchariſtia. 2. Angelic. Euc. 1. § 19. Colona Euc. 25.

Obijcies. Innocentius affirmat, quòd probabilior eſt opinio dicens, aquam cum vino tranſubſtantiari, eò quod in vinum ſit mutata; igitur eius contradictoria, quod aqua non conuerſa in vinum conuertatur in ſanguinem eſt probabilis. Patet conſequentia ex regula comparatorum.

Reſpondetur. Innocentius non comparat in cap. *Cum Martha* ſecundam opinionem cum ſua contradictoria, quam nullatenus affert; ſed comparat cum duabus opinionibus quas veluti probabiles memorat. Atqui duæ illæ opiniones iam penitus deſertæ ſunt noſtro tempore, quæ olim erant probabiles. Igitur multò magis eſt improbabilis, ac deſerenda opinio contradictoria ſecundæ opinionis approbatæ. Quæ cõtradictoria, quòd aqua non mutata vertatur in ſanguinem, nec probabilior, nec probabilis tum exiſtimata eſt: & multò minus nunc debet probabilis haberi opinio, quam ignorauit Antiquitas.

Quia verò authores iſtius ſententiæ nouæ quærunt eam colorare aliqua authoritate magni viri, propter hoc Bonacina loco CX.
ſuperius relato citat ex aduerſarijs Baronium tomo 12. anno 1182. Sed Baronius illo in loco nihil habet ad rem. Habet ad annum 1288. vt ſuperius adnotauit, Gaufredum poſtulauiſſe à Cardinali Albanenſe, vtrum aqua conuertatur in ſanguinem: ſatisfacit Baronius quæſito in hæc verba. *Quid autem reſcripſerit ad petitam conſultationem Cardinalis Epiſcopus Albanenſis, non inuenimus: ſed aliud reſcribere non potuiſſe, certum eſt, quàm quòd credidit, & cuſtodiuit ſemper S. R. E. nimirum, aquam ſimul, &*

vinum tranſubſtantiari in ſanguinem.

Sed immeritò Eminentiſſimi viri verba trahuntur extra ſenſum Eccleſiæ. Nam S. R. E. non tenuit ſemper, vt certam, hanc opinionem, quòd aqua manens in ſua ſubſtantia aquæ, immediatè vertatur in ſanguinem Chriſti. Quomodo enim Innocentius tertius cum Theologis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ignorauiſſet hanc opinionem, quam non retulit, vel quia ignotam, vel quia improbabilem? Idcirco Baronius non aliud intellexit, quàm quod Pontifex, ſcilicet opinionem mediam, quæ aquam cum vino docet in ſanguinem tranſubſtantiari, eſſe tenendam: nempè aquam prius in vinum, mox vinum in ſanguinem conuerti: vtrumque igitur conuertitur, ſed aqua mediatè, vinum cum aqua ſibi incorporata immediatè: quod dictum Pontificiū eſt contra tertiam opinionem, quæ aquam negabat conuerti & contra primam, quæ conuerti concedebat, ſed in aquam lateris, non in ſanguinem Chriſti.

Homobonus de examine Eccleſiaſtico tractatu 4. quæſt. 86. tenet cum antiqua ſententia aquam in vinum, vinum in ſanguinem conuerti. Citat pro aduerſa ſententia Victorellum in notis ad Toletum lib. 2. cap. 25. Sed, ibi Victorellus nihil habet.

Citat Dominicum Soto 4. diſt. 9. quæſt. 1. art. 6. ſed Soto expreſſiſſimè eſt cum D. Thoma; & contra hanc ſententiam nouitiam de aqua immediatè conuerſa in ſanguinem.

Citat Franciſcum Suarez 3. parte quæſt. 74. art. 8. ſect. 4. Verùm Suarez efficaciter confutat illam opinionem nouam, pro qua citatur. Vt appareat, vel falſis authorum nominibus aduerſarios velle honeſtare hanc ſuam doctrinam. Citat alios duos Viualdum, & Coninchum, quos non habeo.

CAPVT II.

CXI. POſtquam ex Authoritate oſtendimus non eſſe probabilem illam opinionem, quæ ponit, aquam non mutatam in vinum, immediatè poſſe conſecrari, & conuerti in ſanguinem: id ipſum rationibus conemur probare.

Prima ratio. Hæc aſſertio. *Aqua non mutata in vinum eſt immediatè*

mediatè conſecrabilis, & tranſubſtantiabilis in ſanguinem, eſt eadem eſſentialiter cum ſententia Aquariorum: ergo fugienda eſt. Pro antecedente noto quòd Ebionitæ apud Epiphanium hæreſi 30. Tatiani apud eundem hæreſi 46. Aquarij apud Auguſtinum de hæreſibus cap. 64. aquam per ſe exiſtentem ſine vino conſecrabant.

Duæ autem ſunt claſſes faciendæ. Prima, quòd aqua per ſe ſit conſecrabilis, vinum nequaquam; hæc fuit Tatianorum, & Ebionitarũ, ſecũda, quòd in ſacrifico veſpertino conſecratur vinũ cum aqua: in matutino aqua ſola. Hic ſecundus error tempore ſancti Cypriani inualuit; nam fidelium perſecutores tanquam indicium ad capiendos Chriſtianos habebant, ſi manè olerent vinum ex flatu: ſic enim cognoſcebantur Euchariſtiam ſumpſiſſe, ergo ad euitandum hoc incommodum, quidam manè ſacrificabant, & Euchariſtiam dabant in aqua ſola. Veſpero, quia non erat hoc periculum, in calice vinum, & aquam ſacrificabant, & populis communicabant. Contra hunc errorem ſanctus Cyprianus ad Cęcilium agit. Conſule Baronium tomo 2. ann. 257. num. 9. 10. Hoc ſuppoſito, conſideretur aqua manens coniuncta vino. Ipſa eadem manet ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum per ſe accidentia ſua vſque ad ſubſtantiæ corruptionem: eſtque ſubſtantia aquæ, & ſecundum naturam, & ſecundum hypoſtaſim eſſentialiter diuerſa à natura, & hypoſtaſi vini. Si igitur aqua ſic ſe habens, iuxta nouiſſimos doctores, eſt conuertibilis in ſanguinem, ſicut & Aquarij conſecrabant; hæc opinio noua, & opinio Aquariorum eſſentialiter eadem eſt.

Reſpondebis fortaſsè. Aquarij ſolam aquam in calice ponebant: nouiſſimi auctores ponunt aquam cum vino coniunctam, quæ & alteratur à vino.

Contra eſt. Materia tranſubſtantiabilis eſt ſubſtantia panis, vel vini, vel aquæ: nam tranſubſtantiatio fit ſecundum ſubſtantiam, non ſecundum accidentia. Sed eadem prorſus eſt ſubſtantia conuertibilis in ſanguinem apud nouiſſimos, & apud Aquarios, ſola eſt variatio in aliquo accidente per accidens, quod poteſt eſſe in aqua, & abeſſe ab ea igitur eadem eſt opinio.

Secundò, quando quæritur coniunctio aquæ cum vino, vel illa

eſt accidentalis ſecundum locum, aut qualitatem, vel eſt ſubſtantialis. Si eſt ſubſtantialis, ergo aqua mutatur in vinum per generationem, vel aqua, & vinum in aliquod tertium per veram mixtionem. Si ſolum accidentalis, nouum eſt quòd iuxta poſitio localis, vel alteratio qualitatiua faciat aquã eſſe cõuertibilem in ſanguinem Chriſti; nam eodem modo dicemus etiam aerem contiguum vino conuerti poſſe, nec non, & calicem. Atque ità Caluinus melius argumentabitur contra Catholicos, quòd ſecundum illorum ſententiam calix debeat conuerti in ſanguinẽ; eo quòd Lucæ 22. & 1. Cor. 11. calix immediatè demonſtretur per articulum in forma conſecrationis. *Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine.* Nam ſi coniunctio localis, & qualitatiua facit aquam conuertibilem, etiam calix eſt coniunctus cum vino ſecundum locum, & alteratur qualitatibus vini, & ſignificatur immediatè per formam cum aqua non ſignificetur, nec demonſtretur per pronomen, *hic*.

Inſuper, ſi in ciſternam aquæ inijciatur vrceus vini, aqua tota inficitur accidentibus vini, atque citò putreſcit, & potui fit inepta. Si igitur ſola coniunctio localis, & qualitatiua facis eſt, ergo talis ciſterna aquæ poterit conſecrari, quod eſt abſurdiſſimum.

Quartò, ſi aqua roſacea vino apponatur in calice, aut alia quæcunque artificialis, tum propter coniunctionem accidentariam, manente ſubſtantia aquæ artificialis, poterit talis aqua conuerti in ſanguinem, ſicut aqua naturalis. Si aqua, vel naturalis, vel artificialis conuertatur in vinum ante conſecrationem, non eſt inconueniens: nam vinum conſecratur, & conuertitur in ſanguinem. Si autem maneat ſubſtantia aquæ artificioſæ, vel naturalis cum coniunctione accidentali, nimis indeterminata materia inducitur. Scilicet in baptiſmo, hoc eſt, ſacramẽto ſummè neceſſario aqua ſola naturalis, in Euchariſtia & naturalis & artificioſa ſufficiet. Et quanquam nonnullus ex iſtis nouiſſimis concedat conſequens, nempe & etiam aquam roſaceam conuerti in ſanguinem: tamen veriſſimè (inquit Suarez) hoc eſt contra intentionem totius Antiquitatis. Concludo hanc opinionem nouiſſimam eſſentialiter conuenire cum Aquarijs, in aliquo acciden-

cidentaliter differre, quod non habet vim conſtituendi materia conſecrabilem.

Secunda ratio Ex natura ſacramenti. In quo non eſt genus, vel differentia rei, in illo non poteſt eſſe res conſtituta per tale genus, vel differentiam. Sed ſacramentum nouæ legis ex genere eſt *ſignum*, ex differentia eſt *efficax*: quorum neutrum conuenit aquæ appoſitæ in calicem reſpectu ſanguinis, ergo & in aqua non eſt ratio ſacramenti, vel conſecrabilis. Probatur minor quoad ſignificationem. Aqua in calicem appoſita non ſignificat ſanguinem Chriſti, ſed ſignificat *aquam fuſam* ex latere Chriſti, & ſignificat *Populum*, qui ſic vnitur Chriſto, ſicut aqua vino. Prima pars patet ex Cypriano epiſt. 63. dicente, *Sanguis Chriſti, non aqua eſt vtique, ſed vinum. Nec poteſt videri ſanguis eius, quo redempti ſumus, eſſe in calice, quando vinum deſit calici, quo Chriſti ſanguis oſtenditur.* Et infra *Videmus in aqua populum intelligi, in vino verò oſtendi ſanguinem Chriſti.* Probatur ſecunda pars ex Concilio Tridentino ſeſſ. 22. cap. 7. Sed ex hoc patet, quòd aqua appoſita in calicem, etiam ſecundum conciliũ, non eſt ſignum ſanguinis & per conſequens illi deeſt ratio ſigni. exii. [Loco in 10. 2. ext. 712.]

Probatur deinde quoad efficaciam, quoniam ſignum efficax infert rem ſignatam. At in Euchariſtia non adeſt *aqua lateralis*, neq; adeſt *populus*, ſiuè in conſecratione ſiue in tranſubſtantiatione; nam aqua nec tranſubſtantiatur in aquam lateralem, nec in populum. Nec in oblatione offertur aqua ex latere, aut populus Deo. Neque in communione aqua lateris bibitur, vel populus. Sicut neque vnio populi ad Chriſtum fit per ſumptionem calicis, quoniam in Eccleſia Romana communiter vſus calicis populo non conceditur. Igitur neq; illa vnio ſignificata per aquam efficitur virtute ipſius aq; ſi aqua conuertitur.

Confirmatur, ſacramenta nouæ legis efficiunt, quod ſignificant. Sed aqua in calicem immiſſa ſignificat vel aquam, vel populum, ſanguinem non ſignificat. & patet ex Concilio Florent. in literis vnionis cum refertur Decretum Alexandri Papæ, quod habetur etiam de Conſecratione diſt. 2. cap. *in ſacramentorum*. Igitur & ex authoritate Pontificis dicti, & ex duplici concilio Tridentino, & Florentino aqua Calicis ſignat *aquam late-*

ris Chriſti, & *populum*. Multò autem magis debuiſſent Pontifex, & Concilia præcipere, vt aqua ponatur, ſi ſanguinem ſignificaret, vel efficeret.

Præterea, vnius per ſe ſignati eſt vnum per ſe ſignum: ſed ſanguis Domini eſt vnum per ſe ſignatum, ſubſtantia aquæ, & vini in ſe manentes nullo modo poſſunt conſtituere vnum per ſe; ergo non poteſt aqua cum vino eſſe vnum per ſe ſignum, cum certum ſit vinum eſſe per ſe ſignum.

Amplius: Euchariſtia eſt commemoratio mortis Chriſti, in qua ſeparata eſt anima Saluatoris à corpore, ſic Apoſtolus in prima ad Corinthios 11. *Mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*. Et corpus ſignificatur in pane anima verò per ſanguinem in vino. Atqui *aqua* illa, quæ de latere Chriſti exiuit, poſt mortem fluxit, ergo aqua in calice poſita non ſignificat Chriſti mortem, ſed aliquid poſt mortem; vnde non habet rationem ſigni Euchariſtici.

Poſtremò. Quod eſt ſignum ſacramentale in Euchariſtia, in fieri debet adeſſe ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum accidentia: in facto eſſe debet manere ſecundum accidentia, quia in fieri ſubſtantia verſa eſt in corpus, vel ſanguinem. Sed regulariter aqua non manet ſecundum ſubſtantiam, vel ſecundum accidens in Euchariſtia. Etenim aqua debet apponi modiciſſima ex Concilio Florentino, & vinum maioris quantitatis, quam aqua ex cap. *Perniciosus* de Celebrat. Miſſarum.

Animaduertit Homobonus iuxta Patrum monitionem, vinum generoſum eſſe adhibendum; quo facto vinum ſine dubio ſuperat aquam, & conuertit in vinum celerrimè: ergo regulariter nec ſubſtantia, nec accidentia aquæ manent in Euchariſtia, quarè nec habet aqua rationem ſigni efficacis in hoc ſacramento.

CXIII. Tertio ex Conſecratione. Vna conſecratione vnum per ſe tantùm conſecratur: at conſecratio calicis eſt per ſe vna, ergo & vnum tantùm conſecrat; ſed aqua, & vinum manentes in ſua ſubſtantia ſunt per ſe ſubſtantialiter, & eſſentialiter plura, ergo vel vinum, vel aqua non erit conſecrabilis. Hinc Auguſtinus 3. de Trin. cap. 4. "Nec ſignificantes ſonos lingua editos, nec ſigna literarum conſcripta pelliculis, corpus Chriſti, & ſangui-

nem

nem dicimus: ſed illud tantùm, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſtica conſecratum, ritè ſumimus ad ſalutem,„ Panis, & vinum ſunt ex frugibus terræ: aqua non item. Panis, & vinum tantùm conſecrantur, ſumuntur, nominantur corpus, & ſanguis: non ergo aqua.

Deinde quia vinum eſt per ſe conſectabile; certum eſt apud omnes Catholicos, quòd vinum poteſt conſecrari, & ſine aqua, & cum aqua appoſita: ergo à pari ſi aqua de per ſe ratione ſua ſit conſecrabilis, erit & ipſa conſecrabilis ſiuè cum vino, ſiuè abſque vino, quod eſt abſurdum. Probatur conſequentia. Quod alicui per ſe ineſt, vel in primo, vel in ſecundo modo dicendi per ſe: neque per aliquod accidens commune ſibi confertur, neque per illud accidens aufertur. Si ergo in genere moris aquæ per ſe competit, vt ſit conſecrabilis, ergo per coniunctionem cum vino, neque confertur, neque aufertur hæc ratio conſecrabilitatis; ſicut neque à vino aufertur, vel vino confertur.

Quarta ratio ex materia. Tantum duplex eſt materia Eucha- CXIV.
riſtiæ, ſcilicet panis, & vinum: ergo aqua non eſt materia Euchariſtiæ, niſi conuerſa in vinum. Antecedens eſt S. Thomæ 4. diſt. 11. quæſt. 2. art. 4. & S. Bonau. 4. diſt. 11. dub. 9. literali, & quæſt. 9. & habetur in Catechiſmo Romano §. 17. *Huius igitur ſacramenti hæc duo tantùm elementa ſunt, ac merito pluribus decretis ſancitum eſt, ne quid aliud præter panem, & vinum offerre liceat.* Et in Concilio Florentino in Armenorum inſtructione ſcribitur. *Materia eſt panis triticeus, & vinum de vite,* cui *ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet.*

Animaduerto Concilium Florentinum aſſignare materiam, & aliquid additum materiæ. Materia eſt panis triticeus, & vinum de vite. Additum eſt aqua modiciſſima. Animaduerto item id, quod eſt notabile in Concilio Tridentino. Etenim ſeſſ. 13. tractatur de conſecratione, tranſubſtantiatione, permanentia ſpecierum, aſſeruatione, communione Euchariſtiæ, & alijs annexis: nunquam tamen fit mentio aquæ, ſed ſolius panis, & vini, & ſpecierum panis, & vini. Quando autem inſtruitur ſacerdos conſecraturus ſeſſ. 22. cap. 7. docetur ex præcepeo Ec-

Eccleſiæ

cleſiæ apponere aquam, vt propter hoc agnoſcatur aqua non eſſe de per ſe ratione Euchariſtiæ: ſed tantùm per accidens conſecrari, & mediatè, quatenus tranſmutatur in vinum, & quatenus materia aquæ manet ſub forma vini, atque etiam quatenus accidentia quædam ab aqua cauſata in vino manent.

CXV. Quinta ratio ex tranſubſtantiatione. Vnius per ſe verſionis eſt vnus per ſe terminus à quo, & vnus per ſe terminus ad quem. Tranſubſtantiatio autem in ſanguinem eſt vna per ſe verſio, cuius per ſe terminus ad quem eſt ſanguis: aqua verò, & vinum ſunt duæ ſubſtantiæ, per ſe diuerſæ, & ſecundum naturam, & ſecundum hypoſtaſim, igitur non poſſunt aqua, & vinum, vt ſunt duæ ſubſtantiæ eſſe per ſe terminus à quo huius verſionis. At vinum eſt, ergo aqua non eſt immediatè tranſubſtantiabilis in ſanguinem. Maior patet in omni tranſmutatione, & verſione etenim ex per ſe terminis à quo, & ad quem accipitur per ſe vnitas, & per ſe multitudo earum. Confirmatur, quoniam communiter aſſignantur panis, & vinum, vt ſubſtantiæ, quæ conuertantur: aqua minimè. Sanctus Matthæus Apoſtolus, & Euangeliſta in ſua Liturgia, qua Aethyopes vtuntur. *Benedic, ſanctifica, munda, & transfer panem in carnem tuam immaculatam, & vinum in ſanguinem tuum pretioſum.* Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. extra de ſumma Trinit. & fide cath. cap. *Firmiter Tranſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem poteſtate diuina.* Concilium Florentinum in Armenorum inſtructione. *Verborum virtute ſubſtantia panis in corpus Christi, & ſubſtantia vini in ſanguinem conuertuntur.* Concilium Tridentin. ſeſſ. 13. cap. 4. *Conuerſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Domini, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis eius.* Concilium Romanum ſub Nicolao II. & aliud ſub Gregorio VII. in quibus Berengarius ſuum errorem abiurauit, de pane, & vino conuerſis facit mentionem, de aqua in vinum conuerſa minimè. De quibus Concilijs lege Bellarminum lib. 3. de Euchariſtia cap. 21. col. 567. Qui in apologia ad Regem Angliæ cart. 106. citat ad idem plures Patres. Quia verò S. Gregorius, & S. Damaſcenus dixerunt, vinum cum aqua conuerti, intelligendi ſunt de termino conuerſo mediatè, vel immediatè, nam aqua media-

mediatè, vinum immediatè conuertitur. Inſinuant autem hi
patres vtrunque terminum ad complementum doctrinæ, quia
vinum eſt de neceſſitate ſacramenti, aqua de neceſſitate præ-
cepti.

Sexta ratio ex permanentia. Nàm alia ſacramenta ſunt tan- CVI.
tùm in fieri, non manent in facto eſſe; at Euchariſtia in fieri eſt,
& in facto eſſe. In fieri quidem tranſubſtantiatur ſubſtantia pa-
nis in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem: ſed re-
manent accidentia panis, & vini, & Chriſtus totus ſub ſpecie-
bus panis, totus ſub ſpeciebus vini. Ita per mille ſexcentos an-
nos, Pontifices, & Concilia, Patres poſitiui, & ſcholaſtici, ne-
que vnquam auditum eſt, quòd poſt conſecrationem in Eucha-
riſtia maneant ſpecies aquæ, quodque ſanguis Chriſti ſit totus
primò ſub tota ſpecie aquæ, atque totus ſub quauis ſpeciei par-
ticula. At nouiſſimi authores hoc dicunt, quod vel aures au-
dire, vel oculi horrent legere. Nempè Eccleſiæ Pontifices, &
Patres ſumma negligentia vſi ſunt, iſti verò ſumma diligentia
vtuntur. Audiamus Eccleſiæ, & Patrum voces.

Concil. Trid. ſeſſ. 13. can. 2. *Si quis &c. negaueritque conuer-
ſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in
ſanguinem, manentibus duntaxat ſpeciebus panis, & vini* & cap. 3.
*Totus enim, & integer Chriſtus ſub ſpecie panis, & ſub quauis ip-
ſius ſpeciei parte, totus item ſub ſpecie vini, & ſub eius partibus e-
xiſtit.*

Concilium Florentinum in Armenorum inſtructione. *Totus
Chriſtus continetur ſub ſpecie panis, & totus ſub ſpecie vini:* ſub
*qualibet quoque parte hoſtiæ conſecratæ, & vini conſecrati, ſepara-
tione facta, totus eſt Chriſtus.*

Concilium Conſtanſienſe ſeſſ. 13. *Firmiſſimè credendum eſt,
& nullatenus dubitandum, integrum Chriſti corpus, & ſanguinem,
tàm ſub ſpecie panis, quàm ſub ſpecie vini veraciter contineri.*

Ita Sanctus Cyrillus Alexandrinus in epiſt. ad Caloſirum S.
Maximus Monachus & Martyr. Tertullianus lib. 5. cap. 8. S.
Cyprianus ſerm. de vnctione chriſmatis. S. Cyrillus Ieroſoli-
mitanus catechiſ. 4. S. Auguſtinus in lib. ſent. Proſperi, & ha-
betur de conſecratione diſt. 2. cap. 41. *Nos autem.* Sed nolo plu-

R ra

ra congerere, nemo Chriſtum ſub ſpecie aquæ, vel Chriſti ſanguinem eſſe hactenus dixit, vel credidit. Nouiſsimi hi authores nouam fidem, à vt nouam fidei confeſsionem videntur afferre.

CXVII. Septimò ex ſacrificij Chriſtiani oblatione. Si nanque Chriſtus eccleſiæ ſuæ reliquit triplicem partem euchariſticam, fertiáq; aquam immediatè tranſubſtantiari in ſanguinem, & ſanguinem Chriſti primò, totumq; Chriſtum concomitanter manere ſub ſpeciebus aquæ: debuit eccleſia per mille ſexcentos annos hoc beneficium diuinum piè recognoſcere, & gratitudinem piè teſtificari per oblationem externam ſpeciei aquæ, atq; internam ſanguinis ſacrificati Deo ſub tali ſpecie. Gen. 14. Cæterùm & in veteri teſtamento ſacerdos Melchiſedech in figura protulit panem, & vinum: & in nouo teſtamento ſacerdos in æternum Chriſtus dominus ſecundum ordinem Melchiſedech panem, & vinum obtulit. Aquam poſt conſecrationem non obtulit, neq; aquæ ſpeciem, aut ſanguinem ſub aquæ ſpecie. Moyſes ſacerdos Deut. 33. benedixit filios Iacob. *Oculis Iacob in terra vſfrumenti, & vini.* Iuxta benedictionem datam Iacobo patriarchæ ab Iſaaco Gen. 27. *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini.* Et Zacch. 9. in prophetia de Saluatore, & Eccleſiæ altari dicitur. *Saluabit eos Dominus, quoniam lapides ſancti eleuabuntur ſuper terram eius. Quid enim bonum eius, aut quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Planè & tertium erat adijciendum, ſcilicet, & aqua germinans virgines: cum aqua potius virgines gignat, quam vinum, in quo, teſte Apoſtolo, eſt luxuria.

Sed & in ſtatu veritatis Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. de ſacrificio miſſæ ait. *Corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini.* Deo Patri obtulit. Vbi aqua? Cur Chriſtus non obtulit? Meta rationum. Et ſi Chriſto conſecrante, aqua in vinum conuerſa fuit, vinumque ſolùm fuit tranſubſtantiatum in ſanguinem; ergo cum conſecratio Chriſti, & noſtra eadem ſit, neq; nunc aqua in ſanguinem conuertitur: neq; Chriſti ſanguis ſub ſpeciebus aquæ offerri poteſt, aut debet.

Patres omnes, qui conferunt cum Chriſto ſacerdotium, & ſacrificium

crificium Melchiſedechi, de pane, & vino ſolis oblatis dicunt. S. Hieronymus in Math. 26. & in epiſt. ad Marcellam, S. Cyprianus lib. 2. epiſt. 3. ad Cecilium, & Clemens Alexandrinus lib 4 ſtromatum. Euſebius Cæſarienſis in lib. de demonſtratione Euangelica dicit, Melchiſedech. *Functus eſt, ſed vino ſolo, & pane.* Chryſoſtomus hom. 35. in Geneſim. Euſebius Emiſſenus ſerm. 5. de Paſchate. Arnobius in pſal. 109. hos & alios lege apud Bellarminum de ſacrificio Miſſæ lib. 1. cap. 6. Quocirca hæc nouiſſima opinio, quæ eccleſiam facit ignaram diuini beneficij, & ingratam in ſacrificio pro tertia parte, omninò reijcienda eſt.

Obijci poteſt. Sanctus Ambroſius in lib. 5. de ſacram. cap. 1. *Diximus, inquit, quòd in altari cõſtituatur calix, & panis. In calice mittitur vinum: & quid aliud? Aqua. Sed tù mihi dicis: quomodo ergo Melchiſedech panem, & vinum obtulit? Quid ſibi vult admixtio aquæ.*

Hanc obiectionem ſoluens Ambroſius, docet, potum chriſtiani ſacramenti figuratum in aqua de petra, ex 1. Cor. 10. & itẽ ſignare aquã de Chriſti latere: propter hoc in calicẽ imponi. Igitur S. Ambroſius, & ſi obtulerit Melchiſedech vinum ſolùm, vult à nobis aquam offerri cum vino conſecratam.

Reſpondetur. Duplex eſt oblatio in miſſa. Prima præparatiua ad ſacrificium, cum ſcilicet, infunditur vinum, & aqua in calicem, & calix offertur poſt euangelium. Secunda eſt perfectum ſacrificium poſt conſecrationem, quando offertur panis conſecratus; & vinum conſecratum, atque ſub his corpus, & ſanguis ſalutaris. In ſecunda nil, niſi quod Melchiſedech obtulit, offertur, panis, & vinum in ſacramento æterno. In prima oblatione aqua imponitur, quia & aqua de petra percuſſa ſignabat aquam de Chriſti latere percuſſo, & aqua in calicem indita ſignat eandem aquam lateralem. Imponitur igitur, vt ſignum aquæ manantis ex latere, non vt ſignum ſanguinis, quod volunt nouiſsimi authores, neq; ſub eius ſpecie ſanguis offertur. Neque ibi Ambroſius loquitur de conuerſione aquæ in ſanguinem, aut oblatione aquæ conſecratæ vllo modo.

Octauò ex adoratione Chriſti in Euchariſtia. Sicut enim adoratur CXVIII

doratur ſub ſpecie vini, ſic etiam ſub ſpecie aquæ adorandus eſt, ſi ſub ea eſt. Si dicatur cum tertia opinione capitis *Cum Martha* de celebratione miſſarum, quod aqua non conuertitur vllatenus, ſed manet circumfuſa accidentibus vini; ſacerdos ſecundum illam opinionem auertit mentem ab aqua, & ſpeciebus eius, conuertit mentem ad ſanguinem Chriſti, & ſpecies vini: itaque non adorat, niſi Chriſtum, non veneratur, niſi ſpecies conſecratas. Ita quoque ſi concedatur licitum ſacerdoti oblito, cum conſecrandus eſt calix, apponere aquam, dicendum eſt. Sic autem neque ſacerdos eſt idoli aquæ cultor, aut venerator ſpeciei non conſecratæ, neq; erit idoli aquæ cultor populus innixus fidei, & prudentiæ ſacerdotis, vt minor fidei maiorum.

Si autem (vel quia vinum debile, vel quia quantitas aquæ nimia, vel quia properatio excedens ſacerdotis) aqua non mutetur in vinum, conſecratione tamen & aqua, & vinum immediatè conſecrantur in ſanguinem, manentibus ſpeciebus, & realiter diſtinctis, & ſitu in continuo diſiunctis: ſolo vaſe, ſeù loco vnitis; tunc ſecundum iſtam opinionem ſacerdos, & populus debent adorare Chriſtum ſub ſpecie aquæ, & ſub ſpecie vini, ſicut ſub tertia ſpecie panis adorat, debetq; venerari tres ſpecies realiter, & eſſentialiter diſtinctas, vt ſacramenta ſenſibilia.

Quæro tunc, vtrum aqua ſuperet tempore ſequenti vinum, vt ſpecies vini conuertantur in ſpecies aquæ, & aqua ſit ſub ſpeciebus aquæ de nouo genitis. Aut potius vinum ſuperet aquã, & ſpecies aquæ conuertat in ſpecies vini nouas, & nouum vinum ſub eis productum; (nam ſine conſecratione accidentia non manent ſine ſubiecto) Aut deniq; poſt pugnam ſpecierum aquæ, & vini fiat mixtio naturalis, ſic enim ſpecies agunt, ſicut ſi vinum, & aqua ſemper adeſſent.

Si detur primum, tunc nulla erit ratio diſcernendi ſpecies aquæ nouas, in quibus Chriſtus non eſt, & ſpecies aquæ prioris, ſub quibus eſt ſanguis Chriſti. Igitur incertiſsima eſt adoratio Chriſti, & veneratio ſpecierum prorſus confuſa, quia Chriſtus eſt ſub tota ſpecie conſecrata, & ſub quauis parte: ſed quæ pars conſecrata ſit, ſignari non poteſt. Imnio ſi Chriſtus adhuc adeſt ſub ſpeciebus: tunc ſola ſpecies aquæ eſt Euchariſtia,

quæ

quæ eſt ipſa hæreſis Aquariorum.

Si ſecundum detur, vt ſpecies vini deſtruant ſpecies aquæ, & producant ſpecies vini nouas, & vinum nouum. Tunc iterum nulla via patet ad diſcernendum vinum conſecratum à non conſecrato, neſcietq; ſacerdos, in quo ſitu calicis ſit vinum conſecratum, atq; partes eius, ſub quibus eſt Chriſtus, & iterum incertiſsima eſt adoratio Chriſti, & veneratio ſpecierum ſacramentalium.

Si tertium ſuccedat, vt ſit mixtum ex miſcibilibus alteratis, tunc neq; ſpecies vini, neq; aquæ aderunt, ſed miſcibilium virtutes. Quarè neq; Chriſtus ſub ſacramento. Veruntamen ſacerdos nulla ratione poteſt cognoſcere hunc tranſitum, quarè ſi adorat, & veneratur: idolatriæ, & venerationi idolatricæ proportionali ſe exponit, eidemq; periculo exponit populum. Cum igitur a tempore poſt conſecrationem vſque ad communionem vnum de tribus ex neceſsitate naturæ ſequatur in pluribus, nullaq; adſit via diſcernendi, omninò debebit ſacerdos abſtinere ab adoratione, vel regulàriter àdorare ſacramentuum conditionatè, nunquàm abſolutè, quod abſurdum eſt. Incertiſsima igitur opinio eſt circa Chriſti adorationem in ſacramento, & ſacramenti venerationem, atq; ideò periculoſiſsimum nec vllo modo credendum eſt, Chriſtum voluiſſe, ſuos ſacerdotes tanto periculo exponere.

Immò ſicut Chriſtus in ſuo ſacrificio aquam non tranſubſtantiauit in ſanguinem, ſed prius mutauit in vinum; ita ſacerdos Chriſtianus facit, neque aliter facere poſſet.

Quod autem in cæna Chriſti vltima, primò aqua in vinum mutata ſit, patet ex atteſtatione S. Bonauenturæ; & ratione. Chriſtus quippè calicem vino repleuit, ex quo tùm ipſe, tùm Apoſtoli omnes debebant bibere. Modiciſſimam aquam appoſuit in vinum Palæſtinum, quod generoſiſſimum eſt: præſertim alacritatis Paſchalis tempore, ab hoſpite humaniſſimo erga Chriſtū, & Apoſtolos tale exhibitum Saluatori credendum eſt. Dominus infuſis vino, & aqua, gratias *egit*, *benedixit*, atque *conſecrauit*, nec non & *obtulit* Deo; ipſe bibit, deditque bibendum Apoſtolis. Quis hinc non videat à vino & qualitate optimo, & quantitate

titate multo, modiciſſimam aquam velociſſimè in vinum mutatam? Item tempus actionis gratiarum, & benedictionis, ante conſecrationem, & oblationem, quàm longum, aut breue fuerit, ignoramus; iuſtiſſimè tamen præſupponitur fuiſſe congruum ſupremæ deuotioni, gratitudini, pietati, quæ in Chriſto erant.

Hinc etiam fortaſſe intelligetur dictum concilij Triburienſis. Cum nanque tempore illius concilij communio fieret ſub vtraque ſpecie, oportebat, calicem ſatis amplum implere, duabus partibus vini, & tertia parte aquæ. Quando autem vinum eſt potentius virtute, etiam æqualem aquæ molem ſuperat, & in vinum mutat. Experimur in montibus Euganeis hoc, nàm vinum illud æquali aqua adhibita adhuc eſt validius, quàm vinum purum ex planitie, vt ego in albis vinis hoc eodem anno 1645. expertus ſum. Præſupponebant autem Patres Triburienſes, & vinum ſelectum apponi, & quemadmodum fiebat ad initium miſſæ; vt non admodum moroſè aqua in vinum poſſet tranſmutari. Hoc dico, non reijciens interim Arretini reſponſum, qui cenſet decretum Triburienſis concilij, ſcilicet prouincialis, fuiſſe correctum per concilium generale Florentinum, quod modiciſſimam aquam iubet admiſceri.

CXIX. Nonò ex Communione Euchariſtiæ, quia nō modo ſub vna, vel vtraque ſpecie fiet. Sèd iam de communione ſub triplici ſpecie opinio intruditur in Eccleſiam. Erit & hæc alia nouitas.

Quoniam autem ad officium vniuerſalis Paſtoris, & Regis regni Chriſtiani intereſt, non modò eccleſiarum, quæ ſub vna, ſed & earum, quæ ſub vtraque ſpecie communicant ſolicitudinem, ideſt, omnium eccleſiarum habere: curandum erit, ne Chriſti fideles calicis vſum habentes fraudentur eccleſiæ ſuæ voto, quæ præcipit, vt exerceant, & actum manducandi panem ſacrum, & actum bibendi calicem conſecratum. Fiet nanque frequenter, vt vel ſolam aquam bibant, ſi aqua ſuperet vinum: vel neque aquam, neque vinum, ſed mixtum quoddam tertium, & Chriſti ſanguinem, atque potum ſpiritualem ſignificatum efficaciter per potationem ſenſibilem non ſuſcipiant. Fiet fortè, & tertiò, vt ſuperante vino aquam paulò copioſiorem (inditam in temperando calice pro ſacerdote, & populo) ſub notabili quantitate

ſitate ſpecierum ſit vinum de ſpeciebus aquæ conſecratæ genitum, & aliquis fidelium ſolum vinum pro Chriſti ſanguine bibat, & Chriſti gratiam ſacramentalem non conſequatur. Non debet autem permittere Pontifex ſummus in quouis caſu quicquam, quod in tanti ſacramenti dedecus vergat, quod populum decipiat, quod Chriſti deludat intentionem; quæ omnia facilè ſequentur, ſi etiam aqua immediatè. in ſanguinem vertatur.

Decimò Ille finis, qui ex præcepto ſequitur aut ſemper, aut frequenter, videtur per ſe intentus à præcipiente. Nunc autem ſi aqua modiciſſima in vinum purum maioris quantitatis imponatur, aqua citò mutatur in vinum, idque ex neceſsitate naturali ſemper, aut frequenter; igitur mutatio aquæ in vinum per ſe intenta videtur à Pōtifice cum Cōcilio vniuerſali Florentino. Finis verò imponit neceſſitatem his, quæ ſunt ad finem, igitur ex conſecratione vt fine, intentum eſt medium, quod eſt mutatio aquæ in vinum: ex mutatione aquæ in vinum, intenta eſt maior moles, & virtus vini, minima aquæ moles, atque virtus. Quare ex per ſe intentione Pontificis, & Concilij eſt, vt aqua mutetur in vinum, vinum in ſanginem; & contra intentionem eſt, vt aqua in ſanguinem immediatè conuertatur. Atque hæc tùm ex authoritate, tùm ex ratione mihi occurrunt ad probandum, quòd ſit improbabilis, & noua, & ſuſpecta, & periculoſa illa opinio, quę aquam in ſanguinem immediatè tranſobſtantiari docet.

Bellarminus in Apologia ad Iacobum Regem Angliæ cart. 6. ex Vincentio Lirinenſi in Commonitorio definit. illud eſſe Catholicum, quod ſemper, & vbiquè creditum eſt. Aquam autem immediatè in ſanguinem tranſmutari, nuſquam per mille ſexcentos annos traditum, aut creditum eſſe à Catholicis reperitur; an igitur ſit catholicum, Iudex catholicæ fidei decernat.

CA-

CAPVT III.

Conſequentia, quam proponunt offenſores, rejicitur.

CXX. DOctor ſubtilis in 1. diſt. 26. quæſt. 1. R. ſalubre conſilium porrigit in iudicando de fide catholica dicens. *Articulum fidei, qui traditus eſt in generali, reſtringere ad intellectum ſpecialem, quaſi non poſſit intellectus generalis eſſe verſus, niſi ſpecialis ſit verus, hoc videtur articulum reducere ad incertitudinem*. Singulare ibi exemplum eſt de Trinitate diuinarum perſonarum, qui eſt articulus in generali traditus: ſpecialis intellectus eſt, conſtitutiua perſonarum ſunt relationes, vel ſunt abſoluta; cum iſti ſpeciales intellectus ſint ſub incertitudinem opinionum non eſt negandus intellectus generalis propter conſtitutiua relatiua, vel abſoluta.

In re noſtra. Veritas Euchariſtiæ eſt articulus traditus in generali: in ſpeciali ſunt duo intellectus, vnus aquam ſecundum ſe non tranſubſtantiari in ſanguinem, alter aquam ſecundum ſe tranſubſtantiari in ſanguinem, & ibi manere accidentia aquæ ſine ſubiecto. Si dixeris veritatem de Euchariſtia in generali conſiſtere non poſſe ſine ſecundo intellectu ſpeciali, jam certitudinem articuli de Euchariſtia reducis ad incertitudinem opinionis. Non enim poteſt eſſe certum, quod ſuper incerto fundatum eſt.

Quando igitur offenſores, ſuper opinione probabili (vt aiunt) fundati, cenſuram ferunt, quod opinio philoſophorum Græcorum ſit ſuſpecta in fide de Euchariſtia: ipſi offenſores reducunt fidei certitudinem ad incertitudinem opinionis. At verò reducere certitudinem fidei ad incertitudinem opinionis, eſt opus in fide ſuſpectum; igitur offenſorum iudicium in fide ſuſpectum eſt.

CXXI. Primò ergo diceret Cremoninus, veritatem fidei de Euchariſtia non dependere ab opinione vel affirmatiua, vel negatiua de immediata conuerſione aquæ in ſanguinem. Se tamen tenere opinionem contrariam, nempè quòd aqua prius conuertatur

in vi-

in vinum, mox vinum tranſubſtantietur in ſanguinem: aquam verò immediatè in ſanguinem neutiquam tranſubſtantiari. Hanc verò propriam opinionem non eſſe ſuſpectam in fide, quam fideliſſimi Theologorum tenent; ſed oppoſitam opinionem falſam eſſe. Sed tamen neque per affirmationem, vel negationem opinionis falſæ, negandam eſſe veritatem Euchariſtiæ.

Licentiam igitur peteret tenendi ſententiam Innocentij tertij ſummi Pontificis, Sanctorum Thomæ, & Bonauenturæ, atq; omnium priſcorum Theologorum: ſub qua opinione catholicorum Doctorum defendet opinionem Græcorum philoſophorũ, neque vlla ſuſpicio in fide Euchariſtiæ ſequetur, niſi ſcholaſtici etiam illi ſuſpectam in fide opinionem dicantur habere.

Secundò diceret iuxta negatiuam opinionem, in Euchariſtia manere aquam ſecundum ſuam ſubſtantiam, & accidentia, ſi aqua tempore conſecrationis conuerſa in vinum non fuit. Id, quod & ſecunda, & tertia ſententia probabiles apud cap. *Cum Martha* ex aſſerto Pontificis tenent. Si igitur cum opinione Græcorum philoſophorum dicatur ſubſtantia aquæ manere in Euchariſtia, non magis erit ſuſpecta in fide hæc philoſophica opinio, quàm duæ illæ Theologicæ, quæ non ſunt ſuſpectæ; ſed ſecunda probabilior iudicata eſt, quam prima vel tertia. Quæ autem eſt à ſummo Chriſti Vicario probabilior iudicata, vtiq; non eſt opinio in fide ſuſpecta.

Tertio diceret, quoniam in Græcorum philoſophorum opinione aliqui gradus frigiditatis ſunt conſtitutiui, ſine quibus aquæ ſubſtantia non manet, & iſti ſunt forma ſubſtantialis aquæ: aliqui ſunt aduentitij, & accidentales, cum quibus, & ſine quibus ſubſtantia aquæ poteſt exiſtere in rerum natura. Hoc ſuppoſito, ſi teneatur opinio affirmans, aquam immediatè conuerti in ſanguinem Chriſti, dicendum eſſet, quòd materia aquæ in materiam ſanguinis, forma aquæ in formam ſanguinis, & tota ſubſtantia aquæ conſtans ex materia, & ex forma, quæ eſt qualitas conſtitutiua, conuertitur in totam ſubſtantiam ſanguinis, manentibus frigore accidentali, alijſque accidentibus aquæ poſt conſecrationem. CXXIII

Ea propter conſequentiam ab Offenſoribus factam nihil con-

S clude,

cludere, quoniam conſequens debet inferre conuerſionem ſubſtantiæ aquæ in ſanguinem cum permanentia accidentium aquę ſine ſubiecto, iuxta aſſertam opinionem. At Offenſores perperam inferunt ſubſtantiam aquæ manere.

Quartò diceret, dato non conceſſo, quòd forma ſubſtantialis aquæ, nempè frigiditas elementaris maneret in ſacramento adhuc fore, vt accidentia aquæ ſint ſine ſubiecto. Etenim accidentia recipiuntur, vel in materia, vel in compoſito, at in forma neutiquam recipiuntur, vt in ſubiecto, tàm iuxta ſententiam philoſophorum Græcorum, quàm S. Boetij, qui in lib. de Trinit. ait, quòd forma non recipit accidentia, niſi quia hæc recipit materia ſubiecta, vti refert, & ſequitur S. Bonauentura in 2. diſt. 3. quæſt. 1. Igitur in hoc non læderetur veritas catholica de exiſtentia accidentium ſine ſubiecto in Euchariſtia, & ex conſequenti nil valet conſequentia per Offenſores facta.

CXXIV. Quinto diceret, ex duabus contradictorijs non poſſe inferri idem conſequens; vti docuit Ariſtoteles 2. Priorum cap. 4. Sint igitur duæ opiniones contradictoriæ, vna Offenſorũ, quòd aqua immediatè conuertitur in ſanguinẽ, alia Innocentij III. quòd non immediatè. Si ex priore affirmante cum opinione naturali lumine nota, ſcilicet cũ opinione Gręcorũ iſta, *qualitas prima eſt forma ſubſtantialis elemẽti aquę*, ſequitur cõcluſio ſuſpecta in fide, vti volunt Offenſores, fruantur illi affirmante ſua, & ſint ſuſpecti in fide. Se autem tenere negatiuam, ſcilicet aquam prius in vinum mutari, mox per conſecrationem vinum illud totum in ſanguinem tranſubſtantiari: ex qua negatiua contradictoria, cum eadem Græcorum ſententia naturaliter nota, non poteſt ſequi concluſio ſuſpecta in fide. Si igitur ambæ illæ contradictoriæ ſunt probabiles, integrum ſibi eſſe tenere ſecundam, ex qua nil mali ſequitur. Si ſecunda eſt ſimpliciter probabilis, immò & probabilior atteſtatione conditoris Canonum, & Canoniſtarum, atque atteſtatione Theologorum, non poſſe Offenſores aſtringere ſe Cremoninum ad ſententiam improbabilem. Quocirca & antecedens Offenſorum eſſe improbabile, & conſequentiam omninò improbam.

Sextò, Diſtinguendum eſſe inter fidem chriſtianam, & humanam

manam opinionem. Opinioni poteſt ſubeſſe falſum, fidei non poteſt. Opinio incerta eſt, & cum formidine de oppoſito, fides certiſſima, & firmiſſima. Opinio humanis dictis, fides diuinis inhæret. Velle igitur ex fundamento alicuius opinionis præiudicatæ iudicare de rebus fidei, eſt diuina humanis, firmiſſima infirmis, veriſſima falſis ſubijcere. Proinde ex probabiliore opinione iudicium etiam eſt non tutum. At ex improbabili, nouitia, ſingulari opinione idipſum facere, eſt longè magis periculoſum, & in fide ſuſpectum, ſicuti eſt iudicium ab offenſoribus factum.

Septimò, Aliud eſt exquirere dicta Ariſtotelis, & Græcorum philoſophorum, qui ex lumine naturali modò vera docent, modò falſa propter defectum, & intellectus, & obiecti naturalium, quæ non poſſunt ad ea, quæ ſunt ſupernaturalis ordinis pertingere. Aliud eſt exquirere ea, quæ ſunt fidei catholicæ, quod Theologiæ, atque Theologorum eſt officium. Se, diceret Cremoninus, loqui cum Ariſtotele, & Græcis, & eorum opinionem tueri. Cum autem multi tales ſint infideles, multi hęretici, non eſt mirandum, ſi dicant contra fidem, & Chriſtianas veritates. At latinos ab Auerroe Araba oppoſitam ſententiam in philoſophia didiciſſe. Fuit verò Auerroes in rebus fidei inconſtantiſſimus, alias Chriſtianus, alias Maumethanus, alias Iudæus, denique nullius legis, vt Ioan. maior in 4. notat. Is verò præter qualitates quatuor, quas Græci formas elementares exiſtimant, inuenit quatuor formas alias ignotas, innominatas, latentes. Neque minus mali expectandum eſt ex Auerrois opinione, qui fuit expreſſus Chriſtianæ legis deſertor, & impugnator, quàm à Græcis, quornm nullus tàm aduerſus Chriſtianos deſæuijt. CXXV.

Itaque neque antecedens Offenſorum, neque conſequentia ſubſiſtit contra Cremoninum; & vtinam vir ille nihil, quod eſſet contra fidem catholicam, ad aures Ariſtotelis ſcripſiſſet. Sed in hoc non ſunt meliores multum Cremonino noſtri Offenſores, qui cum Ariſtotele dicunt demonſtratum, quòd mundus, motus, tempus ſit æternum. Vnde & cum Ariſtotele negant creationē eſſe poſſibilem, iudicium vniuerſale, reſurrectionem mortuo-

S 2 rum.

rum. Immò & animam rationalem potius mortalem volunt ſecundum philoſophiam, & ſecundum Ariſtotelem, quam immortalem ſecundum ſubſtantiam cum accidentali varietate. Deum aiunt naturali neceſſitate ad extra agere, & ſine libertate, mancipatum cauſis ſecundis, & alia multa; quorum aſſertio non modò ſuſpecta eſt in fide, ſed ſine vlla dubitatione, & in his, & alijs fidei Chriſtianæ eſt maximè aduerſa, & pernicioſa.

En è quibus lacunis argumenta proferant Offenſores ad arguendos alios, eum ipſimet ſint iuſtius arguendi.

FERA-

FERACITAS
BELLVTI, & MASTRII.
CAPVT I.

Offenſores ſunt feraces in alijs vituperandis, & præſertim ſequacibus Ariſtotelis.

CXXVI

OFfenſores in lib. de gener., & corrupt. cart. 20. diſp. 1. quæſt. 2. art. 1. obloquuntur cõtra illos, qui Ariſtotelicæ innituntur authoritati. Sic autem aiunt.

Offenſio.

Probatur primo pluribus, & manifeſtis Ariſt. authoritatibus, non quia in his caput faciamus, nàm apud nos ſemper magis vrgebit vna ſtabilis ratio, quàm mille authoritates. Scire nanque eſt rem per cauſam cognoſcere, non per authoritatem, & vt inquit ille, non eſt attendendum quis dicat, ſed quid dicat.

Ad probandum, quòd non valeat authoritates citare, citant authoritates Angeſti, Raguſei, Zabarellæ, atque ita probant per id, quod reprobant. Et ſubdunt.

Nàm qui ſoli authoritati fidit, rationem ſpernens, argutè à quodam appellatus eſt vir multæ authoritatis, ſed modicæ rationis.

Defenſio.

Iſte vir, qui laudatur tanquam argutè dicens, eſt P. Maſtrius. Cum enim in publica diſputatione ab Admodum R. P. Mag. Franciſco Maria Vaccario, tunc publico metaphyſico, authoritate Ariſtotelis ipſe Maſtrius arctaretur, nec poſſet aliter ob inopiam ſolutionis effugere argumentum, dixit ad P. Metaphyſicum. Vos eſtis multæ authoritatis, ſed modicæ rationis: nos multæ rationis, modicæ authoritatis. At falsò dixit. Nam P. Vaccarius erat homo nullius authoritatis, qui nihil ſibi authoritatis arrogabat, ſed totum ſe committebat authoritati ſummi philoſophi. Nimirum vt præcellens Peripateticus Peripateticorum principem afferebat. Maſtrius verò multæ eſt authori-

tatis,

tatis, qui omnium authoritates, etiam ſummi philoſophi authoritates mille reprobat, præ vna ſua ratione. Fuga eſt, quando Maſtrius non poteſt liberare ſe ab authoritate Ariſtotelis in philoſophia, reijcere Ariſtotelem. Idem facit in Theologia, quando etenim authoritates Patrum Eccleſiæ ipſi obijciuntur, nec poteſt ſe eximere, negat Patrum authoritates. Sic negauit in cathedra publica S. Ioannis Damaſceni authoritatem, quam nunquam Scotus negauit. Sic alias dixit arguenti: *laſciate l'autorità di queſti Padri, che ſono buone per far concetti alla moda*: Quam obrem in theologicis veritatibus excutiendis, Patrum ſententias irridet, rationes quærit: cum tamen in rebus fidei catholicæ authoritas primum locum teneat, ratio ferè poſtremum, niſi ſuper authoritate fundetur.

CXXVII Mos iſte reijciendi authoritates Patrum Sanctorum cæpit ab Arnaldo hæretico, & Petri Abailardi hæretici conſorte. Arnaldus nanque ſuo confiſus ingenio, omnium ſanctorum Doctorum (vt author eſt Alphonſus de Caſtro lib. 3. aduerſus hæreſes) ſententias contemnere cæpit. Teſtatur hoc etiam Prateolus de vitis hæreticorum in vocabulo *Arnaldiſtæ*.

Illud etiam obſeruo in articulorum Pariſienſium cap. 16. talem articulum contineri damnatum. *Quòd homo non debet eſſe contentus authoritate ad habendam certitudinem de aliqua ratione*. Non igitur eſt ita liberum homini cordato ſapientum in Theologia, & philoſophia contemnere authoritates. At facilius eſt cauillari contra rationes, non ita facilè eſt declinare authoritates. Quod animaduertit Ariſtoteles in primo poſter. tex. 77. cum dixit, demonſtrationem fieri ad rationem, quæ eſt in anima: ſemper enim ad externam orationem eſt inſtare, ad internam non ſemper. Verùm P. Vaccarius honoratæ memoriæ, erat etiam homo multæ rationis. Cum nanque Maſtrius defenderet concluſionem illam, ſacramenta nouæ legis habent effectum ex opere operato. Arguebat Vaccarius contra.

Exorciſtatus non habet effectum ex opere operato.

Exorciſtatus eſt ſacramentum nouæ legis.

Igitur ſacramentum nouæ legis non habet effectum ex opere operato.

Maior

Maior probata eſt. Quod ex operato fit, ſemper, vel in pluribus fit. Sed exorciſta per impoſitionem manuum, & exorciſmos rarò expellit dæmones ab obſeſſis: ergo exorciſtatus, vel exorciſta non efficit ex operato, ſed fortè ex operante, & potius miraculosè, quàm regulariter ex effectu ſacramenti.

Minor probatur; quoniam exorciſtatus eſt vna ſpecies ordinis ſacri: ordo ſacer eſt ſacramentum nouæ legis; ergo exorciſtatus eſt ſacramentum nouæ legis. *Sco. 4. d. 24. qu. 1.*

Hanc rationem P. Vaccarius ad vinciendum Maſtrium inuenit, Maſtrius homo multæ rationis, rationem exoluendi ſe non inuenit. Atque adhuc deſideratur vera ſolutio, quæ à quibuſdã Vaccarij diſcipulis, tunc ridentibus, ſciebatur. Sed quam Bellutus, & Maſtrius polleant ratione, patuit hoc libro, dum Contarenum impugnarent. Patuit, dum Raguſeum, & Fernelium impeterent. Quæ inuenerunt apud Contarenum, tranſcripſerunt: ſed Contarenus nullam rationem fecit contra Raguſeum, aut Fernelium: nullam per conſequens rationem ex Contareno tranſcribere, nullam ex proprio ingenio valuerunt conficere. Plures potuiſſem oſtendere quæſtiones Contareni ab Offenſoribus expilatas, ſed ex libello præcedenti iuxta prouerbium quilibet poterit ex vngue leonem cognoſcere.

Reuertamur ad maledicta de authoribus, qui authoritate Ariſtotelis vtuntur ad cart. 256. col. 2.

Vide, qua conſequentia deducantur ex quibuſdam propoſitionibus, quas indefinitè protulit Ariſt. & hi Laterones eius recipiunt pro vniuerſaliſsimis, quaſi propoſitiones omnes Ariſt. ſint vniuerſaliter veræ, ſanè aliam aſſeruit propoſitionem 9. met. 15. huic ex diametro oppoſitam, priora generatione ſunt poſteriora perfectione, quomodo ergo ambæ erunt vniuerſaliter veræ? Irrationabilis hic philoſophandi nonnullorum modus inde traxit originem, quòd iſti ſimpliciſsimè, & ieiunè Ariſt. authoritati nimium fidunt, nec niſi ſolis authoritatibus ſua aſſerta probant, quod quàm virum philoſophum dedeceat, diximus ſupra diſp. 1. quæſt. 1. art. 1. Offenſio

Hæc, & alia effundunt contra Peripateticos, qui, vt par eſt, ſuum ſequuntur principem. Retuli hæc in generali dicta contra Ariſtoteleos. Iam in ſpeciali aliquot maledicta in diuerſos Defenſio

autho-

authores congeſta per ordinem reponam. Nàm omnia eorum dicteria, & ſcommata colligere faceret libellum nimis magnum.

CAPVT II.

Vituperia quorundam authorum à Belluto, & Maſtrio ex eorum feracitate referuntur.

Cremon. Græci Cremon. GRæços,& Cremoninum cart. 15. col. 1. *Græcorum ſententiam Alexandri, Themiſtij, Simplicij, Philoponi, Amonij, & aliorum, quos citat & Mordicus ſequitur ex latinis (apud quos illa opinio nunquàm inualeſcere potuit) ſolus Cremoninus, Perpetuus Græcorum Latero, ac Idolatra, integro libello, &c.*

Cart. 20. col. 2. *Ex potiſſimum de cauſa Ariſtotelis authoritates adducimus pro noſtro aſſerto, vt Putidum Cremonini Mendacium refellamus, qui ſect. 1. cap. 1. ſub finem ait, latinos nec vnum quidem Ariſtotelis locum adducere poſſe, vbi elementorum qualitates appellauit res accidentales,*

Iniuria grandis *mendacij putidi* eſt, preſertim in Offenſoribus, qui ne vnam quidem Ariſtotelis authoritatem obſeruauerunt, ſed omnes ex Contareno furto, an rapto? ſuſtulerunt.

Teleſius. Teleſium cart. 32. col. 2. Reſponſ. ad 1. *Ex ratione Teleſius dixit, ignem eſſe humidum: quod quàm erroneum ſit, neminem latet.*

Roccus. Auerſa. Roccus, & Auerſa tractantes de qualitatibus virtualibus car. 34. col. 2. taxantur *quam opinionem obſoletam ſuſcitarunt Roccus 2. de generat. quæſt. 2. & Auerſa nuper quæſt* 41. *art.* 4. & infra refutant cart. 35. col. 1. Ariſtoteles. *Qualitates elementares, actuales, & formales vocat abſolutè primas in elementis, nec per ſomnium quidem alias virtuales ſignificauit.*

Io. de S. Tho. Ioan. de S. Tho. cart. 35. col. 2. *Alias quoque rationes ad hoc adducit Ioan. de S. Tho. loc. cit. quæ tamen minus idoneæ ſunt, non enim minus auertunt tales qualitates virtuales in mixtis (in quibus tamen ipſe quoque eas admittit) quàm in elementis, & ſunt facillimæ ſolutionis, vt eas conſideranti conſtabit, quas proindè omittimus.* Sic de rationibus alienis, nā proprias (ſi vllæ tales) inſolubiles volēt.

Fran.

Franciſcus Suarez cart. 49. col. 2. *Tum quia, vt optimè arguit Suarez, apud quem nullum aliud præter hoc reperimus argumentum alicuius momenti, contra hanc qualitatem mediam, cætera nanque facilè diluuntur per ſolutionem Trombetæ allatam.* Suarez.

Franciſcum Lichetum cart. 51. col. 1. *Et gratis omninò negatur caſus iſte à Licheto dicente, quòd ſolùm vnum gradum deſtruet, nunquam duos; ſic enim dicens, manifeſtam committit petitionē principij, cum aſsignet pro ratione id, quod quæritur.* Lichetus.

Areſium cart. 64. col. 1. *Malè ergo negat, & limitat Areſius principia, quædam philoſophica ab omnibus recepta, vt pecularia ſua placita tueatur; malè etiam præcludit viam veſtigandi qualitates primas ex ſecundis &c.* Areſius.

Teleſium cart. 65. col. 1. *Adeò vt qua fronte negauit Teleſius aquam eſſe frigidam ſuaptè natura poterat quoque negare ignem eſſe calidum.* Teleſius.

Ariſtotelem cart. 65. col. 2. *Tum quia doctrina illa Ariſtotelis 1. meteor. cap. 4. ſano modo debet intelligi; nàm abſolutè intellecta ſubſiſtere nequit, & grauem patitur calumniam, vt demonſtrauimus diſp. 2. de cælo quæſt. 7. art 4. Tùm quia licet aliquo pacto ſuſtineri poſſet, & defendi hæc opinio quo ad calorem, & frigus, non tamen quo ad alias qualitates, &c.* Ariſtoteles.

Areſium cart. 69. *Et ſic patet, quomodo rationes, & experimenta pro aeris frigiditate ſtabilienda, de quibus adeò gloriatur Areſius, facilè diluuntur. Qua de cauſa etiam ſi pro noſtra ſententia rationem non haberemus adeò euidentem, adhuc probabilior cenſeri debet ob Ariſtotelis authoritatem, quem Areſius ſibi in caſſum conciliare contendit; nàm ex profeſſo ſtat à nobis.* Areſius.

In ſumma gloria aliorum offenſoribus non placet, ſola propria ſui ipſorum gloria placet. An non ſufficiebat ſoluiſſe qualitercunque Areſij argumenta, niſi etiam inſultarent exultantes, quod ab ſe eſt Ariſt. quodq; incaſſum id Areſius ſibi aſsumit?

Cart. 77. col. 1. *Conimbricenſes 2. de generat. cap. 3. quæſt. 5. art. 4. cum Marſil. in hoc loco concedunt qualitatem excellentem elemento conuenientem impleri vſque ad totam latitudinem, vt aer per admixtionem contrariæ qualitatis, & idem tenent Zabarel. cit. &c. Sed ſecundam impugnationem allatam contra hanc partem non ſol-*

uunt, immò nec adducunt, & ſanè nobis videtur ratio ſatis efficax, ob quam libenter ad aliam declinamus partem cum Saxon. quæſt. 2. huius libri, Alexan. 1. meteor. com. 13. Zimara theor. 18. Complutenſ. cit. quæſt. 5. Toleto 2. de gen. quæſt. 6. Ruui. cap. 7. quæſt 19. Arriag. & alijs. Qui tamen non præfata ratione oppoſitam impugnant partem, ſed alijs minoris momenti, & facilè ſolubilibus.

Io. de S. Thoma. Ioan. de S. Tho. cart. 87. col. 1. *Nec contra hanc ſententiam aliquid facesſit, quod vrget Ioan. de S. Tho. & allatis illius argumentis.* Hæc imbecillima ſunt, ad primum enim dicimus.

Thomiſtæ. Thomiſtas cart. 133. col. 2. *Thomiſtæ cum D. Thoma parte 2. quæſt. 52. art. 1. & 2. aſſerunt per intenſionem non acquiri nouam partem formæ, ſed nouam radicationem in ſubiecto; mirabile tamen eſt, quàm inter ſe diſcrepent in explicatione huius radicationis, ita vt poſt multas verborum ambages, potius obſcuriorem reddunt radicationem iſtam, quàm declarent.*

Thomiſtas cart. 139. col. 2. Primò referunt reſponſionem Ioannis de S. Tho. ſecundo reſponſionem Complutenſis collegij, & ſubdunt. *En in quot difficultates, & inextricabiles anguſtias labuntur, vt nec ipſi ſe intelligant; quid enim velit aſſerere prima reſponſio per hoc, quod eſt modum dum eſt in fieri, eſſe per modum diuiſibilem, dum eſt in facto eſſe, tunc per modum indiuiſibilem, non ſatis conſtat.*

Et cart. 140. col. 1. *Nec minus obſcura, vana, & falſa eſt ſecunda reſponſio &c.*

P. Vulpes. P. Vulpes. cart. 150. col. 2. *Pater Vulpes 2. part. tom. 3. diſp. 105. art. 4. non videtur percepiſſe ſtatum controuerſiæ, dum ex vna parte decidendo hoc quæſitum ait, gradus iſtos eſſe materialiter diſſimiles, hoc eſt indiuidualiter, & formaliter ſimiles, ſeù eiuſdem ſpecificè naturæ; & deindè impugnat Vaſquez, &c. Non enim Vaſquez loquitur de diſſimilitudine proueniente à differentijs indiuidualibus, quaſi quòd voluerit omnes gradus eſſe idem numero, hoc nanque nunquam ſomniauit, &c.*

Non Leuis incuſatio eſt, *non percipere ſtatum controuerſiæ.* Imponere Vaſquezio, quòd iſte ne ſomniauit quidem. Sed inferius cart. 153. col. 1. *Nec Vulpes eſt philoſophicè, & Scoticè locutus, dum loco citato negat, alterationem in habitibus ſpiritualibus*

bus habere rationem motus; ità de homine valdè doƈto, & benè merenti de Scoto ſcribunt.

Thomiſtas non ſanæ mentis. Cart. 165. col. 1. *Quem præter Scotiſtas ſequuntur ferè omnes recentiores, immò & Thomiſtæ ſanioris mentis, vt Bannes 1. de gener. quæſt. 6. Complut. diſp. 4. quæſt. 10. Ioan. de S. Tho. quæſt. 3. art. 3.* Sic ibi. Sed paulò ante citarunt Thomitas contra ſentientes, qui ſcilicet erunt mentis inſanioris vt Capreolus 1. diſt. 15. quæſt. 2. art. 2. Soncina 8. met. quæſt. 22. Iauel, & Ferrarien. 8. Phyſic. quæſt. 7. Zanard. quæſt. 9. & alij. Thomiſtæ

Modernos. Cart. 171. col. 1. *Hinc negatur maior, nec probatio vrget, ſæpius enim has modales entitates Recentioribus valdè familiares negauimus, & quamuis ſeipſis vniantur cum partibus, adhuc ſi partes non eſſent, poſſent exiſtere, vt diximus diſp. 9. Phyſ. quæſt. 2. & 5. in reſponſione ad tertiam confirmationem quarti argumenti principalis. Hinc non approbamus, quod ait Suarez.* Moderni.

Cart. 179. col. 2. *Hæc ſola difficultas in tot diſtraxit opiniones Auƈtorum capita in hac materia, cui plenè ſatisfacere nequimus, niſi quouſque noſtram proferamus ſententiam de rarefaƈtione, & condenſatione, quod inferius quæſt. vltima præſtabimus.* Ita omnes ſententias, & authores expeƈtabant nouos Ariſtoteles, vel Hiarchas.

Arriaga. Cart. 182. col. 2. de rarefaƈtione contra Arriagam diſputant. Arriaga *Stupiditatis inſimulat omnes authores, quòd hactenus id non conſiderauerint. At nobis placet errare cum multis, quàm ſapere cum ſolo Arriaga, cuius doƈtrina nimis ſingularis eſt, & deſtruit finem, ob quem cucurbitæ medicæ ſunt adinuentæ.* Arriaga

Sed Arriaga non eſt ſingularis, quia Offenſores pagina præcedenti in hanc ſententiam Arriagæ citant OKam, Gabrielem, Valleſium, Mayronem, & Scotum iudicantem, aſſertum Arriagæ de rarefaƈtione, vt probabile.

Arriaga fecit inter alia duo argumenta contra ſe, & ſoluit. Offenſores cart. 184. col. 2. *Hæc ſolutio eſt mera fuga snàm in compreſſione, &c. quòd autem partium vnio tolli debeat imperceptibiliter, vt ſit vera rarefaƈtio, videtur prorſus voluntarie diƈtum, & fiƈtum ad fugam argumenti.*

Cart. 185. col. 1. *Neque maiorem ſoliditatem habet ſolutio ad aliud abſurdum.*

Col. 2. *Sed hoc ſuum aſſertum, quod eſt vnicum fundamentum ſuæ opinionis, eſt penitus à veritate alienum.*

Infra. *At Arriaga, vt omnia peruertat, poros ponit in aqua, aere, & igne,* & ibi plura ferocius: quia furacius ab Arriaga ſurripiunt.

Scotiſtæ. Scotiſtas. Cart. 188. col. 2. citant Scotiſtas tenentes, rarefactionem fieri per productionem quantitatis nouæ ſecundum partem. Scotiſtas taxant

Cart. 189. col. 1. Quaſi non benè legerint Scotum docent cart. 190. col. 1.

Reſponſionem Baſolij, & Biragi ſic reijciunt: *Cæterum ſic reſpondentes, non videntur vim argumenti percipere. Exemplum verò de charitate à Baſſolio adductum, eſt prorſus ab re.*

Tatar cit. *valdè perplexè loquitur, &c. At neque Tataretus vult vim argumenti percipere.*

Contra alios Scotiſtas cart. 191. col. 1. *Sed velint, nolint, altero illorum modorum fieri debet additio noua quantitatis, & fruſtra recurrunt ad illam permixtionem, & confuſionem, vt magis rem confundant.*

Cart. 192. col. 1. *Nonnullas euaſiones ad hæc adducit Doctor, quæ paſſim ab Authoribus afferuntur, veluti Scoti reſponſiones pro tuenda oppoſita ſententia, à qua ipſum ſtare arbitrantur. Sed ſicut temerè iudicarunt de mente Doctoris, ita & de euaſionibus, quas affert ad hoc argumentum ex Euchariſtia deductum, quandoquidem fixo pede illas reijcit.*

Auerſa. Gabrielem Auerſa. Cart. 192. col. 2. *Nec etiam defendi poſſe in eo ſenſu, quo cogitauit Auerſa: tùm quia potentia illa de genere qualitatis, quæ ſit immediatum, & proximum ſubiectum cæterorum accidentium, etiam quantitatis ipſius, quam comminiſcitur Auerſa, eſt prorſus vana, & commentitia, vt oſtendimus diſp. 3. Phyſ. quæſt. 3. art. 2.*

Moderni. Modernios. Cart. 198. col. 2. de ponentibus, quòd raritas, ac denſitas ſint qualitates. *Diſplicet tandem hæc opinio, quia difficultatem ab initio diſputationis propoſitam, quæ eſt radix totius controuerſiæ,*

trouerſiæ, relinquit in ſua vi, &c. Vndè hæc opinio communibus, & proprijs vrgetur difficultatibus, quæ de cauſa noſtro iudicio omnes aliæ opiniones huic præferri debent, & certè miramur, cum hæc opinio nullam effugiat difficultatem, cur tot apud modernos inuenerit aſſeclas.

Io. de S. Tho. Cart. 207. col. 2. *Rem non amplius explicuit hic author, quia nec ipſe, vt credimus, intelligebat, quod ſcribebat, ſed doctrinam illam de contactu inadæquato indiuiſibilis ad partem iàm diſp. 9. Phyſic. quæſt. 2. art. 5. in ſolut. ad 3. & 4. impugnauimus, ac etiam hic admiſſa non deſeruit, ſed prorſus rem confundit, &c. Sed certè à ſæculo non eſt auditum, quòd indiuiſibilia exerceant munus expandendi partes in loco; hoc enim prorſus repugnat eorum naturæ, vt efficaciter monſtrauit Ariſtoteles &c.* *Io. de S. Tho.*

Io. de S. Tho. & Peripateticos, atque Academicos. Cart. 212. col. 1. de ratione probante generationem ſubſtantialem. *Reſolutionem affirmatiuam huius articuli recipiunt omnes tùm Peripatetici, tum Academici. Verùm non omnes eadem gradiuntur via ad eam indagandam; immò quamplures afferunt rationes prorſus inutiles, & vt plurimum principium petentes, præſertim vero Ioan. de S. Tho.* *Io. de S. Tho. & Peripatetici, atque Academici.*

Cart. 215. col. 1. *Aliunde igitur argumenta deducat hic Thomiſta ad negandum materiæ actum entitatiuum, vel tandem cum cæteris ſcholis fateatur hanc Scoticam veritatem, immò cum ſua, quam plures enim modo etiam ſui inſtituti pudet id negare, &c.*

Anaxagoram. Cart. 216. col. 1. contra Anaxagoriſtas. *Et hæc fuit poſitio Anaxagoræ, qui omnia in vnoquoq; actualiter contineri aſſerebat, vt ei impingit Ariſtoteles 1. Phyſic. ſed hæc etiam Antiquitas inſulſa eſt, quam optimè Ariſt. cit. reiecit, & Nos diſp. 1. Phyſic. quæſt. 7. art. 1.* *Anaxag.*

Cart. 217. Irriſionem Ferchij quàm grauis ſit legat lector, ſed excutiat libro ſequenti. *Ferchius.*

Authores. Cart. 224. col. 1. *Reſtat, vt naturam generationis ſingillatim in vna, & altera acceptione declaremus. Sic enim commune vitium Authorum in hac re deuitabimus, qui aut confundunt vnam acceptionem cum alijs, aut ſi illas diſtinguunt, non poſtea explicant generationem, niſi ſub altera tantùm.* *Authores.*

Suarez, Conimb. cart. 225. col. 2. *Hinc hallucinantur Suarez diſp.* *Suarez Conimb.*

15.

15. met. ſect. 2. num. 14. Conimb. 1. de gener. cap. 4. quæſt. 15. dum has actiones non diſtinguunt, & aiunt eadem omninò actione, qua fit compoſitum, fieri quoque formam. Et infra.

Moderni. *Immò vniuerſaliter errant Moderni ferè omnes, autumantes eandem prorſus eſſe actionem realem.*

Ariſtoteles. Cart. 229. col. 1. De generationis definitione primò Ariſtotelem ſugillarunt pagina præcedenti, quòd nullam exactam definitionem generationis dederit, cum ex eo quinq; retulerint. Præſertim verò de quarta, quæ in 1. de gener. 23. contra Peripateticos ita ſcribunt.

Peripatetici. *Cum hæc autem ita ſe habeant, mirum eſt, cur Peripatetici ferè omnes quartam definitionem arripuerint pro explicanda generationis natura, tamque anxij fuerint in ea tuenda, & non quintam, quæ adeò facilis eſt, ac obuia.*

Poſſunt Offenſores iam liberare me ab ſua accuſatione, quòd mea opinio eſt contra communem. Nam & Offenſorum opinio eſt contra omnes Modernos, vt in præcedenti exprobratione ponunt, eſt contra ferè omnes Peripateticos, vt in præſenti. In quo igitur accuſant me, accuſent ſemetipſos.

Faber, & Defenſores. Fabrum, & Defenſores. Cart. 234. col. 2. *Hoc facilè reijcitur, quia iſte loquendi modus æquiualet illi, quo aliqui vtuntur appellantes priuationem ens verum, & reale priuatiuum. Quam fatuitatem refellimus diſp. 4. Phyſicorum.*

Moderni. Modernos. Cart. 238. *Quamuis hoc dubium ſit facilis reſolutionis, recentiores tamen quamplures inutili verboſitate, ac terminorum varietate rem implicant.*

Bannez. Bannez. Cart. 242. Ad obiectiones pro Bannez. *Ad 3. ſexcenties negata eſt minor. Ad 4. negatur aſſumptum, & doctrina ad eius probationem aſſumpta millies à nobis damnata eſt in Phyſ. diſp. 2. quæſt. 2. art. 1. & ex profeſſo diſp. 8. quæſt. 1. art. 1. Præterquamquod argumentum non eſt ad rem.* Quanta iactantia! Quanta hyperbole! Sexcenties, Millies! Quantus contemptus! Damnati!

Vaſquez. Vaſquez. Cart. 249. col. 1. *Vnde fuga de illo eſſe communicato non videtur eſſe, niſi vocalis tantùm, ita Doctor; & hac ratione nos quoq; hoc Vaſquez figmentum refellimus diſp. 5. Phyſ. q. 3. art. 3.*

Fabrum.

Fabrum. Cart. 249. col. 2. *Verus igitur, & legitimus modus ponendi totum diſtingui realiter à partibus non eſt hic (ſcilicet Vaſquezij) Nec ille, quem dedit P. Faber theor. 21. cap. 3. & adeò mordicus perpetuò defendit 3. ſent. diſp. 19. cap. 3. & rurſus 7. met. diſp. 22.* Fabri.

Sed ſi alij vel Scotiſtæ vel non Scotiſtæ verum, ac legitimum modum, non attingunt, quis eſt hic, qui attingat, & tradat? Reſpondent eadem col. 2.

Verus itaque ſenſus diſtinctionis totius à partibus, & quem intendit Doctor 3. diſt. 2. quæſt. 2. traditur à Nobis diſp. cit. Phyſ. quæſt. 13. art. 1. quaſi dicant.

Nos acutiſſimæ aquilæ, & in videndo vero ſenſu, & in videnda intentione mentis Scoticæ ſuper alios eminemus. A' Nobis traditur, non ille, non iſte ſenſus, ſed noſter eſt verus, & intentus à Scoto. Hoc dicere volunt. Quid? Nonne & alij vt Cauellus, vt Meruiſſe?

(Quicquid ibi dicat P. Cauellus in ſcholio, & Meuriſſe lib. 2. met. cap. 3. part. 9. quæſt. 4. vbi inquit Doctorem cit. 3. diſt. 2. quæſt. 2. ſolam diſtinctionem formalem intendere inter totum, & partes, non realem, quod delirium refellimus diſp. 1. log. quæſt. 5. art. 2.) Cauellus Meruiſſe.

Vbi adeò exactè hanc controuerſiam pertractauimus, vt quamuis poſt illius editionem alij graues authores pro oppoſita ſent. ſtrenuè decertantes ad manus peruenerint, vt Complut. 1. Phyſ. diſp. 6. Contaren. cit. Areſius 1. de gener. diſp. 2. quæſt. 13. Ioan. de S. Tho. 1. Phyſ. quæſt. 6. art. 2. Manca 1. Phyſ. quæſt. 1. dub. 1. Arriag. diſp. 5. Phyſ. ſect. 1. nec obiectiunculam quidem offenderimus, quæ ibi ad amuſſim præuiſa, & ſedata non fuerit, nec vllam rationem vrgentem. Complutenſes, Areſius, Io. de S. Tho. Manca, Arriaga, Contare.

Strenuè decertantes dicuntur, ſed ita, vt nec obiectiunculam contra Offenſores inuenire valuerint: nec vllam rationem vrgentem. Vnum reſtabat dicere (ſi vos Offenſores omnes rationes præuidiſtis) authores citatos non ex ſe obiectiunculas inueniſſe, ſed à vobis pridem ſolutas reſcripſiſſe, ſicut vos ab alijs reſcribitis.

CAPVT III.

Aliæ impugnationes poſt impugnatum Ferchium accerbiores.

IN diſp. 5. de gener. & corrupt. quæſt. 1. & quæſt. 2. contra Ferchiũ, ideſt cõtra me pugnant. Et antequàm impugnarent me, modicè quodammodo in aliorũ probris inuecti ſunt. At poſtea quàm in me exarſerunt efferatiores effecti, longè atrocius, & mordacius in alios vituperandos excurrunt. Ergo ex quæſtionibus prima, & ſecunda in tertiam ingrediuntur, & in articulo primo contra Arriagam declamant.

Offenſio. Arriaga. Arriaga. Cart. 258. col. 1. *Verùm quia Arriaga nuperrimè poſt noſtræ Phyſicæ editionem acerbiſsimè in eam ſententiam inuehitur diſp. 6. Phyſ. ſect. 6. æmulatione accenſus cuiuſdam ſuĩ collegæ (vt facilè ex eius verbis colligitur) nobiſcum ſentientis, libet per excurſionem quandam rationes potiores pro nobis loc. cit. adductas rurſus recurrere, vt oſtendamus, non eſſe tàm debiles, vt arbitratur Arriaga, & quidem ab initio diſputationis oſtentat hic Author ſe ſe non veritatis indagandæ Zelo, ſed liuore, & æmulatione hanc concertationem ſuſcepiſſe, ais enim hanc quæſtionem à pluribus iactari celeberrimam, & deciſionem pro parte Scoti in ſcholis inualuiſſe, nullam tamen myſterium ſe vnquam in ea vidiſſe, nec partem Scoti ita inualuiſſe, vt iactant, quia in Hiſpania nullus eam defendit, immò nec ex profeſſò impugnare dignatur, tanquam rem ſine ſolido fundamento, in Italia pauci, & in partibus Germaniæ (vbi ſcribebat) rariſsimi, omnes deniq; è ſua ſocietate, quot quot ſua typis mandarunt, contrarium docuiſse duobus exceptis P. Dandino, & P. Coninch. in quibus ergo ſcholis inualuit? Inquit hæc Arriaga Hiſpano ſupercilio. Immeritò tamen hanc quæſtionem de pluralitate formarum in compoſito aſpernatur hic Author, in qua tot viri graues calamum adhibuerunt, & integros de hac re tractatus lucubrarunt, immeritò etiam ſententiam Scoti in ſcholis non inualiſse, nonne viget in ſchola Scotiſtarum? Nonne in ſchola Auerroiſtarum? Cum omnes Medici, Philoſophi ſæculares omnes eam incunctanter tuentur? Quoque Nominales eam ſectantur? An nec iſtæ*

iſta non ſunt ſcholæ? Ex quatuor igitur ſcholis in dominio philoſophico exiſtentibus Auerroiſtarum, Thomiſtarum, Scotiſtarum, & Nominalium tres ferè noſtram ſectantur, & petit Arriaga in quibus ſcholis inualuit? Tot denique habet aſſeclas, vt Bannez ipſe dicat 1. de Gener. quæſt. 8. Quotquot Theologi, & Phyſici, & Metaphyſici ſunt, contra D. Thomam coniuraſſe videntur, & inquit Arriga nullum habere defenſorem? Certè nullam putat iſte extra ſocietatem extare ſcholam, nullumque præter Ieſuitas ſcripſiſſe authorem, quod facilè colligitur ex toto eius opere, in quo non citat, niſi authores ſuos, nec niſi cum ſuis diſputationem init, etiamſi typis ſcripta non dederint, cum exteris manum conſerere dedignatur, qui mos ſcribendi apud recentiores Ieſuitas inualuit minime laudandus, non enim in hunc modum ſcripſerunt Suarez, Vaſquez, Molina, Fonſeca, Conimb. & alij præclariſſimi Societatis authores, exteros enim æſtimabant, & eorum authoritate ſua fulciebant placita, vel eos grauiter impugnabant, vt poſtulabat occaſio, nec tempus inſumebant in reſpuendis priuatis placitis collegarum, & reſponſis datis intra domeſticos parietes, vt moris eſt modo recentiorum ſcribentium, concludimus hanc ſcribendi rationem nouiter adinuentã ſuperbiam in eis arguere, dum cum exteris diſſerere renuunt, vel timorem; ſed de his ſatis, percurramus modò rationes Scoticas ab ipſo pro noſtra ſententia adductas, vt videamus, an illis benè occurrat. Ieſuitæ. Superbia arguitur Ieſuitæ.

Cart. 260. col. 2 *Vide quantum audeat hic author, vt mordicus oppoſitam tueatur ſententiam, & ad ſoluendam primam rationem theologicam auſus eſt ponere aliquod accidens corporis Chriſti ſub ſpeciebus ex vi verborum, in quo trepidarunt antiqui omnes ſcholaſtici, immò manifeſtè negarunt; hic verò audet admittere naturaliter poſſe materiam ſine forma exiſtere, quod hactenus philoſophorum nemo non abhorruit.*

Hic argumentum eſt contra Offenſores, qui putant, aquam immediatè in ſanguinem Chriſti conuerti, quod antiqui omnes, & Theologi, & ſummiſtæ negarunt, vti vidimus in libello præcedenti ad finem. Sed in eodem articulo quàm plura in Arriagam effuſa legantur.

Contarenus, Zabarella. Cart. 267. col. 2. *Diſtinctionem hanc de terminatione, & interminatione quantitati ſola, non item* Contarenus, Zabarella.

 aliis

alijs accidentibus, Auerroiſtæ ipſi appropriarunt, vndè licentioſè nimis interminationem hic author ad alia quoque accidentia transfert; ſed abſolutè loquendo nec ipſi quantitati priuilegium hoc eſt concedendum, vt tandem fateri coactus eſt ipſe Zabarella quantitatis interminatæ propugnator acerrimus, qui loc. cit. &c.

Thomiſtæ. Thomiſtæ. Cart. 270. col. 2. *Ad 3. valdè laborant Thomiſtæ, vt explicent, quomodo diſpoſitiones prauiæ, etiamſi deſinant, relinquant materi am ſig illatam, &c. & tandem poſt multũ ſudoris nihil lucrantur.*

Et in pagina ſequente col. 2 *Vt Thomiſtæ, qui profectò valde inconſequenter loquuntur &c. Ad hanc inconſequentiam tollendam quid hic comminiſcuntur Thomiſtæ?* & cæt. Atque hoc aduerſus Thomiſtas ſex columnis inſultant.

Cart. 279. col. 1. *Nec valet infelix illud effugium Thomiſtarum &c. Centies enim id impugnatum eſt, & præſertim in propoſito prorſus implicare videtur.*

Ruuius. Ruuius Ibidem. *Nec minus iuuat, quod inquit Ruuius, negari debere conſequentiam &c. Hæc ſanè tota reſponſio conſiſtit in verbis; quæſò cur non poſſunt hæc ambo comparari*, & tota columna.

Fuentes. Fuentes Cart. 280. col. 1. contra Fuentes: *Et ait eſſe de mente Scoti 2. diſt. 37. ſed non ſine ingenti calumnia.*

Rubion. Rubion Cart. 280. col. 2. *Vndè decipitur in hoc Rubion, quia putat agens duplicem habere actionẽ &c. hoc eſt penitus falſum.* Infra. *Et in hoc rurſùs decipitur Rubion putans opus eſſe, quòd forma noua veterem in ſubiecto reperiat, vt eam expellat.*

Scotiſtæ. Scotiſtæ, Nominales. Cart. 287. col. 2. *Interim notanda eſt hic nonnullorum inconſequentia, præſertim Scotiſtarum, qui cum Scoto 2. diſt. 2. quæſt. 9. negant in animatis, & homogeneis terminos paruitatis, & poſtea aſſerunt generationem eorum fieri in inſtanti, in quo ſanè magis conſequenter loquuntur aduerſarij &c. Minus etiam conſequenter loquuntur alij, vt Conimb. 1. Phyſ. cap. 4. quæſt. vn. art. 7. Gregorius 1. diſt. 17. quæſt. 2. art. 3. & alij Nominales.*

Thomiſtæ. Thomiſtæ. Cart. 293. col. 2. *Probant Thomiſtæ hac ratione ex D. Thoma deſumpta 1. de gener. 84.* &c. *quæ ratio nihil concludit*, &c. Multa plura etiam contra Scotiſtas quoſdam.

Scotus, Antonius Andreas, Faber. Scotus, Antonius Andreas, Faber. Cart. 295. col. 2. De argumento Scoti, & Antonij Andreæ, qui à Scoto accepit. *Ad*

4. *negatur conſequentia, vt enim diximus diſp. 3. Phyſ. quæſt. 1. calor eſt in tota aqua, vt in adæquato ſubiecto, eſt tamen ibi violenter, quia remittitur forma aquæ, nec aliud myſterium videmus in hoc argumento, quod validiſſimum putat Faber in met. pro hac ſententia.*

Contarenus. Cart 303. Incipiunt inuectiuam, non impugnationem contra Illuſtriſſimum Ioannem Baptiſtam Contarenum, in qua quia multas, & magnas iniurias euomuere, putant ſe multas, & magnas rationes erexiſſe. At iſta antea excuſſimus. *Contarenus.*

Thomiſtæ. Cart. 308. col. 1. Irriſio odioſiſſima contra Thomiſtas. *Indignum eſt omnem actiuitatem immediatam denegare ſubſtantia, & aſſerere ipſam continuo otio torpere, & tantùm famulis ſuis, quæ ſunt accidentia, iubere, vt operentur, ſanè ſi tota entium vniuerſitas ita ſe habet, Regem haberent entia (quia inter ea apicem ſubſtantia tenet) inertem nimis, & otioſum, & accidentibus parùm prodeſſet talem habere Dominum, &c.* *Thomiſtæ infra car. 313. col. 1.*

Col. 2. *Reſp. hæc argumenta eſſe adeò imbecillia, vt potius contra ipſos Thomiſtas militent, primum parùm nos vrget, & ibidem plura pagina ſequenti.*

Durandus. Cart. 312. col. 1. *Durand. cit. quaſdam affert ſolutiones ad hoc argumentum, quæ manifeſtè petunt principium, & ſupponunt quod eſt in quæſtione, caput tamen, ex quo &c.* *Durādus*

Platonici, Pithagorei. Cart. 320. col. 2. Opinio Platonicorum, Pithagoreorum, Ferchij, quot iniurijs denigretur, legi poterit in lib. 4. Defenſionis. *Platonici Pithagorei.*

Roccus. Cart. 329 col. 2. Antoniũ Roccũ grauiter perſtringũt. *Roccus.*

Has rationes adducere placuit, non quia aduerſæ ſint ab allatis, coincidunt enim cum tertia, & quinta, ſed vt pateat, quam parum verſatus ſit hic Author in Scoti doctrina, quam profitetur, etiam in illis quæſtionibus, quas Doctor ex profeſſo pertractat, has enim ambas rationes reijcit Doctor cit. 4. d. 43. q. 3. velut ineptos, ac inſufficientes.

Hæc in hunc authorem obiter diximus, quia in epiſt. ad lectorem in lib. Phyſ. deridet aſſerentes, neminem niſi ex Scoti religione ipſius doctrinam percipere; quaſi Leucophei coloris materialis pannus intellectum homini tribuat, id certè nos non aſſerimus, quia ſicut habitus non facit Monacum, ita nec Scotiſtam, vel Thomiſtam, aſſerimus tamen cinereis pannis indutos arcana Doctoris Subtilis melius pertingere, &

geminas eius opiniones tradere. At inquit ibidem, ſe quidem doctrinam Scoti velle profiteri, ſed non in omnibus, nec ſua velle libertate priuari, bene, non ergo initio operis titulum præfigere debebat quæſtiones omnes deſiderabiles ad mentem Ioannis Duns Scoti Doctoris ſubtilis, cum poſtea in progreſſu operis pauciſſimè, vel nunquam Doctorem citet, & frequentius ab eo deflectat, nàm parùm verſati in doctrina Scoti ex titulo operis decepti, reſolutiones quæſitorum recipiunt, velut de mente Doctoris.

Areſius. Areſius. Cart. 350 col. 2. *Oppoſitum de diſſimbolis docet Ariſt. ex profeſſo 2. de gener. 27. quem ridicule nimis interpretatur Areſius, dum ait Ariſt. loqui ibi ex hypoteſi, & nihil affirmare, inquit enim ſi autem vnumquodque alterum corruptum fuerit, hoc certe nimis ridiculum eſt, ac inſulſum, quia Ariſtoteles ibi id probat ex profeſſo, neq; ex illo modo loquendi benè deducitur, quòd hoc Ariſtoteles iudicauerit impoſſibile abſolute loquendo, quamuis enim de rebus impoſſibilibus hoc pacto loqui ſoleamus, nihilominus frequenter etiam ita loqui ſolemus de poſſibilibus; & cæt.*

Anonymi Anonymi. Cart. 179. columna 1. *Verum hoc effutiunt ſine vllo prorſus fundamento, nàm ipſamet penetratio dimenſionum eſt illa, quæ ex ſe naturaliter repugnat, vt docet Ariſtoteles 4. Phyſ. 53.*

Hiſpani. Col. 2. *Verum quamuis hic nodus adeò torſerit authorum animos, Hiſpani quidem recentiores, indolis ingenitæ ductu, cum in Phyſ. compoſuerint continuum ex punctis, & cæt. Sed hoc figmentum de punctis turgeſcentibus late refellimus diſp. 9. Phyſ. q. 2. art. 1. vt omnino irrationabilem, & confundentem naturam rerum materialium cum ſpiritualibus.*

Antiqui Moderni. Cart. 207. col. 1. *Sed hac inſtantia contenti eſſe non debemus, ſed vlterius ſcrutari, an poſſit reddi aliqua ratio huius, vt ita dicamus myſterij naturæ.* Poſt relatas, & reiectas multorum opiniones circa hoc myſterium, ſuam, non ſine laude propria, & aliorum probro, ſcribunt ad cart. 208. col. 1. *Hanc ſolutionem apud multos inuenimus, nempe Hurt. Auerſ. Areſ. & alios, ſed quo pacto id euenire poſſit ſine penetratione, non ſatis declarant. Nos poſt maturam rei diſcuſſionem, in eam deuenimus opinionem, vt hoc myſterium de raritate, & denſitate permanentis. &c.*

D. Bo.

D. Bonau. cart. 396. col. 2. & 397. col. 1. opinionem referunt ex 2. diſt. 30. art. 3. quæſt. 1. atque poſt impugnatam ſententiam Magiſtri ſententiarum tanquam inintelligibilem, ſubdunt. *Neque dicendi modus D. Bonau. minores patitur difficultates*, ac tandem concludunt, quod modus ille implicat contradictionem. Sic iſti in Collegium D. Bonauenturæ cooptati ad illius doctrinam propagandam, gratitudinis ergò, & debiti, ad illam profligandam deſudant. *D. Bonau.*

Tædet hæc & legiſſe, & ſcripſiſſe. Qui plura volet, & ad nauſeam vſq; legat Offenſorum librum. Hucuſque de furacitate, & feracitate illorum dictum ſit ad comprobandum Offenſores & furaces, & feraces eſſe: furaces benè dictorum ab alijs, feraces malè dictorum aduerſus alios. Nunc exordiamur librum 2. defenſionum.

Finis Libri Primi.

LIBER SECVNDVS

Defenſionis Veſtigationum Peripateticarum.

Defenditur

Factio ex nihilo, à Matthæo Ferchio in Ariſtotele deprehenſa.

CAPVT I.

Intentio Authoris, & præparatio ad defenſionem ponitur.

Num. I. IN mea prima veſtigatione Peripatetica quæritur, quidnam Ariſtoteles ſenſerit de factione ex nihilo; & principale quæſitum eſt, vtrum hæc enuntiatio *Ex nihilo nihil fit*, ſit Ariſtotelis propria, vel potius ſit aliena ab Ariſtotele. Concluſio verò principalis eſt iſta.

Concluſio principalis. *Hæc enuntiatio, ex nihilo nihil fit, non eſt Ariſtotelis propria, ſed eſt ab Ariſtotele aliena; Non eſt ab Ariſtotele recepta, & approbata, ſed reiecta, & reprobata.*

Cognoſcebam inter Peripateticos vigere conſuetudinem credendi, quòd illa enuntiatio, *Ex nihilo nihil fit*, ſit Ariſtotelis propria, & ab eo recepta, & approbata: in qua conſuetudine ego quoque educatus fueram. Sed poſteaquam cæpi per memetipſum legere Ariſtotelis ſcripta, cognoui me contra conſuetudinem ſentire oportere de Ariſtotelis mente. Quia verò nemo melius propriam Ariſtotelis ſententiam cognoſcere potuit, quàm Ariſtoteles ipſe; idcirco ſtatui ex ipſo duntaxat explorare ſententiam eius. Et quemadmodum qui ſequitur per viam veſti-

veſtigia impreſſa hominis, deducitur ad hominem inueniendum: qui veſtigia Leonis, deducitur ad Leonem. Ita deprehendi me, ſi ſequerer Auerrois, vel Alberti, vel Aphrodiſei dicta, peruenturum ad opiniones eorundem virorum in Peripato clariſsimorum. Si autem ſequerer Ariſtotelis textum, me citius aſsecuturum ſenſum Ariſtotelis. Etenim quæ ſunt in ſcripto, & in voce, ſunt ſigna earum, quæ in anima ſunt, paſsionum ex 1. de interpret. cap. 1. Ergo Ariſtotelis anima ſuarum paſsionum nobis dereliquit impreſſa veſtigia, ſiue ſigna, & notas: quæ ſigna ſequendo, poſſemus paſſiones Ariſtotelicæ mentis, hoc eſt ſententias approbatiuas, vel reprobatiuas alicuius enuntiationis deprehendere. Quocirca nolens quærere in eo libro veſtigationum, quid rei veritas habeat, ſed præciſè quid Ariſtoteles in animo habuerit: decreui librum meum prætitulare, Veſtigationes Peripateticas: vt & mihi ipſi, & alijs modum imponerem. Mihi ipſi quidem, procedendi ex Ariſtotelicis veſtigijs tantummodo, nimirum ex Ariſtotelicis textibus; vel ex rationibus fundatis in ipſis textibus. Alijs verò, vt ſi cuperent me fortaſſe aberrantem in viam inueniendæ Ariſtotelicæ ſententiæ reducere, id facerent ex eiſdem veſtigijs Ariſtotelicis. Quòd ſi ex proprio capite aliquid dicere vel docere vellent, id ex ipſomet titulo appareret nō eſſe ad propoſitum. Nec enim veſtigia leonis de ſe præſumentis ducent me in mentem Ariſtotelis cognoſcendam, vt hominis ſingulariter inter homines ſapientis.

Interea Bellutus, & Maſtrius in libro eorum de generat. & corruptione vehementer commoti, propter conſuetudinem ſcilicet communem, ſcripſerunt aliquantò acrius contra me, aſſerentes illam enuntiationem, *ex nihilo nihil fit*, eſſe principium per ſe notum in Ariſtotelis ſententia. Immò quoniam in primo poſt. 14. duæ ſunt ſpecies indemonſtrabilis principij; altera eſt dignitas, quæ græcè axioma dicitur: altera poſitio, quæ eſt principium minoris perfectionis; contendunt aduerſarij illam enuntiationem eſſe axioma, & dignitatem. Legi quæ dicunt, & ſcribunt contra me in eo lib. diſput. 5. quæſt. 1. art. 1. & animaduerti poſt lectionem, nec meas veſtigationes eſſe indigas defenſione, neque Offenſores meos eſſe reſponſione dignos. II.

Citant

Citant enim pro illo axiomate ſuo Auerroem in 2. meta. commentario 15. ſed citant hunc locum à me antea citatum veſtigatione 1. cap. 1. Citant Antiquos, ſed Ariſtotelem non citant. Quid, quæſo, reſpondere debeo ad authoritates, quas non ſequor? Qua ratione me defendam ab ijs, qui me non offendunt, Auerroe, & Antiquis?

Sit ergo admonitio ad lectorem offenſionum contra me, & defenſionum pro me, vt obſeruet propoſitam à me concluſionem hanc, *Enuntiatio, ex nihilo nihil fit, eſt reiecta, & reprobata ab Ariſtotele, vt non recta opinio.* Et concluſionem propoſitam ab aduerſarijs, *Enuntiatio, ex nihilo nihil fit, eſt axioma ab Ariſtotele receptum.* Vt videat, an Offenſores loquantur ad propoſitum, vel meum reprobandum, vel ſuum comprobandum.

Deinde obſeruet, vtrum aliquid ex Ariſtotele afferant ad impugnationem meæ concluſionis, vel confirmationem ſuæ.

Ponam autem verba illorum fideliter, ne me falſi accuſent. Ergo in lib. de gener. & corrupt. diſp. 5. quæſt. 1. art. 1. cart. 217. columna 1. ſic ſcribunt.

CAPVT II.

Peregrinitatem non rectè intelligi, & extra propoſitum impugnari.

III. Offenſio. *SEd quantumuis famigeratum ſit illud Axioma, ex nihilo nihil fit, tentauit tamen nuper Ferchius in ſuis Veſtig. peripat. veſt. 1. in dubium reuocare, immò, vt alienum prorſus ab Ariſtotele, & ſolùm ab eo de mente antiquorum relatum, apud quos hoc Axioma vigebat, oſtendere; ne autem auditor in prima lectione ſui operis perculſus maneat ignota peregrinitate aſſerti, nimirum quod ex nihilo aliquid fiat, in Ariſtotelis ſententia, multis conatur oſtendere huius aſſerti veritatem, & oppoſiti falſitatem, quod ſcilicet ex nihilo nihil fit.*

Non rectè finis mihi propoſitus refertur. Nam enuntiatio quælibet poteſt comparari, vel ad rem ſignificatam, vel ad intellectum cognoſcentem. In prima comparatione attenditur veritas,

tita , vel falſitas enuntiationis: ex eo enim, quod res eſt, vel non eſt, oratio dicitur vera, vel falſa, pro vt Ariſtoteles nos inſtruit in capite de ſubſtantia inter prædicamenta, & neruosè probat in 9. meth. contextu 21. Non fuit in meis veſtigationibus finis propoſitus quærere veritatem, aut falſitatem aſſerti; ſed relinquere hoc iudicium in aliud opus. In ſecunda comparatione, intellectus, apprehenſo ſignificato enuntiationis, trifariam ſe habere poteſt; nam vel propoſitam enuntiationem approbat vt veram, & illi aſſentitur: vel reprobat veluti falſam, & diſſentit ab ea, atque ab ea refugit: vel dubius manet, & incertus de veritate, aut falſitate. Propoſitum in meis veſtigationibus fuit quærere, quid Ariſtoteles in mente habuerit, vtrũ ſcilicet vel approbauerit, vel reprobauerit, vel anceps, & neuter manſerit circa propoſitas enuntiationes. Offenſores mihi attribuunt primum officium, & ego ſecundum exerceo; quæro enim, quid Ariſtoteles ſentiat, non quid rei veritas habeat. Atque hoc in authoribus legendis eſt omninò faciendum primo loco: ſcilicet primò eſt diligenter, quò ad fieri poteſt, exquirenda intentio, & ſententia authoris. Qua deprehenſa, ſecundo loco debet iudicari, an ille auctor lectus, rectè, aut non rectè ſcripſerit, inquirendo, vtrum enuntiationes ab eo ſcriptæ, & approbatæ ſint veræ, an potius falſæ. IV.

Primùm igitur falſum mihi attributum ab Offenſoribus eſt, quòd ego nitar oſtendere veritatem huius aſſerti, *aliquid fit ex nihilo*, & falſitatem illius aſſerti, *ex nihilo nihil fit*. *Prima impoſtura.*

Fundatur autem præſertim in quadam authoritate Ariſtotelis in lib. de Xenophane, quam ipſo cap. 1. veſtig. 1. ſtatim obijcit lectori, vt eum ſtatim conuincat; vbi Ariſtoteles ſic loquitur. Quarè ſi omnia, quæ in opinionem veniunt, & apparent, non rectè exiſtimantur, nihil fortaſſe conuenit, vt huic etiam opinioni acquieſcamus, quod Nihil ex nihilo fieri ſtatuit; quippecum vna etiam quædam ex non rectis hæc opinio ſit, quam ex ſentiendo quodammodo, cum in multis eſſemus exiſtimauimus. Audiſtine (inquit Ferchius) quod hoc dogma ex nihilo nihil fit, eſt opinio non recta? non rectè exiſtimata? non conueniens, nihilque habens, cui acquieſcamus. Offenſio.

Non rectè exponitur finis mihi propoſitus in iſta authorita- V. 2. Defenſio.

te. Finis meus eſt reddere lectorem beneuolum, ad hoc, vt meo libro audientiam non neget, ſed audire dignetur. Quia verò in me nulla eſt dignitas, cur audiat: ſub Ariſtotelis, vt potè digniſſimi, qui audiatur, authoritatem confugio. Hæc verba mea ſunt. *Verùm lectorem à me recedentem facilè, vt ſpero, reuocabo; non ignota mea; ſed notiſsima, familiarique Ariſtotelis voce, quam exaudire fortè dignabitur.* Aliud eſt conuincere lectorem, quod eſt perdifficile in lectore conſuetudine aliqua detento; nam habitus eſt difficilè mobilis. Aliud placare iudicem ad hoc, vt audire dignetur; non me indignum, ſed Ariſtotelem digniſſimum, qui audiatur. Hoc non eſt ità difficile apud hominem non iniuſtum. Qui conuincit, arguit; at ego non arguo, ſed reſpondeo, ne propter conſuetudinem contrariam lector offenſus, legere dedignetur.

2. impoſtura. Secundum falſum itaque mihi impoſitum eſt, quòd ſtatim velim conuincere lectorem, qui finis conuincendi mihi quidem in mentem non venit. Hactenus relata eſt mea opinio ab Offenſoribus.

Offenſio. *Vt verum fateamur, ſtetimus, cum tam ingentem diſputationis apparatum legimus de dogmate, præſertim adeò trito, atque recepto.*

VI. 3. Defenſio. Stetiſtis, non vt ſtaretis cum Ariſtotele; ſed vt reſiſteretis. Deinde quid veſtra intereſt, ſi apparatus eſt ingens, vel tenuis? Non eſt propoſitum diſputare de apparatu, ſed de concluſione veſtra, & mea.

Item. Si apparatus eſt ingens, in quo hæc amplitudo conſiſtit? In re, an in verbis? In re non vtique; quoniàm dubitare, ne mea concluſio videatur extranea, & ſonans ignotam peregrinitatem: ſignificat imperfectionem, & ad ſtylum infimum pertinet. Affirmare ſe ipſum, & propriam vocem eſſe ignotam, atque adeò indigentem alieni præſidij, ſpectat ad depreſſionem, & vilitatem.

In verbis ſi ſpectes, breuiſſimum eſt exordium, vt viginti lineas non contineat, attenta propoſitione, obiectione, & ſolutione. Si ad genera dicendi, tria genera memorat Cic. in 4. ad Cicero. Herennium cart. 88. graue, mediocre, extenuatum. Attenuata oratio eſt, quæ demiſſa eſt vſq; ad viſitatiſſimam puri ſermo

nis

nis conſuetudinem. Et Auguſtinus de Doctrina Chriſtiana cap. 18. & ſequentibus tria genera dicendi ponit, ſubmiſſum, temperatum, grande: de quibus cap. 19. *Cũ doctor* inquit, *iſte debeat rerum doctor eſſe magnarum, non ſemper eas debet granditer dicere, ſed ſubmiſsè, cum aliquid docetur: temperatè, cum aliquid laudatur, vel vituperatur. Cum verò aliquid agendum eſt, & ad eos loquimur, qui hoc agere debent, nec tamen volunt: tunc ea, quæ magna ſunt, dicenda ſunt granditer, & ad flectendos animos congruenter*. Igitur cum oporteret flectere animos lectorum contraria opinione præoccupatorum ad legendum: ſi granditer dixiſſem, iuxtà documentum ſapientiſſimi hominis feciſſem. Non feci, ſed ſubmiſsè locutus ſum: vocabula in reſponſione ſunt ſimplicia, phraſes obuiæ, non lucentes, non figuratæ: non apparent allegoriæ, vel gradationes, vel proſopopeiæ, vel tropi, aut ſchemata verborum, aut ſententiarum, ſed vſitatè loquor, & attenuatè. *Aug.*

VII. Præterea ingens apparatus, vel eſt in dictis de me, vel in dictis de Ariſtotele. De me nihil dictum eſt, niſi hæc. *Lectorem à me recedentem, facilè, vt ſpero, reuocabo, non ignota mea voce*, & infra *Contra tàm lucidam, tàm præclaram Ariſtotelis authoritatem, etſi aſſuetus oppoſito dicto, repugnare non valeo*. In quibus nihil de me, aut ſublime, aut grande, aut amplum proponitur; atque vtinam tàm eſſem modeſtus mente, quàm ſunt modeſta hæc verba. Si autem de Ariſtotelis authoritate dicatis, fateor apparatum eſſe ingentem, & authoritatem inuictam, qua quidem authoritate præclariſſimus Philoſophus veſtram concluſionem talibus titulis ornat, qualibus meam ornatam non velim. Nam de veſtra concluſione propoſita dicit, 1. *eã non eſſe rectũ dogma*, 2. *non recte exiſtimatũ*, 3. *nihil cõueniens habere*, 4. *nõ quietare mentẽ*, 5. *nõ eſſe propriam ſuam, ideſt Ariſtotelis, nec à ſe exiſtimatam ſimpliciter; ſed quodammodo, cum in multis eſſet*. Videlicet multis placet illa enuntiatio: Ex nihilo nihil fit, & inter iſtos multos vos quoque Offenſores eſtis; ſed Ariſtoteli non placet.

Colligo ex dictis meam concluſionem hucuſque à me eſſe probatam ex Ariſtotelis veſtigijs. Veſtram, neque hucuſque, neque in poſterum à vobis probari ex Ariſtotele. Ergo cum Ari-

ſtoteles tot modis neget, ac reprobet illud aſſertum, *Ex nihilo nihil fit,* tanquam non rectum: planè Ariſtotelici non eſtis, dum approbatis enuntiationem ab Ariſtotele reprobatam.

Offenſio *At cum vlterius perreximus, & ſequentibus capitulis ſedulò ſtuduimus, in quo ſenſu doceat in Ariſtotelis ſententia verum eſſe hoc aſſertum, Ex nihilo nihil fieri, & oppoſitum falſum Ex nihilo aliquid fieri, obſtupuimus quidem, non ignota peregrinitate aſſerti, quia in eo ſenſu, quem ibi docet, fatentur omnes ex nihilo fieri aliquid, nec vllus diſſentit, ſed vir doctiſſimus tantum laboris impendat, tàm prolixam inſtituat diſputationem ad oſtendendam rem notiſſimam, & à nemine controuerſam, cum tamen in eius exordium polliceatur ſe peregrina edocturum.*

VIII. 4. Defenſio. Apparatum ingentem, vos facitis, non ego. In meo proœmio duas voces reprehenditis *ignotam peregrinitatem*. Vos in proœmio veſtro quinque columnas conſumitis, antequam ad diſputationem veniatis. Item illa vocabula turgentia, *ingentem apparatum*, *obſtupuimus*, & ſimilia veſtra ſunt. Epitheta *de dogmate adeò trito, atque recepto*. Frequentatio ſynonimorum *fatentur omnes, nec vllus diſſentit*. *Rem notiſſimam, & à nemine controuerſam*. *Tantum laboris, tàm prolixam diſputationem*. Allegoria illuſtris, *vt verum fateamur*, *ſtetimus*: *cum vlterius perreximus*. Hyperbole, *obſtupuimus*. Emphaſis laudatoria, *ſedulò ſtuduimus*. Ironia perpetua in toto hoc dicto. Hæc ſunt in prolixo veſtro, & faſtoſo ſchematum apparatu ingenti: veſtro, inquam, ingenti, non meo.

Sed ad rem. Nihil eſt, quod defendam, quoniam nihil ex Ariſtotele nobis propoſito, nihil contra concluſionem à me propoſitam dicitur. Stupidus eſſem, ſi ſtuporem veſtrum acciperem tanquàm probationem. Irridetis me, & laborem meum, ſed veſtra irriſio non eſt ratio.

3. impoſtura. Secundò dicitis, me neminem habere contradictorem in eo ſenſu, quem explicatis. Senſus eſt, quòd compoſitum fit ex nihilo, & quòd priuatio eſt nihil. At in eo ſenſu haberem Ariſtotelem contradictorem, & ſequaces omnes: quoniam in 7. met. 23. docet, quòd compoſitum non fit ex nihilo, ſed fit ex parte præexiſtente, videlicet ex materia. Contradictores haberem

omnes

omnes approbatores illius enuntiationis *ex nihilo nihil fit*: qui non concederent, ex nihilo fieri compoſitum. Contradictorem haberem meipſum, qui veſtigatione prima cap. 2. in fine, doceo, compoſitum non fieri ex nihilo: & cap. 5. num. 13. ipſum nihil, & priuationem eſſe diuerſa. Igitur vbi dicitis, non adeſſe contradictorem, plurimi ſunt contradictores.

Tertiò. Falsò mihi imponitis, quaſi promiſerim peregrina dicere. Legite à me ſcripta, cap. 1. *Verear ſane, ne lector ignota* *4. impoſtura.*
peregrinitate perculſus, quod dicere, & audire non conſueuit: nec di- *Vereri non*
cendum, nec audiendum credit: quemadmodum enim conſueuimus, *eſt pro-*
ità iudicamus dici debere, teſte Philoſopho in 2. met. 14. Loquor de *mittere.*
lectore Peripatetico, non conſiderato abſolutè: ſed conſidera- *2. met. 14.*
to ſub conſuetudine contraria; qua conſuetudine putet hanc propoſitionem, Ex nihilo nihil fit, eſſe propriam Ariſtotelis. Conſuetudo eſt altera natura: vnde quæ ſunt ſecundum conſuetudinem, ſunt connaturalia, & quaſi in eadem patria, & domo nata; quæ ſunt præter conſuetudinem, ſunt extranea, & quaſi apud nos peregrè degentia.

Nam peregrinus, peregrinor, peregrinatio, ſignificant ali- *Peregrinitas quid.*
quid ex aliena patria in vrbem noſtram inductum. Et vocabu-
lum *peregrinitas* accepi ego ex Cicerone lib. 9 epiſt. 15. ad Pe- *Cicer.*
tum *Cum* eas, inquit, *videam primum oblitas latio, tùm, cùm in vrbem noſtram infuſa eſt peregrinitas.* Inductæ fuerant in Vrbem exteræ nationes, quarum ſono, & voce barbara, latinæ linguæ vrbanitas, & elegantia labefactata fuerat. Vnde peregrinitas ſignificat imperfectionem, & labem à peregrinis illatam in Vrbem. (Optaui nanque in meis veſtigationibus, vt locutio eſſet latina, doctrina verò Ariſtotelica) In hoc ſenſu timui, ne mea opinio lectori videretur ignota, peregrina, auditu indigna. Cur? Propter conſuetudinem contrariam, quę tale iudicium de opinionibus oppoſitis gignit, per ſecundū met. 14. *Verear*, ideſt timeo, ſcripſi: non vt vos falsò ſcribitis, *pollicetur*. Timor non eſt promiſſio. Timor eſt de malo, promiſſio eſt de bono.

Ad hanc obiectionem mihi ipſi factam ſic reſpondeo. *Verùm lectorem à me recedentem facile, vt ſpero, reuocabo, non ignota*

gnota

gnota mea (nec de me ignoto plura ſcripſi) *ſed notiſſima, familiarique Ariſtotelis voce, quam forte exaudire dignabitur*. Hic oppoſui voci ignotæ notiſſimam, peregrinæ familiarem, indignæ digniſſimam auditu; ſtatimque Ariſtotelis vocem attuli. Non ergo aſſerui, meam doctrinam eſſe peregrinam in Peripato, ſed familiarem, & ab Ariſtotele genitam. Igitur mea opinio ſecundum quid eſt peregrina, ſcilicet apud præuentos conſuetudine oppoſita: ſimpliciter eſt familiaris, genuina, atque nata ex ipſo familiæ Peripateticæ parente, & principe. Hæc ſi legiſsetis ſedulò, vt dicitis: id, quod à me negatum eſt, non putauiſſetis affirmatum.

IX. *S. Tho. & Bonau.* Deinde qui obijcit aliquid ſibi, & obiectionem ſoluit, non approbat, ſed reprobat ea, quæ in obiectione dicuntur: niſi velimus dicere ſanctos Doctores Tho. & Bonau. eſſe hæreticos per calumniam; cum frequentiſſimè ſcribant hæreticas obiectiones. At ſoluunt eas, & ex conſequenti reprobant. Et ego quoque hanc obiectionem tacitam mihi oppoſui ex conſuetudine natam. Reſoluo ipſam obiectionem voce Ariſtotelis notiſſima, & familiariſſima: ſi familiariſſima, ergo non eſt peregrina: ſi notiſſima, ergo non eſt ignota. Et in ſpeciali oſtendo primùm, quòd liber de Xenophane fuit antiquitus ſcriptus ab Ariſtotele, interpretatus à Feliciano, ſæpius impreſſus publicè. Ex hoc patet, quod non eſt inſolitum audire, negationem illius aſſerti, *Ex nihilo nihil fit*, eſſe Ariſtotelicam. Secundò indico meam concluſionem ab ipſo Ariſtotele conditore ſcholæ Peripateticæ eſſe progenitam; quarè non eſſe peregrinitatem, quæ inferat labem, & imperfectionem doctrinæ Peripateticæ; nam Ariſtotelis dicta non vitiant doctrinam Ariſtotelicam. Non repetiui vocabula ignoti, vel peregrini in reſpondendo, quoniam non facio vim in verbis; quemadmodum vos, qui cum non poſſitis meam concluſionem improbare, aut veſtram probare; litem mouetis de vocabulo peregrini, & per quinque columnas nihil aliud agitis, præterquam oſtendere, quòd mea opinio non eſt peregrina.

X. Qua in re gratias vobis ago, quoniam mecum ſentitis, dum probatis doctrinam non eſſe peregrinam, quod ego maximè opto; eſt

eſt enim maximè natiua, & familiaris in doctrina Ariſtotelis. Veruntamen puto vos errare in grammatica, aut ego fallor. Etenim accepiſtis vocabulum *peregrinitas*, vt ſignificat perfectionem, & dignitatem aliquam magnam, ſicut Italicè dicimus. *Concetto pellegrino, gemma pellegrina, dottrina pellegrina*. Ita quidem Italicè. Sed ego in veſtigationibus latinè ſcribo. Peregrinus autem dicitur, qui extra propriam patriam in aliena patria peregrè degit, manens, vel tranſiens; & Italicè dicitur *Foraſtiero, ſtraniero*. Ego in ſecundo ſenſu locutus ſum, quo ſignificatur imperfectio, & offenſio Peripaticæ doctrinæ. Vos, vt arbitror, putauiſtis ſignificari aliquid magnum, & præcellens, dicenſque ingentem perfectionem qui ſenſus eſt veſter, non meus.

Confirmor in hac ſententia de errore grammaticę, vt timeam in vobis barbariſmum; quoniam in hac veſtra Offenſione nunc reſcripta, inuenio ſolæciſmum. Etenim ponitur locutio ſine reſolutione. *Obſtupuimus quidem*. Omitte ablatiuum abſolutum, *non ignota peregrinitate aſſerti*: omitte clauſulam interceptam, *quia in eo ſenſu, quem ibi docet, fatentur omnes ex nihilo fieri aliquid, nec vllus &c.* Adiunge aduerſatiuam, *Sed vir doctiſſimus tantum laboris impendat*. Totus ſenſus manet ſuſpenſus, totus cadit, nec vllà eſt reſolutio reſpondens illi verbo, *obſtupuimus quidem*. Ità non benè loquitur, qui non benè cogitat. In ſecunda periodo itidem deeſt verbum principale, nàm ſic habet. *Sed vir doctiſſimus tantùm laboris impendat, tàm prolixam inſtituat diſputationem ad oſtendendam rem notiſſimam, & à nemine controuerſam, cum tamen in eius exordium polliceatur, ſe peregrina docturum*.

Iudicet nunc lector peritus, quàm benè diſputent Offenſores, qui deſerta cauſa principali, ſe applicant ad ea, quæ ſunt omninò extra rem. Quid enim refert ad veritatem concluſionis, ſi ego ex illa me laudem, aut culpem? Non ne eadem erit concluſio, & eodem modo erit vera, vel falſa?

Quarè cum res ità ſe habeat, non opus eſt ſingula ponderare, quibus probat falſitatem illius enunciationis Ex nihilo nihil fit, & oppoſiti veritatem; ſed ſolum oſtendere, quod in eo ſenſu, quo huius veritatem profitetur, & illius falſitatem, nullum habet in peripato contradictorem. Offenſio

Cautè

XI. 9. Defenſio. Cautè fugam quæritis, ne ſubeatis obligationem probandi concluſionem veſtram, aut improbandi meam. Igitur mea veſtigatio in hac parte nulla indigebit defenſione. Ego probaui concluſionem meam, non quantum ad veritatem aſſerti, *Ex nihilo nihil fit;* ſed quantum ad hoc, quod illud aſſertum ſit ab Ariſtotele alienum, reiectum, reprobatum. Vos nulla prorſus authoritate, vel ratione oſtenditis aſſertum eſſe Ariſtotelis. Ad quid ergo debeo reſpondere?

Secundò ſcribitis. *Quare cum res ità ſe habeat.* Hoc nego; nam res longè aliter ſe habet, vt mox clareſcet.

Diſputatio extra propoſitū. Tertiò. Ad quem finem, omiſſa diſputatione pro, vel contra concluſionem propoſitam, contra me proponentem agitis? An vt reprehendatis meam iactantiam in promittendo peregrina, mendacium in non obſeruando? Zelus veſter non eſt ſecundum ſcientiam. Fundatur namq; in falſo, quaſi receperim obiectionem peregrinitatis, quam reici. Lector libri veſtri cupiebat diſcere aliquam veritatem phyſicam, vel metaphyſicam in vniuerſali, non mea delicta particularia. At vos non vtilitatem lectori, ſed periculum affertis; nam ſi vobis incautus credat, dum de mea exiſtimatione detrahitis, detractionis fiet particeps. Ità pro virtute vitium.

CAPVT III.

Offenſores falsò, & fallaciter confundunt ſimplex & compoſitum: nihil, & priuationem: factionem ex priuatione, & ex nihilo.

Offenſio. *Itaque capite 4. ex duplici limitatione illius dicti: Ex nihilo nihil fit ab Ariſtotele facta, oſtendit in quo ſenſu tenendum ſit ex Ariſtotelis mente; Ex nihilo aliquid fieri.*

XII. 10. Defenſio. *Quis in impoſtura.* Hoc falſum eſt; nam ex duplici limitatione probo concluſionem principalem, non oſtendo, in quo ſenſu tenendum ſit ad aures Ariſtotelis, ex nihilo aliquid fieri. Probatio incipit in cap. 2. abſoluitur cap. 9. Explicatio incipit cap. 10. abſoluitur cap. 14. non ergo ſincerè mea refertis. Quanquam poſſit accuratus lector,

ctor, etiam hoc elicere ex tertia mea ratione, quæ procedit à duplici limitatione. Poterit enim cognoſcere, & quomodo fiat aliquid ex aliquo, & quomodo fiat ex nihilo. Vos tamen, vt ſedulo offenderetis; oppoſitum illius, quod intelligendum eſt per *nihil*, mihi tribuitis.

Prima limitatio habetur 1. phyſ. à 73. ad 77. vbi tex. præſertim 75. docet, quod licet non poſsit aliquid fieri ex nihilo per ſe, poteſt tamen fieri per accidens. Offenſio.

Infidè refertis mea addentes, ac detrahentes.

PRimò ego ſcripſi Veſtigatione prima cap. 4. In primo Phyſ. à 73. ad 77. docet (Ariſtoteles) quomodo aliquid fiat ex nō *ente*. Vos ponitis *ex nihilo*, quæ phraſis neque in textu eſt, neq; ego retuli, ſed hæc eſt veſtra additio. Defenſio 6. impoſtura.

Secundò ad probandam meam concluſionem principalem vtor duobus textibus, vno (& eſt textus 75. primi Phyſ.) in cōmuni de *non ente*, & in ſpecie *de non ente*, quod eſt negatio vnius partis: quæ quidem negatio eſt priuatio. Altero (& eſt textus 43. primi Phyſ.) vbi eſt alia negatio omnis partis rei factæ, quæ negatio eſt ipſum nihil. Vos iſtum textum detraxiſtis. Quarè bis infidi, & addendo, & detrahendo. Pergite referendo mea dicta. 7. impoſtura.

Nos autem, & ipſi dicimus fieri quidem nihil ſimpliciter ex eo quod non eſt, ſed tamen fieri ex eo, quod non eſt, vt ſecundum accidens, ex priuatione enim, quæ eſt per ſe non ens, non ex eo, quod ineſt, fit, quem textum ità exponit Ferchius cum communi interpretum, quod duplex eſt fieri, per ſe, & per accidens, quod fit per ſe, fit ex inexiſtente, ideſt remanente in conſtituto, atque tale fieri ſimpliciter, & propriè ex illo, ex quo fit, quod fit per accidens, fit ex termino, non inexiſtente, ſed abiecto, & fieri tale eſt fieri ſecundum quid, & ſecundum accidens; & concludit in ſententia Ariſtotelis aliquid fieri poſſe ex nihilo, non quidem per ſe, quia non ens, nequit eſſe pars interna rei facta, ſed ſolum per accidens, tanquam ex termino à quo, ſic enim album fit ex non albo, homo ex non homine. Offenſio 1. phyſ. tex. 75.

Infidam relationem tranſilio, qua omiſiſtis verbum principale, XIII. 12. Defenſio.

pale, ſine quo non poſſunt intelligi dicta mea. Omiſiſtis diſtinctionem, quæ fit per commata, cola, periodos: vt ſenſus haberi non poſſit, cum in mea veſtigatione hæc ſint ſcripta diſtincte. Sed ne in immeritem typographum culpam refundatis, hæc tranſilio. In concluſione expreſsè fallitis lectorem, quod capitale eſt. Ego concludo ſic. *Igitur ens fit ex non ente: vel quod ineſt ipſi facto, vel quod non ineſt. Primo modo impoſsibile eſt ens fieri ex non ente ità, vt non ens inſit tanquam pars interna rei factæ. Secundo modo non eſt impoſsibile fieri aliquid ex non ente, tanquam ex eo, quod non ineſt: & hoc fieri ens ex non ente, tanquam ex termino à quo, eſt fieri ſecundum accidens.* In iſtis meis vocibus ſermo eſt de *non ente*, nunquam adeſt vocabulum, *ex nihilo*, quia neque in textu eſt, nec meum eſt violenter textum exponere, aut ex textu violenter concludere. Concludo fieri ex *non ente*: Vos dicitis de me, *concludit in ſententia Ariſtotelis aliquid poſſe fieri ex nihilo*.

9. *Impoſtura.* Et confunditis *non ens* cum *nihilo*. Et ſecundò falsò dicitis me ex iſto textu concludere *fieri ex nihilo*, nam ad hoc concludendum non ex iſto textu ſolo procedo. Sed iuncto textu 43. primi phyſicorum vt prædixi.

10. *Impoſtura.* Et tertio falsò exempla adducitis de ſimplici, vt album ex nõ albo fit: atque de compoſito, vt homo ex non homine. Nam compoſitum, doceo non fieri ex nihilo, ſed ſimplex fieri ex nihilo affirmo.

XIV. Vt autem lector diiudicare poſſit facilius dicenda, diſtinguo. Quod fit, eſt vel compoſitum, vel ſimplex. Compoſitum dico fieri ex *non ente*; ſed in ſpecie deſcendendo, compoſitum fit ex *non ente*, quod eſt priuatio, ideſt negatio vnius partis. Simplex dico fieri ex *non ente*, ſed in ſpecie deſcẽdens dico fieri ex *negatione omnium* partium rei factæ; ita vt neque ipſum factum, neque vlla pars facti præexiſtat cum termino à quo: & in termino ad quem totum factum ſit, ſicut muſicum fit ex non muſico, album ex non albo. Sub hoc ſimplici, quod fit ex nulla ſui parte præexiſtente, repono tria, primum eſt *forma impartibiliter facta*, ſecundum eſt *materia prima*, tertium eſt *ſubſtantia immaterialis*. Quo circa ipſum fieri ex nihilo applico ſolis ſimplicibus, quæ

1 phyſ. 38 & 43. 44

Veſtig. 1. num. 10. cart. 33. & 34. 37. 45.

8. *Impoſtura.* (margin note beside "mo eſt de non ente")

ex

ex nulla ſui parte fiunt. Offenſores autem admodum infidè volunt me loqui de compoſito, quod fit ex priuatione. Sic enim aiunt.

Hoc autem cum ſit in confeſſo apud omnes in peripato, priuationem nimirum eſſe principium rerum naturalium per modum termini à quo, & abiectionis, vt declarauimus diſput. 4. phyſ. iam conſtat quomodo in hoc ſenſu nemo peripateticorum negat ex nihilo aliquid fieri, alioquin eo ipſo negaret priuationem eſſe principium rerum naturalium; ſolum hic aduerti debet, quod docuimus diſp. cit. quæſt. 3. in fine cum Scoto 2. diſt. 12. quæſt. 1. I cum Ariſt. inquit tex. cit. & etiam tex. 65. priuationem eſſe principium per accidens, intelligi debet reſpectu compoſiti, & rei genitæ, non generationis, &c. Offenſio.

Iam apertum eſt, quòd vos exponitis me de compoſito, & priuatione: quaſi priuatio ſit nihil, & compoſitum fiat ex nihilo, quia fit ex priuatione. Expoſitio iſthæc eſt à me omninò aliena. XV. 13. Defenſio. 11. impoſtura, & 12.

Veſtig. 1. cap. 2. ad finem, fundatus in textu 23. ſeptimi metaph. aſſerui, quòd hæc enuntiatio ex nihilo nihil fit, eſt vera in compoſitis, quæ fiunt ex materia, vt ex parte; ſed non fiunt ex nihilo.

In cap. 5. probo, quòd Ariſtoteles in lib. de Xenophane, negans illud dogma, ex nihilo nihil fit, per *nihil* non intelligit priuationem.

In cap. 8. (vt vos referetis Offenſione 15.) ſcripſi materiam primam, & ſubſtantias immateriales fieri ex nihilo. In quibus etiam ſi daretur fingendi poteſtas, non poteſt priuatio adeſſe; niſi ſubſtantia immaterialis fiat, & conſtet ex materia, in qua fuerit priuatio: niſi materia fieret ex alia materia priuata.

In cap. 11. num. 33. tàm euidenter expreſſi, compoſitum fieri ex priuatione, non ex nihilo, vt nemo hallucinari valeat, niſi volens. Et concludo illic. *Remaneat nobis, quòd generari ex aliquo ſui præexiſtente, eſt compoſitorum: fieri ex nullo præexiſtente, ſimplicium.* Exponere igitur in mea opinione priuationem eſſe nihil, & compoſitum fieri ex nihilo, eſt tàm à me diſtans, quàm cælum à terra.

Inſuper in ipſo cap. 4. vnde vos falſam expoſitionem veſtram

educitis, aſſerui; quòd compoſitum ſit ex affirmatione vnius partis, & ex negatione alterius partis, quæ eſt forma. Simplex ſit ex negatione, & totius, & omnis partis, vt mox eluceſcet. Concedite mihi, obſecro, licêtiam, vt ego imperitus imiter vos in loquendo. Illatum à me, dicitis eſſe fallius falſiſſimo, vt inferius ad numerum 48. Imitor. Expoſitio vera iſta eſt falſior falſiſſima: vt ego dixerim ſenſum Ariſtotelis eſſe, quòd priuatio ſit nihil: & quòd compoſitum fieri ex priuatione, ſit fieri ex nihilo.

Propterea noto. Aliud eſt conſiderare *non ens* in communi, aliud in ſpecie: & quod attinet ad fieri, duplex eſt *non ens* in ſpecie, primò enim ſub *non ente* continetur negatio partis formalis, quæ eſt negatio formæ in ſubiecto apto. Secundò ſub *non ente* continetur negatio omnis partis rei factæ, & hæc negatio eſt *nihil* facti. Quamobrem *priuatio*, & *nihil* in mea opinione ſunt duo diſparata, & quaſi duæ ſpecies ſub genere communi, ideſt ſub *non ente*. Ego in mea veſtigat. 1. cap. 4. primò cum Ariſt. oſtendo aliquid fieri *ex non ente* in communi, quaſi in genere; ſecundo volens deſcendere ad ſpecies, prius declaro, quomodo Antiqui intellexerint enuntiatum, *Ex nihilo nihil fit*,
1. phyſ. 34 de gener. 8. allatis duobus textibus Ariſtotelis 1. phyſ. 34. & 1. de gener. tex. 8. & 9. Atque ad hoc etiam cito Simplicium, Aphrodiſeum, Themiſtium, quæ habentur in capite 4. cit. num. 9. Deinde tranſeo ad ſenſum Ariſtotelis, qui aduerſus antiquos inuexit ipſum fieri per accidens, tanquam ex termino obiecto, atque ſtatim.

XVI. Obiectionem facio contra me ſic. *Dices. Vtique Ariſtoteles inuexit ipſum fieri per accidens ex eo, quod non ineſt, ſcilicet ex priuatione, quæ non permanet in re facta. At priuatio negat entitatem vnius partis tantùm, & relinquit entitatem alterius partis: igitur res fit partim ex non ente, partim ex ente: Non autem vniuerſim ex nulla parte praexiſtente.*

Reſpondeo. Habemus limitationem confeſſam vniuerſalem &c. referã vt infra. Vbi diuido textum 75. in duas partes, quarum prima eſt de *non ente* in vniuerſali, altera verò eſt de *non ente* in ſpeciali, ſcilicet de priuatione. Sic enim ait Ariſtoteles. *Nos autem, & ipſi dicimus, fieri quidem nihil ſimpliciter, ex eo quod non eſt.*

Sed

Sed tamen fieri ex eo quod non eſt, vt ſecundum accidens. Vbi ly *ex eo, quod non eſt*, ſiuè *ex non ente*, eſt negatio generica. Secundo, quoniam propoſita dubitatio Antiquorum erat de generatione compoſiti, quod quidem fit ex illa ſpecie *non entis*, quę eſt priuatio, ideò Ariſtoteles ſtatim applicat genus ad ſpeciem; & tractans de factione compoſiti dicit, ipſum fieri ex priuatione, ſubdens, *ex priuatione enim, quæ eſt per ſe non ens, non ex eo, quod ineſt, fit*; Vbi aduertendum eſt, quòd *priuatio*, tanquam per ſe ſpecies, ponitur ſub *non ante*, tanquam ſub genere. Quia verò deſcendere à genere ad ſpeciem non licet ſine aliquo contrahente: ideò ſicut Ariſtoteles ex *non ente* in genere deſcendit ad *priuationem* in ſpecie, præſuppoſita tractatione controuerſa inter ſe, & Antiquos de factione compoſiti. Ita imitatus ſum Ariſtotelem volens deſcendere *à non ente* in genere *ad nihil* in ſpecie diſparata, quæ ſpecies nec affirmatur, nec negatur ab Ariſtotele; quia non erat ad propoſitum ſuum; Idcircò quæſiui aliquid contrahens, nempe aliquid ſimplex, quod fiat, vt album ex non albo.

A genere ad ſpeciē fallacia conſequentis ſine diſtributione, vel cõtractione

Ad hoc autem, vt progreſſus, & Ariſtotelis, & meus intelligatur, porrigam exemplum. Si demonſtrato aliquo ente dicam, *hoc eſt corpus*, & inferam, *ergo eſt homo*, non valet conſequentia à genere ad ſpeciem affirmatiuè. Si autem adiunxero aliquid contrahens ſufficienter, tunc valebit conſequentia; veluti ſi addidero, *hoc corpus demonſtratum eſt præditum anima rationali*: tunc optimè ſequetur, *ergo hoc demonſtratum eſt homo*. Itâ quoque cum Ariſtoteles dixit aliquid per accidens fit *ex non ente*, *non ens* eſt loco generis. Si argumenter, ergo aliquid fit ex nihilo, eſt argumentum à genere ad ſpeciem conſtructiuè, & eſt fallacia conſequentis. Quarè vt deſcenderem ad iſtam ſpeciem *non entis*, quæ eſt *nihil* adiunxi, quod fit, eſt ſimplex: nam ipſum ſimplex fit ex antecedente negatione ſui tùm totius, tùm omniũ partium (ſi tamen ipſum ſimplex impartibiliter acquiratur) ergo aliquid fit ex nihilo facti.

Veruntamen nunc ad clariorem intelligentiam tum primæ; tùm ſecundæ limitationis ab Ariſtotele factæ, hic adſcribo, circa ipſum fieri poſſe formari quatuor oppoſitas.

Ex

Ex omni parte præſuppoſita fit aliquid	X	Ex nulla parte præſuppoſita fit.
Ex aliqua parte præſuppoſita fit.		Ex aliqua parte non preſuppoſita fit.

Ex his, vniuerſalis affirmatiua non eſt poſſibilis, quando enim ens cum omnibus ſuis partibus præexiſtit; fieri non poteſt. Immò ad hoc, vt aliquid fiat, requiritur, vt ipſum ſit non ens, ſiuè ſecundum totum, & omnes partes; ſiuè ſecundum totum, & ali quam partem.

Factio duplex. Hinc naſcitur duplex genus factionis, primum, & notiſſimum, quando aliquid fit ex aliqua parte præexiſtente, & ex aliqua non præexiſtente; atque tale fieri eſt cōpoſitorum. Quale fieri notificatur ex duabus ſubſtantijs partialibus: compoſitum enim fit ex materia præexiſtente, quæ eſt pars facti, & ex negatione formæ, quæ eſt altera pars: quæ negatio non negat eſſe formæ ſimpliciter, ſed eſſe formæ in materia. Iſtud fieri eſt ex materia, vt ex parte inexiſtente, & ex priuatione, vt ex termino abiecto, & non exiſtento in re facta.

XVIII. Secundū genus factionis eſt ignotius, & in mea prima veſtigatione quæſitum; quod genus factionis voco *factionem ex nihilo*. Quam factionem declaro, & per contradictorium, & per ſubalternum in ſupradicta figura. Per contradictorias, vt factio ſit duplex, vna *ex aliquo*, quæ eſt ſcilicet *ex aliqua parte* præexiſtente: reliqua factio eſt *ex nihilo*, ideſt *ex nulla parte* præexiſtente. In priore factione accipitur particularis affirmatiua, in ſecunda verò vniuerſalis negatiua.

Deinde id ipſum declaro per ſubalternas vniuerſalem negatiuam, & particularem negatiuam. Etenim vna factio eſt ex negatione alicuius partis præexiſtentis, quæ negatio regulariter eſt *priuatio*. Ità compoſitum fit ex non præexiſtente parte formali. Alia factio eſt ex negatione omnium partium, ità vt negetur res fienda tota, ac totaliter. Hanc factionem voco factionem *ex nihilo*. Et prima limitatio Ariſtotelis, qua Phyſicus oſtendit aliquid fieri ex non ente, ſed per accidens: accipitur ex particulari negatiua, nam compoſitum fit ex priuatione; quæ

negat

negat aliquam partem facti. Secunda limitatio accipitur, ex particulari affirmatiua: compoſitum quippè fit ex aliqua parte præexiſtente, nempè ex materia, quæ eſt ens potentia.

Iam verò ex prima limitatione ſic ego procedo per duos gradus. Primus gradus eſt in tex. 75. primi phyſicorum aliquid per accidens fit *ex non ente*, genericè, & in vniuerſali. Secundus gradus eſt ex primo phyſ. 43. tex. vbi Ariſtoteles docet album fieri ex non albo, muſicum ex immuſico. *Homo muſicus*, vel *homo albus* eſt quid compoſitum; hoc totum eſt non ens actu; ſed quando actu fit, fit ex aliqua parte præexiſtente, & ex aliqua parte non præexiſtente. *Album uerò*, vel *muſicum* ſunt ſimplex; atqui album fit ex non albo, ità vt in termino à quo, neque ipſum album, neque vlla pars albi præexiſtat; ſed negetur albedo tota, ac totaliter. Similiter ex negatione muſicæ tota, ac totaliter fit muſica. Ex iſtis duobus gradibus colligo, non ſolum factionem ex aliquo, quæ eſt compoſiti facti ex negatione partis præexiſtentis, ſcilicet ex priuatione vt termino abiecto, ſed etiam factionem ex nihilo, quæ eſt negatio facti, & omnium partium, ita vt nihil facti præexiſtat. Hanc factionem extendo ad *formam*, *materiam*, & *ſubſtantiam immaterialem*. De ſecunda limitatione paulò poſt. XIX.

Tantum adijcio. Iſta quæ nunc ſunt fuſius declarata, fuiſſe breuius poſita in citato cap. 4. ad num. 10. quæ hic reſcribo, vt cognoſcat lector, meos Offenſores hæc vidiſſe, ſed fraudulenter omiſiſſe. Acceperunt aliquid ex initio capitis, & aliquid ex fine capitis: intermedia, quæ ad probationem erant neceſſaria, & ad intelligentiam mei ſenſus, tacuerunt. Sic ego loquor dicto capite 4. XX. *Fraus Offenſorum.*

Reſpondeo. *Habemus limitationem confeſſam vniuerſalem, quod ens fit ex non ente. dumodo ipſum non ens non inſit rei facta. Habemus applicationem ſpecialem in rebus naturalibus, quando compoſitum fit ex negatione vnius partis; at non habemus iſtam negatiuam, ens non fit ex negatione omnium partium. Quamobrem hæc negatio non ens; vel negat omnes partes entis facti, vel aliquam tantùm. Quando compoſitum fit, per ſe fit ex materia, & forma: quarum materia præexiſtit, & inexiſtit:* forma *autem non præexiſtit, igitur non ens* *Veſtig. 1. num. 10.*

negat

negat in termino à quo formam, hoc eſt vnam partem ſolam compoſiti.

Quando verò forma eſt facta de nouo, vt cum ex non albo fit album, primo phyſ. 43. non album negat formam ſecundum omnes partes (quod præſertim eſt verum in forma, quæ tota ſimul acquiritur) tunc enim nulla pars ipſius termini ad quem reperitur in termino à quo: ſed in termino à quo eſt omninò nihil formæ, in termino ad quem eſt forma, ergo forma fit ex nihilo ſui omninò, ità tamen, vt ipſum nihil formæ non inſit ipſi formæ. Quarè Philoponus contra Proclum meritò aſſeruit formam fieri ex nihilo tanquam ex termino, quia fit forma ex nulla parte præexiſtente, & inexiſtente ipſi formæ. Cur autem, & materia ipſa, & ſubſtantia materiæ expers non poſsit per accidens fieri ex nihilo, quod non ineſt, non video, neque in Ariſtotele hactenus dictum obſeruaui.

Colligo dicta. Aliquid per accidens fit ex non ente, vel ſecundum partem, vel ſecundum totum, concedo: quia ipſum non ens non ineſt facto. Aliquid per ſe fit ex non ente, nego: quia ipſum nihil non ineſt facto. Hæc in mea veſtigatione breuiter dicta; nam ſapi-
enti pauca, vt prouerbio dicitur, ſufficiunt. Ex quo patet me
ſatis explicauiſſe diſcrimen inter *non ens* in communi, & inter
priuationem in ſpecie, ac *nihil* in ſpecie; Inter factionem *compoſi-*
ti, & factionem *ſimplicis* entis, Inter limitationem applicatam
ab Ariſtotele ipſi compoſito facto per accidens ex negatione v-
nius partis: & limitationem applicatam à me ad factionem ſim-
plicis ex negatione omnis partis. Conueniunt omnes Peripa-
tetici, quòd aliquid fit ex priuatione, quod & ego dixi. Sed
non conueniunt, quod aliquid fiat ex nihilo, veluti conſtat ex
75.&45. applicatione à me facta ſub munimine duorum textuum. Fal-
sò igitur Offenſores dicunt me tradidiſſe doctrinam omnibus
notiſſimam, & quæ nullum habet contradictorem. Eſt quidem
in votis, vt nemo contradicat. Sed tamen non deſunt con-
tradictores: ſunt enim mei duo Offenſores, qui contradicunt.
Falſificant ergo dictum ſuum. Iam ad ſecundam limitationem
accedamus.

CA-

CAPVT IV.

Fieri ex non ente actu, vel ſecundum totum, vel ſecundum partem, non rectè perceperunt Offenſores.

ALia eiuſdem propoſitionis limitationem affert eodem capite ex Ariſt. 1. phyſicorum 78. & 12. met. 8. vbi diſtincto ente per actum, & potentiam, docet ex non ente actu; ſed potentia ente fieri ens, quibus locis, vt etiam fatetur Ferchius, ſermonem facit Ariſtoteles de generatione compoſiti, vnde per non ens in actu, ſed potentia, ſubiectiua nimirum, & informabili, materiam intelligit, quæ venit in compoſitionem cuiuſcumque compoſiti, & rurſus in hoc ſenſu, ex nihilo fieri aliquid, concedunt omnes peripatetici. Offenſio.

Non credo quenquam ex Peripateticis tam abſurdè loqui, vt dicat, ipſum fieri ex materia (quę eſt potentia ens, actu non ens) eſſe fieri ex nihilo. Sed vos non ſedulò, aut ſedatè ex dicto Ariſtotelis in communi *ex non ente actu fit ens*: imò præcipitanter colligitis *ex nihilo actu fit ens*. Ego gradatim (ſi ſedulò, vel ſedatè legiſtis) procedo. Ad hoc autem clarè explicandum, quod à me ſtrictim eſt indicatum, primò ex Ariſtotele dicta in capite quarto Veſtigationis primæ circa limitationem hanc, explicabo; præſuppoſitis tamen dictis circa pręcedentem limitationem. Secundò, quoniam vos Scotiſtæ dici vultis, aliquid ex Scoto proferam, quo plenius dicta percipiantur. XXI. 14. Defenſio.

Ergo in Veſtigatione prima cap. 4. num. 11. ex 5. meth. 20. duplex poſſibile ponitur, vnum eſt poſſibile transmutabile, quod præſupponitur in ſuo proprio eſſe, & poteſt à negatione alterius ſibi inexiſtente ad affirmationem mutari: ſicut materia in generatione præexiſtit vt pars 7. meth. 23.; ſed ex ſe non eſt quid, qualis, vel quanta per 7. met. 8., ergo ex non eſſe *quid*, vel *ente actu* poteſt mutari ad eſſe *quid*, vel *ens actu*, ſcilicet à non habere in ſe entitatem alienam formæ ſpecificantis quidditatiuè ad habere talem entitatem. Alterum poſſibile eſt factibile, quod dicitur poſſibile ex potentia efficientis, & hoc poſſibile Sco- 5. met. 20 Veſtig. 1. num. 11. & num. 14 & 31 7. met. 23 7 met. 8.

2.phyſ.38 tiſtæ dicunt obiectiuum. Etenim iuxta 2. phyſ. 38. cauſæ potentia ſunt poſſibilium, & cauſæ actu ſunt actu exiſtentium. Quocirca ex efficiente in potentia eſt poſſibile factibile: ex efficiente actu, eſt factum in actu, ſed ex non ente actu. Factibile item duplex eſt in generatione communiter, compoſitum, & forma 1. phyſ. 43. de forma, album fit ex non albo: de compoſito tex. 44. conſonans fit ex inconſonanti.

XXII. Deinde verbum *fit*, vel prædicatur ſecundum adiacens, vel tertium? Quando de aliquo ſubiecto prædicatur *fit* ſecundum adiacens, ſignificat ſubiectum fieri ſimpliciter, & ſecundum ſuum proprium eſſe. Ità compoſitum fit, quia ex non eſſe ſuo ab efficiente fit in ſuo eſſe, ſcilicet ex non ente actu fit ens actu, atque tranſit ex potentia obiectiua ad actum eſſendi ſimpliciter. Nec eſt alia entitas in potentia, & alia actu: ſed eadem prius ſub modo potentiæ, poſterius ſub modo actus. Quod ità fit, non fit ex nihilo actu; quoniã & ſi negetur tota tertia entitas prius, & affirmetur poſterius: tamẽ nõ negatur omnis pars præexiſtens, & inexiſtens toti cõpoſito; nã materia præexiſtit, vt paulò ãte dixi.

Ita quoque forma ſubſtantialis ſimplex fit, dicente Ariſtotele in primo phyſ. 58. *ſimplex, vt muſicum, fit*. Quod ità fit, hoc trã-
1.phyſ.58 ſit ex potentia obiectiua, ſeu factibili ad eſſe actu factum, & ex non ente actu fit actu ens. Verùm in termino à quo negatur totum eſſe facti, & nulla adeſt affirmatio alicuius partis præexiſtentis, aut inexiſtentis facto. Quod ergo ità fit ex negatione actualis entitatis totius, & cuiuſcunque partis præexiſtentis, hoc fit ex nihilo actu.

Sco.1.diſt. 30.q.2.L. 3.diſt. 7. quæſt. 2. A. Quando autem *fit* prædicatur tertium adiacens, tunc non ſignificat ſubiectum prædicationis fieri ſecundum ſuum propriũ eſſe, nec ſignificat fieri ſimpliciter, & abſolutè; ſed fieri iuxta cõditionem prædicati adiuncti. Sic quando dicimus, *homo fit muſicus*, non ſignificamus hominem fieri ſecundũ proprium eſſe ſimpliciter hominis; ſed fieri ſecundum *quale*, ſcilicet muſicum. Hoc modo materia in mutatione ſubſtantiali fit ex non ente actu ens actu: non enim fit materia ſecundum eſſe proprium abſolutè, ſed fit formata, ſpecificata: non fit materia, ſed *fit quid*.

XXIII. 1. Quarè non fit ſimpliciter de ſecundo adiacente. Triplex itaque

quę non ens conſideratur; *non ens actu*, quod negat *totum* compoſitum, quæ eſt tertia ſubſtantia,

2. Non ens actu, quod negat *formam*, quæ fit.

3. *Non ens actu*, quod negat eſſe formæ, non ſimpliciter, *ſed in materia*. Hoc Ariſt. in 12. met. 11. explicans ex quo ente, vel non ente compoſitum fiat, indicauit ſcribens. *Dubitare quiſpiam poſſet, ex quo non ente generatio fiat; tripliciter enim non ens dicitur.* 12. met. 11. Scilicet non ens compoſitum, non ens forma, non ens ipſius materiæ iam exiſtentis.

His ità declaratis, Ariſtoteles explicat, ex quo non ente fiat compoſitum: fit enim ex materia, quæ eſt potentia ens ratione ſui, actu non ens, ratione priuationis. Ariſtoteles enim vltimum factum in genere ſubſtantiæ explicat, & pro more ſuo ſollicitus de principijs, exponit primum principium *ex quo*, nempè materiam, cætera nobis relinquens enucleanda.

Rurſus. Ex actu non ente fit actu ens. Accipitur *non ens* comuniter ad tres modos. Deinde ad ſpecialem in compoſito deſcenditur, in quo actus, & potentia ſunt duæ res: & non ens eſt negatio vnius partis. Sed actus, & potentia primo, & ſecũdo modo ſunt modi vnius rei, non duæ res. Atque hæc poteſt eſſe alia ratio, quare de materia, & priuatione in primis vt ente actu, & non ente actu tractat. Eſt enim plus ſolicitus de rebus, quàm de modis.

Itaquè compoſitum fit ex non ente actu, quod negat, & totum, & vnam partem in altera parte affirmata. Forma fit ex non ente actu, quod *non ens* negat totam formam, & omnem rationem partis, nullamque partem affirmat. Sicut ergo Ariſtoteles in ſecunda limitatione dixit, ens fieri ex non ente actu, ſed cum affirmatione vnius partis, hoc eſt cum ente potentia. Ità nobis in factione ſimplicis formæ reliquit colligendam ſecundam limitationem, qua forma fit ens ex non ente actu cum negatione omnis partis, ſine affirmatione vllius partis.

Talis eſt ergo progreſſus meus, primò in cõmuni, ens factibile ſimpliciter fit ex *non ente actu:* ſecundò deſcendendo ad ſpecies, compoſitum fit ex non *ente actu* ſecundum *vnam partem* ſed ente potentia ſecundum aliam. Ergo ex aduerſo forma ſimplex VXIV.

fit *ens actu ex non ente actu, ſine affirmatione vllius partis*. Qui enim docet vnam ſpeciem ſub genere, hoc eſt, factionem compoſiti ex non ente actu, ſed ſecundum partem; neceſſariò dat locum alteri ſpeciei diſparatæ, qua ſimplex fiat ex negatione entis actu, ſine vlla affirmatione partis, & hoc eſt fieri ex nihilo. Quòd ſi legeritis vos, Offenſores in 4. cap. meæ veſtigationis primæ, quòd compoſitum aſſeruerim fieri ex nihilo, erraui ſic loquens. Verum tamē eſt, me non inuenire, nec videre in capite citato 4. tale quid dictum eſſe. Aut ergo errani ego, aut vos videntes in illo capite, quod in eo ſcriptum non eſt.

Liquidò nunc pateſaciam, vos in meo ſenſu explicando tres fallacias conſequentis incurriſſe.

Prima fallacia eſt. Ferchius in cap. 4. veſtigationis primæ docet rem notiſſimam, & ab omnibus conceſſam: ergo in omnibus capitibus eiuſdem veſtigationis rem notiſſimam, & conceſſam docet; quarè non eſt opus ſingula ponderare. Etenim vos (vt paulò infra) referetis, me docere, quòd materia prima, & ſubſtantiæ immateriales factæ ſunt ex nihilo. Hoc autem vobis authoribus, non omnes Peripatetici, ſed meliores tradunt; at meliores pauci ſunt: ergo Ferchius dixit res non ab omnibus conceſſas. Rurſus in cap. 4. aſſeruit Ferchius, formas fieri ex nihilo, in cap. 9 & materiam, & intelligentias factas ex nihilo de nouo; quæ quidem nec veſtri meliores Peripatetici concedunt. Inſuper cap. 2. probatur, enuntiatio *ex nihilo nihil fit* eſſe ab Ariſtotele reiecta: & cap. 3. eſſe radix ad octo abſurda. Sed nec iſta concedunt, Peripatetici omnes. Non ergo ſenſus meus erat reſtringendus ad ſolam doctrinam 4. capitis, ſed extendendus ad omnia per me tradita, quæ nec notiſſima ſunt, nec omnibus conceſſa.

Secunda fallacia eſt. Si in cap. 4. vna, vel altera propoſitio eſt nota, & conceſſa: ergo & concluſiones ſunt notæ, & conceſſæ. Ex notis vtique, & conceſſis ad ignota, & inconceſſa progredi iure Ariſtotelico debui iuxta normam in 7. met. 10. præſcriptam. Notum eſt ex non ente fieri per accidens ipſum ens: notum, ex priuatione, ideſt, ex negatione vnius partis per accidens fieri compoſitum. Non tamen erat notiſſima concluſio, ergo

ergo ex nihilo per accidens fit aliquid: ergo forma ſimplex, materia ſimplex, ſubſtantia immaterialis per accidens fiunt ex nihilo. Quas concluſiones probaui per illam notiſſimam primi Phyſ. 75. & per aliam notam primi Phyſ. 43. Sic de prima limitatione. Similiter de ſecunda. Per textus notos primo Phyſ. 78. atque 12. met. 8. cum alia nota propoſitione ex 5. met. 20. concluſi ex nihilo actu fieri actu aliquod ens factibile, ſcilicet formam ſimplicem. Et ex conſequenti concluſi, aſſertionem ex nihilo nihil fit, eſſe falſam. Quæ concluſiones neque notæ erant, neque conceſſæ.

Tertia fallacia eſt. Si Ferchius dixit, compoſitum fieri ex non ente, ergo dixit ex nihilo fieri: & priuationem dixit eſſe nihil. Nàm ex non ente in communi non concluditur ſpecies hæc, vel illa non entis, vti ſunt priuatio, vel nihil ſine addito contrahente, ſicuti iam explicatum eſt. Quod additum à vobis omiſſum, ſicuti omiſſæ ſunt concluſiones, an ſincerè, an verſutè omiſeritis, non decido; lector ſincerus ſincerè iudicabit.

CAPVT V.

Offenſores non conſentiunt cum Scoto, quoad potentiam ſubiectiuam, vel obiectiuam, & quòad fieri ex eis.

NVnc dicamus aliquid ex Scoto, quoniam vos voluiſtis potentiam ſubiectiuam nominare in factione compoſiti, cum ego obiectiuam poſuerim. Termini ſunt Scoti, & in Scoto ſcio tertiam entitatem compoſiti non recipi in materia, nec fieri ex ipſa tanquam ex potentia ſubiectiua, cum materia non ſit ſubiectum compoſiti, ſed formæ. XXV.

Scotus ergo in 2. diſt. 12. quæſt. 1 G. ait. *In generationibus, & corruptionibus communiter concurrunt potentia obiectiua, & ſubiectiua: & ex potentia obiectiua trahit agens ad actum illud, quod eſt in tali potentia, puta totalem terminum generationis: qui includit formam, & materiam, dum eſt in potentia obiectiua, ſicut quando eſt in actu habet vtrunque; & hoc modo agens non largitur multitudi-* Scotus.

titudinem; ſed perfectionem ſolùm. Sicut enim totus ignis eſt factus in actu, ſic totus fuit in potentia: & hac eſt prima extractio eius, quod fuit in potentia obiectiua. Secunda extractio eſt, ſecundum quod agens de potentia materiæ praexiſtentis, & quæ in fine generationis eſt pars compoſiti, educit formam, quæ eſt altera pars compoſiti, quæ prius non fuit in actu, nec in re extra, ſicut materia; & ſic agens, vel generans, largitur multitudinem, loquendo de multitudine in actu. Sic igitur generans largitur perfectionem, prout accipit totum terminum generationis, quod erat in potentia obiectiua. Alio autem modo accipiendo potentiam ſubiectiuã, vt de qua extrahit formam: ſic largitur aliquam multitudinem actualẽ. Hæc Scotus. Ex quibus iſta colligo.

1. Totum non eſſe actu, nec in re extra; ſed per actum efficientis fieri actu ens, & extrà cauſam. Et hoc idem dico de forma, quæ prius non eſt ens actu, nec eſt in re extrà, ſed à cauſa efficiente fit actu ens, & in re extra. Hæc enim duo plerunque in generatione fiunt ſimpliciter in actu, hoc eſt extra mentem, & cauſas ſuas, quæ ſunt ſimpliciter factibilia factione de ſecundo adiacente.

2. *Error of ſendentiũ in Scoto.* Totum fit ex potentia obiectiua in actu eſſendi, non, vt vos dicebatis, ex potentia ſubiectiua. Forma verò fit, ex potentia obiectiua efficientis, extrahentis formam de non eſſe actu ad eſſe actu in rerum natura; ſed quoniam forma nata eſt eſſe in ſubiecto, dicitur etiam extrahi de potentia ſubiectiua per Scotũ.

3. Tertiò agnoſcit Scotus de *compoſito* ipſum non eſſe actu, & de *forma* eam non eſſe actu in rerum natura; ſed ambo fieri in generatione. Materiam agnoſcit præexiſtere in generatione, & fieri partem compoſiti: Quare in materia agnoſcit non ens, quod eſt priuatio ipſius formæ extrahendæ.

XXVI. Vnde oportet hoc non ens tripliciter dictum à Scotiſta conſiderari, & conſiderari potentias iſtas, obiectiuam tantùm reſpectu compoſiti factibilis: ſubiectiuam tantùm in materia tranſmutabili ad formam: obiectiuam, & ſubiectiuam ſimul in forma; obiectiuam in reſpectu ad agens, quod extrahit formam ex non eſſe actu ſimpliciter, ad eſſe actu ſimpliciter, quod eſt eſſe ſubſtantiale; & item potentiam ſubiectiuam in ordine ad materiam, quia forma vnitur materiæ: quæ vnio ex parte formæ poteſt

poteſt exprimi per *infieri* & *ineſſe*, & ex parte materiæ per *ſubijci*, vel *ſubeſſe*. Et quantum ad hoc in fieri, vel ſubijci, forma non fit in eſſe ſimpliciter, ſed fit in hoc; quoniam in formã ſubſtantialem inducitur ab agente vnio ad materiam, quæ vnio eſt reſpectus extrinſecus adueniens ex 3. diſt. 1. quæſt. 1. & 4. diſt. 13. quæſt. 1. & hoc eſt fieri ſecundum quid tam ex parte formæ, quàm ex parte materiæ. Diſcrimen tamen eſt, quoniam materia, vt ſubiectum transmutationis mutatur, forma vero vt potè tranſmutationis terminus, non mutatur.

Hinc compoſitum fit ſimpliciter tantùm; materia in generatione fit ſecundum quid tantùm, quia ex non ſubiecta, & non formata, fit ſubiecta, & formata. Forma fit, & ſimpliciter ex non ente actu, ens actu; & ſecundum quid ex non exiſtente in materia, fit exiſtens in materia: quæ duo in forma indicantur per *eſſe*, & *ineſſe*. *Fieri ſimpliciter & ſecundum quid.*

XXVII. Poſſunt autem ſine inuolucro contradictionis ſeparari iſta duo, nam forma poteſt eſſe in rerum natura, & non ineſſe in materia. Tunc autem materia erit ſub non ente; id eſt ſub priuatione formæ, non ſub forma, & ente ſpecificante: & nihilominus forma erit in rerum natura ſecundum ſuum eſſe; ſic anima rationalis in receſſu à corpore ſeruatur in eſſe ſimpliciter, propter quod à ſancto Auguſt. ſiuè Gennadio de Eccleſiaſticis dogmatibus appellatur forma ſubſtantiua. Quæ quidem in regeneratione fiet in corpore, quantum ad ineſſe; ſed non fiet ſimpliciter quantum ad eſſe, vt patet in exemplo Eutychi act. 20. *Gènadiu* *Actorum 20.*

Iam cum forma fiat ens actu ex *non ente actu*, naturaliter prius, quàm *inſiat*, vel *inſit* in materia, conſideranda eſt illa negatio, *non ens actu*. Et ex 1. diſt. 28. quæſt. 1. A. alia eſt negatio contradictoria, quæ dicitur de omni ente, aut non ente, præter affirmationem oppoſitam; alia eſt negatio priuatiua, quæ propriè eſt in genere ſubiecto apto. Et hæc ſecunda negatio non aufert primam; ſed præſupponit. Etenim prius abſolutum eſt aliquid in ſe, quàm ſit ad aliud, ſiuè vt fundamentum, ſiuè vt terminus; nam omnis reſpectus eſt naturaliter poſterior ſuis extremis. Igitur prius naturaliter forma ex ſuo contradictorio negante entitatem formæ totius, & totaliter, fit ens, quàm forma

habeat

habeat reſpectum vnionis ad materiam, & per conſequens in 1. ſigno naturæ, quo forma eſt (quod etiam ex parte formæ poteſt eſſe prius duratione, ex 4. diſt. 12. quæſt. 1.) forma prius ordine naturæ fit ex non ente totaliter ens, quàm conſiderentur, vel forma in materia: vel priuatio, aut informatio in reſpectu ad formam.

Ideò dico, ſic formam fieri ex non ente actu, quod eſt nihil. Vnum eſt, in quo non conuenio cum Scoto, & eſt, quod forma educatur de potentia materiæ. De qua re alias.

XXVIII Hæc nimis multa ſunt, ſed tamen non inutilia ad cognoſcendum, quàm benè Offenſores contra me ſcripſerint, quàm conſideratè ex Ariſtotele, quàm fideliter cum Scoto.

Errata aduerſariorum. Igitur obſtupuiſtis; ſed non ſedulò ſtuduiſtis: nam. Primo confudiſtis rationem tertiam in cap. 4. poſitum cum declaratione ipſius *nihili* reſeruata ad caput 14. meę Veſtigationis. Secundo contraxiſtis ſenſum concluſionis meę ad tertiam rationem ſolam, cum ſit ad octo rationes extenſus. Tertio progreſſum meum in limitationibus gradatum præcipitaſtis. Quarto quod in capitis medio erat fundamentum, & probans, & declarans, obtruncaſtis. Quinto quod ego negaui de compoſito, ſcilicet ipſum fieri ex nihilo, vos mihi attribuiſtis. Sexto cum in cap. 4. fieri ex nihilo de forma, materia, ſubſtantia immateriali dici poſſe aſſeruerim, vos omninò tacuiſtis, transferendo dictum de ſimplicibus ad compoſita. Septimo quæ non fiunt ex priuatione, vos ex priuatione fieri voluiſtis. Vos me prolixitatis damnatis: Sed ſi hæc omnia, quæ nunc declarando ſcripta ſunt in ipſa Veſtigatione cap. 4. contuliſſem, apparatum longè quàm ingentiſſimum feciſſetis ad prolixitatem taxandam. Dixi in cap. 4. ſatis clarè, fieri ex nihilo ſimplicia, non compoſita, & limitationes ab Ariſtotele factas de compoſito, ego extendi ad ſimplicia. Sed dixi breuiter, quo non obſtante prolixum me aſſeritis. Ità

cart. 118. num. 13. eſt volentibus intelligere ſatis dixi, non volentibus nunquam fit ſatis.

CA-

CAPVT VI.

Offenſi ſenſum falsò reſtringi, perſonam non iurè accuſari, meliores Peripateticos, atque peregrinitatem non benè notari.

QVoniam autem videbat Ferchius in hoc ſenſu omnes conceſſuros, quòd ex nihilo fit aliquid, & ſolum negaturos, ſi hy nihil dicat negationem extra genus, ſi neget nimirum etiam ſubiectum præſuppoſitum, ideò à cap. 8. probare incipit cælos, intelligentias, & materiam primam fuiſſe à primo efficiente ex nihilo prorſus producta, atque ideò Ariſtotelem agnouiſſe creationem, immò non ſolum æternam; ſed etiam temporariam probare conatur capite nono. Offenſo.

Illum ſenſum, quem vos finxiſtis, aliquid ſcilicet fieri ex priuatione, omnes eſſe conceſſuros, ſcio. Sed non credo eos dicturos priuationem eſſe nihil; aut fieri ex priuatione eſſe idem, quod fieri ex nihilo: qui ſenſus, nec meus eſt, nec erit alicuius fidelis Peripatetici. Sed in eo ſenſu, ad quem rationem perduxi cap. 4. multos non conceſſuros factionem ex nihilo, credidi, nec me fefellit opinio. Vos enim, & commilitones veſtri non conceditis, aliquid fieri ex nihilo in ſententia Ariſtotelis. XXIX. 15. Defenſio.

Secundò, non cæpi probationem de materia, & intelligentijs in cap. 8. propter defectum tertiæ rationis factæ in cap. 4 Nam ratio tertia per ſe ſe, ſeù benè, ſeù malè concludit. Rationes aliæ itidem ſunt per ſe ſe concludentes, nec vna fulcit aliam; ſed omnes principale intentum inferunt, & ſunt rationes diuerſæ. Nec eſt abſurdum ad eandem concluſionem diuerſas rationes fieri ſine hoc, vt vna egeat alterius ope.

Tertiò. Si factionem ex nihilo tractaui in materia, cælo, intelligentijs: ergo falsò dixiſtis meum ſenſum eſſe reſtrictum ad factionem compoſiti ex nihilo. Fefelliſtis lectorem, attribuendo mihi ſenſum ſtuporis veſtri, quòd ſcilicet ſenſus, in quo explico, ſit ab omnibus conceſſus, videlicet compoſitum fit ex priuatione. Materia quippè, & intelligentiæ non ſunt compoſitæ, nec poſſunt fieri ex priuatione; igitur ſenſus meus non eſt,

quòd fieri ex nihilo ſit fieri ex priuatione. Hoc enim eſt perquã falſum in ſententia Ariſtotelis, quæ mea eſt. Vos autem hunc ſolum ſenſum mihi impoſuiſtis, vt oſtenderetis meam doctrinam non eſſe peregrinam. Sed verè peregrinati eſtis à veritate, & à propoſito.

Oſtenſio. *Verùm nec ità oſtendendo aliquid fieri ex nihilo quid peregrinum profert. Quia aſſertum illud, ex nihilo nihil fit, de cauſis ſecundis proferri ſolet: Primã enim cauſam entia quadam ſecunda immediatè ex nihilo feciſſe docuerunt Peripateticorum pars melior, vt ipſe fatetur in fine illius capitis.*

XXX. 26. Defenſio. Laus Deo, & veritati. Si alios facio meæ opinionis authores, vt vos ipſi dicitis, ergo non prætendo ſingularitatem, quam vos per vocabulum, peregrinitatis intellexiſtis. Si dico formam fieri ex nihilo, authorem facio Philoponum. Si materiam, ſi intelligentias factas ex nihilo, authores cito, vt dicitis vos, ex Peripateticis meliores. Si animam rationalem fieri ex nihilo, authorem profero Sueſſanum. Si à cauſis ſecundis fieri aliquid ex nihilo, authores propono Philoponum, & Auicennam. Si cuncta ex nihilo à Deo, Theophraſtum adduco. Si enuntiationem *ex nihilo nihil fit*, eſſe falſam contendo, authorem habeo Ariſtotelem Peripateticorum Principem; nihil mihi authoritatis arrogo, qui nihil me authore dico.

Cæterum vos adhuc extra propoſitum peregrinamini. Nam adhuc veſtram concluſionem principalem non probatis, nec meam improbatis. Magnum tædium eſt magna expectatio.

XXXI. Diſplicet tamen, quòd vos, qui me arguitis iactantiæ, & arrogantiæ propter prætenſam peregrinitatem: nunc tantum vobis ipſis arrogetis, vt ſitis iudices omnium Peripateticorum. Quis, quæſo, vos conſtituit iudices ſuper doctiſſimos quoſque tantæ ſcholæ, vt iudicetis Scotiſtas meliores, cæteros, vt Alexandreos, Auerroiſtas, Albertiſtas, & alios deteriores? Quid dicent per vos damnati, niſi vos nimium erexiſſe ſupercilium? Opinionem veſtram nimium vobis placere?

Item Regula quædam iudicandi meliores, vel deteriores ſancienda eſt. Mea regula ſit. *Qui pro veritate laborant, & non laborant pro falſitate, ij ſunt meliores Peripatetici*; nam iuxtà Principem

cipem Peripateticorum, *Sanctius eſt amicis, immò & ſibi ipſi præponere veritatem.* Sic etenim legiſlatoris intentio ſpectanda potius eſt, quàm verba legis. Iam verò certa veritas eſt, quòd nihil eſt factum ab æterno. Qui ergo factionem, vel creationem æternam defendere laborant, non ſunt meliores Peripatetici, ſed deteriores. *1. Nicom. cap. 4.*

Certa veritas eſt, mundũ, & motum non fuiſſe ab æterno. Qui pro hac veritate laborant, meliores, qui contra, deteriores Peripatetici ſunt.

Certa veritas eſt, quòd anima intellectiua eſt immortalis, & ſeparabilis. Qui ergo pro hac veritate deſudant, meliores Peripatetici ſunt, quàm qui contra eam.

Certa veritas eſt, cuncta eſſe à Deo facta. Qui ergo hoc defendunt, vt Philoponus, melius philoſophantur, quàm qui Ariſtotelem etiam reluctantem in oppoſitas ſententias ducunt.

Certa veritas eſt, Deum eſſe liberè, & contingenter effectiuum, tanquam agens rationale; ergo qui contra nituntur, ſunt deteriores, non meliores, & in ſimilibus ſimile eſt iudicium.

Affirmatis inſuper in hac offenſione à me comprobari creationem temporalem, non modò æternam. Falſum eſt mihi impoſitum, & quidem duplex; nam de creatione nullatenus diſputare volui, pro vt conſtat veſtigat. 1. num. 28. Similiter de creatione æterna, aut æquiualentibus diſputationem reieci (vt in fine veſtigationis primæ) quoniam in falſo eſt fundata. *XXXII. 13. & 14 impoſtura.*

Sed cur, ſi meliores Peripatetici tenent aliqua fieri ex nihilo à primo efficiente in prima effectione, & primis factibilibus: ponitis vos tanquam Axioma contradictoriam *ex nihilo nihil fit*? Limitatis eam ad cauſas ſecundas: ſed axiomata ſunt de omni poſterioriſticè, ideſt, & in omnibus ſingularibus, & in omnibus temporibus vera. Cum ergo in primis factibilibus veſtrum illud axioma fallat: axioma non eſt. Fallit etiam in multis cauſis ſecundis, vt Philopono inter Græcos, Auicennæ inter Arabes, Bonauenturæ inter Latinos, & alijs pleriſque videtur.

Quod autem ſpecialiter aſſerit ibidem Ariſtotelem, nempè Creationem in tempore conceſſiſſe, quamuis id falſum autumemus, vt diximus diſput. 2. de cælo quæſt. 5. vbi etiam eius rationes diluimus. Offenſio

XXIII 17. Defenſio. Iterum falsò imponitis me attribuiſſe Ariſtoteli creationem in tempore: qui de creatione loqui noluerim.

Offenſores lædūt fidem catholicam Iudicatis creationem in tempore falſam eſſe: ſed hoc veſtrū iudicium cum candore fidei Catholicæ non conſiſtit. Si ego veſtigans mentem Ariſtotelis dixi, non abſolutè, ſed conditionatè, præſuppoſita æternitate motus, dari circulationem animæ rationalis de corpore in corpus eiuſdem ſpeciei: ſicut Ariſtoteles 1. de anima 65. hoc declarat per migrationem viſiuæ de oculo ſenis in oculum iuuenis; vos illicò dicitis hoc non eſſe ſecundum candorem fidei. Ità eſt: ſed iniuſtè quæritis in infideli fidem. Lupi alas quæritis. Sed & vos, qui ſcribitis Theologiam in philoſophia, dicitis, falſum eſſe dari creationem in tempore; quarè hoc dicitis contra candorem fidei? Ego præmonui ex vno præſuppoſito errore æternitatis conſequi alium errorem circulationis: & in toto opere locutus ſum ex Ariſtotele, vt nemo decipi poſſit, niſi volens. At vos non monetis: quin potius lector aſſuetus in vobis legere ſacramentum Euchariſtiæ diuiniſſimum, baptiſmi lauacrū, Myſteria fidei, arcana theologica: hoc loco putabit vos tanquam Theologos loqui, & credet ſecundum fidem Catholicam, *creationem in tempore negandam*. Scandalum eſt à vobis datum, & valdè pernicioſum. Nam vos non cum Ariſtotele loquimini, ſed cum ratione, vt clariſſimè proteſtati eſtis diſput. 1. art. 1. num. 9. huius libri de generatione.

Offenſio *Adhuc tamen neque hoc nouum, & peregrinum eſt, cum multi ante ipſum id aſſeruerint, vt refert. Pererius ibi citatus.*

XXXIV 18. Defenſio. Pererius tamen lib. 5. phyſ. cap. 7. neminem nominat authorem iſtius ſententiæ, ſicut neque vos nominatis.

Pereriū verò, & Piccolomineū ego citaui vt negantes creationem in tempore: Sueſſanum, vt affirmantem, ergo mea opinio non eſt noua, ſed antiqua: non peregrina, ſed indigena in bonis Peripateticis. Tàm autem credo à vobis in lib. de cælo ſoluta eſſe mea argumenta, quàm nunc experior impugnatam eſſe meam concluſionem de factione ex nihilo. Quam concluſionem inanibus verbis, nullis tamen rationibus, vel authoritatibus impugnatis, vt patet hucuſque, & mox patebit. Id autem idcirco euenit, quoniam non ad rem dicere, ſed contra hominem

pag. 362

nem voluiſtis. Neque propoſitum veſtrum probare, ſed vnum vocabulum peregrinitatis improbare. Volo autem nunc omnia veſtra tranſcribere, vt lector doctus videat, an mea veſtigatio indiguerit defenſione, & an vos digni ſitis reſponſione.

CAPVT VII.

Fundamentum offenſi ab Offenſoribus perperam poni, & peregrinitatem non iurè impugnari probatur.

ID autem, in quo ſingulariter fundaſſe videtur hic author ſuam factionem ex nihilo, etiam per cauſas naturales poſſibilem, eſt eductio formarum de potentia materiæ, cum enim non fiant ex materia, vt ex parte intrinſeca ſui, nec in eam, vt in partem reſoluantur, hinc aſſerit agens naturale eas ex nihilo facere, & in nihil reſoluere, ità declarat cap. 4. cap. 13. in fine, & adhuc magis cap. 14. Offenſio cart. 218. num. 14.

Neque in hoc ſingulariter loquor: quoniam authorem habeo Philoponum. Illum cito, ne putetis me eſſe auidum laudis meæ, vel raptorem laudis alienæ. XXXVI. 19. Defenſio. 14. impreſſura.

Rurſus vt ſciatis in hoc, me nō eſſe ſingularē: ſed loqui cū multis:

Ad hoc affero tres Articulos anno 1276. à Kilunardo Archiepiſcopo Cantuarienſi damnatos in Oxonienſi Vniuerſitate. In tertio capite hi ſunt articuli.

Item, Quòd forma non corrumpatur in purè nihil.

Item, quòd nulla potentia actiua eſt in materia.

Item, quod priuatio eſt purè nihil, & eſt in corporibus ſupercæleſtibus, ſicut in his inferioribus.

Circa tempora hæc 1276. Oxonij floruere Vuillelmus de VVarra doctor fundatus, & huius diſcipulus Ioannes Duns Scotus doctor ſubtilis, à quo ſcriptum Oxonienſe habemus. Scotus, vt alumnus illius vniuerſitatis tenebatur illius articulis deferre. Si autem quiſpiam è Scotiſtis putet ſe non teneri, audiat in ſimili cauſa Scotum 2. diſt. 2. quæſt. 9. §. *Contra hoc eſt. Saltem ſententia eſt ſuſpecta, quando in aliqua Vniuerſitate ſolemniter eſt damnata.* Ergo primus articulus ſolemniter approbat meam

con-

concluſionem, quòd forma corrumpitur in nihil.

Tertius. Solemniter reprobat veſtram ad numerum 79. in hoc libro ponendam, quòd priuatio ſit nihil. Secundus docet rationem ſeminalem eſſe actiuam in materia pro D. Bonau. & Illuſtriſsimo Contareno, pro vt libro præcedenti tactum eſt.

Lib. 1. num. 71.

Hos articulos, & alios pro me ſuis locis citandos legetis ante opera ſancti Bonauenturæ ſuper quatuor ſententiarum impreſſa Pariſijs 1522. per Ioannem Regnault, ſtudio Stephani Bruliferi emendata. Ergo non eſt ſingularis, vel peregrina hæc mea opinio de forma facta ex nihilo in nihil deſtructa.

2. Nec fundamentum meum eſt eductio formarum materialium de potentia materiæ. Eductio formarum ritè conceditur ab Aſſertoribus rationum ſeminalium, vt vidimus lib. 1. Ab alijs non item. Fundamentum autem meum eſt Ariſtotelis dictum, quòd hæc propoſitio, *ex nihilo nihil fit*, ſit falſa. Non eſt autem falſa in compoſitis, ergo in ſimplici forma, & materia ſimplici. Fundamentum ſunt textus citati in cap.4. veſt. 1.

3. Ab Ariſtotele didici compoſitum conſtitui ex partibus, materia, & forma: vt homo muſicus conſtituitur via compoſitionis ex homine, & muſico, primo phyſicorum 64. Didici quoque compoſitum reſolui in partes, vt in rationes hominis, & muſici iuxtà primum phyſ. 65. A vobis inuenta eſt noua ratio reſolutionis, vt forma reſoluatur in potentiam materiæ: noua ratio compoſitionis, vt via compoſitionis forma educatur de potentia materiæ. Hanc veſtram doctrinam tunc recipiam, cum eam ex Ariſtotele probaueritis. Ego enim ſum huius ſententiæ, vt forma ſimplex ex nullo componatur, in nihil reſoluatur. Nam ſi reſoluitur, non eſt ſimplex.

O ſenſio

Vnicum eius fundamentum, vt ex eodem capite colligitur eſt, quia ex 1. phyſ. alterum dicitur fieri ex altero bifariam dumtaxat, vel vt ex termino, vel vt ex parte, ità quod ly ex dicit tantùm habitudinem termini, vel partis; vnde vt aliquid ex nihilo fieri non dicatur, debet fieri ex aliquo ſibi inexiſtente, vt pars, quo ſenſu fieri ex aliquo tantum compoſitorum eſt, & ideò cum forma non fiat ex materia, vt ex parte, concludit ex nihilo fieri, & ait hac ratione Philoponum contra Proclum aſſeruiſſe formam fieri ex nihilo.

Pere-

Peregrinum nimium eſt apud vos fideliter referre. Nam in Veſtig. 1. cap. 14. num. 41. adduco tex. ex 1. de gener. animal. cap. 14. & dico, *In 1. de gener. animal. cap. 18. quatuor afferuntur ſignificata huius phraſis, ex altero fit alterum. Plura inſuper in 5. meta. 29. At communiter, & illinc, & ex 1. phyſ. bifariam dicitur alterum fieri ex altero: vel vt ex termino, vel vt ex parte.* XXXVI 10. Defenſio.

Cũ ego dixerim plura eſſe ſignificata, cur vos mihi imponitis, *alterum dicitur fieri ex altero bifariam duntaxat? Duntaxat* eſt particula excluſiua. Et infrà dicitis ità, quod ly *ex* dicit *tantùm habitudinem termini, vel partis. Tantùm* eſt particula excluſiua, quæ negat alia ſignificata relata per Ariſtotelem. Sed vos negatis Ariſtotelem in alijs ſignificatis; vel optatis, vt lectores à vobis decepti, credant me duo tantùm ſignificata recepiſſe, alia excluſiſſe ex Ariſtotelis doctrina. Relatio hęc tàm infida, vobis ſit, non mihi. Dixi communiter hęc duo conſiderari in ipſo fieri, alijs non negatis, immò citatis. Sic Sco. 4. diſt. 11. quæſt. 1. B. duos hoſce modos recognoſcit ex 1. phyſ. Cur autem non vtar alijs, eſt quia non ſunt ad propoſitum. Sed ille modus à me excluditur, qui à vobis violenter includitur contra Ariſtotelem, nempè quòd forma fiat ex materia, tanquam ex ſubiecto præiacente. 11. impoſtura.

2. Pungitis me iterum, atque iterum de Philopono. Non enim creditis (vt vereor) Philoponum mecum ſentire contra vos. Faciam, vt credatis, etiam ſi nolitis. XXXVII.

Franciſcus Piccolomineus lib. 1. de Creat. cap. 4. ſcribit: Philoponus diſput. 9. contra Proclum cap. 11. *Omnia, quæ fiunt, inquit, ex nihilo fiunt: Omnia, quæ intereunt, in nihilum tranſeunt; Igitur cuncta creantur, & propterea datur Creatio, & in nihilum deductio. Patet conſecutio ex notitia creationis. Oſtenditur ab eo aſſumptum, quia ſola forma fiunt, non materia, nam ea, nec fit, nec interit: non compoſitum totum, quia eius vna pars, nempè materia non fit: ſola itaque forma fit, & per eam compoſitum dicitur fieri, & interire. Cum itaque compoſiti ſola forma fiat, ea ita fit, & interit, vt nil eius antecedat, nihilque remaneat. Quarè ex nihilo fit, & in nihilum tranſit.* Piccolom.

Soluitur hæc ratio ab alijs vario modo. Quidam cum Ariſtotele

in 7. meta. & in 1. phyſ. aiunt, quod fit, eſſe compoſitum, non formam: nec materiam fieri, & interire.

Inſuper addunt alij, vt Simplicius in 8. phyſ. in digreſſione contra Philoponum, formam non ex nihilo fieri, quia ſemper fit ex aliquo, tanquam ex termino à quo: & materiam præſupponit, ex qua per tranſmutationem educitur.

Philopon. *Has ſolutiones euertit Philoponus. Nam dicere, non formas, ſed compoſitum fieri, cum verò pugnat; quia id fit, quod ex non eſſe tranſit ad eſſe. At hoc ſoli formæ primò competit, compoſito autem competit non primò, ſed munere formæ; nos autem affectiones ſubiecto primo tribuere tenemur.*

Id quod dicitur de termino à quo, ad rem facere non videtur, quoniam forma antecedens penitus interit, nec ex ea, vt ex parte fit altera.

Similiter quod additur de materia, & eius poteſtate, nullius videtur roboris. Nam materia non eſt pars formæ, poteſtas adueniente forma, euaneſcit, adeò vt abſolutè forma ex nihilo fiat, & in nihilum redigitur.

Præterea, quòd forma nequeat educi ex poteſtate materiæ, oſtenditur à Philopono, quoniam præſtantius non educitur ex ignobiliore: & nil educitur ex eo, in quo non reperitur. Forma eſt præſtantior, quàm materia: & tantum abeſt, quòd in materia reperiatur forma, vt in ea priuatio, & potentia inſint, quæ cùm forma pugnant, & ſimul ſeruari nequeunt. Plura ex Philopono refert Piccolomineus, quę illic legi poſſunt. Quamobrem atteſtatione duorum grauiſſimę authoritatis philoſophorum, Simplicij, & Piccolominei, Philoponus tenet formas ex nihilo fieri, & in nihilum deſtrui.

Defenſio *Si dicas fieri ex materia, vt ex præiacente ſubiecto, & ideò fieri ex aliquo. Negat in primis aſſumptum cap. 5. quia propriè loquendo, forma materialis fit in ſubiecto, non autem ex ſubiecto.*

Deinde cap. 14. negat conſequentiam, quia ne aliquid dicatur ex nihilo fieri, debet fieri ex aliquo, vt ex parte ſibi inexiſtente; vnde cum forma non fiat hoc pacto ex materia, meritò dicitur fieri ex nihilo.

XXXVIII. 21 Defenſio. Negaui antecedens, negaui conſequentiam. Negauit ante me Philoponus. Veſtrum erat probare; ſed pro more veſtro non probaſtis.

Si di-

Si dicas terminum creationis eſſe negationem extra ſubiectum, & extra genus, & ideò cum forma fiat ex negatione in ſubiecto præſuppoſito, non debet dici creari. Offenſio.

Reſpondet ſe aſſerere formam fieri ex nihilo, non autem creari, ſi enim refert ad rationem creationis quod terminus à quo ſit negatio in genere, vel extra genus, parum tamen refert ad rationem factionis de nihilo, vnde velle videtur, quod factio ex nihilo ſit quid latius creatione, quia ſubiectum præſuppoſitum ad actionem, tollit rationem creationis, non tamen factionis ex nihilo.

In referendo argumentum parum quippiam aberratis: ſed in referenda reſponſione, nimium; atque vt ego ſuſpicor, vt captetis occaſionem decipiendi lectorem, vel accuſandi mea, vel potius vtrunque. xxxviii. 22. Defenſio.

Reſponſio verò mea veſtigat. prima num. 43. eſt iſta.

Reſpondetur, fieri formam ex nihilo ſibi non inexiſtente, & præexiſtente, aſſero, ſiue negatio formæ ſit in ſubiecto; ſiuè extra ſubiectum, nihil moror: nec enim hoc refert ad rationem factionis de qua loquor. Si autem hoc requiratur ad rationem creationis, de creatione non diſputo, nec de voce litigo. Hæc eſt mea reſponſio, in qua non determino, vtrum negatio formæ ſit intrà, vel extrà ſubiectum in reſpectu ad factionem ex nihilo; ſed abſtraho ab vtroque modo negationis. De creatione nihil dico, neque aliquid affirmo, aut nego, quia de vocabulo creationis diſſerere nolo; an non licet mihi, quod volo facere? Veſtra autem relatio reſponſionis me facit affirmantem de creatione, quod terminus à quo debeat eſſe negatio extra genus. Veſtræ imaginationes, quibus mihi tribuitis, quòd factio ex nihilo latius ſe habeat, quàm creatio, volunt me cogere ad diſputandum de creatione. At ego nolo. Sit latior, ſit arctior, ſit æquata, de creatione non diſſero. Vos argumentamini ad concluſionem propoſitam, ſi poteſtis. impoſtura 17. & 18

Hanc autem doctrinam, ſcilicet, ne res ex nihilo fieri dicatur, debere fieri ex alio, vt ex parte inexiſtente, & non ſufficere, vt ex eo ſolum fiat, vt ex ſubiecto præiacente, & recipiente, attulit ante Ferchium, Contarenus in ſuis quæſt. peripat. tomo 1. quæſt. de orig. for. cap. 9 & ſeq. veluti in Ariſt. fundatiſſimam. Offenſio.

XXXIX. Putabam vos velle probare antecedens negatum, conſequentiam negatam, aut refutare hanc reſponſionem relatam. O' quanta de ſpe decidi. Timebam aliquem textum Ariſtotelicum. Sed vana eſt expectatio. Non tamen eſt vana ſecuritas; nam ſic agendo, non eſt periculum, vt meas concluſiones offendatis. Gauderem vtique, ſi præter Philoponum, habere poſſem, vt fautorem etiam Contarenum, virum de Ariſtotelis philoſophia optimè meritum, hominem ſumma grauitate, excelſis virtutibus, maximis dignitatibus, ſapientiæ ſplendore & optimis libris corruſcantem. Sed quantum capio, Contarenus, & ego vix in ſignificato nominis conuenimus vt lib. præcedenti num. 2. & 18. continetur.

23. Defenſio.

Spes inanis, timor inanis.

Io. Bap. Contarenus.

At verò operæ pretium eſt formare hoc veſtrum argumentum, & experiri, an benè concludat contra me.

Contarenus dixit, ne res fiat ex nihilo, oportere vt fiat ex aliquo, vt ex parte; ergo noſtrum axioma, *ex nihilo nihil fit*, eſt verum, & concluſio Ferchij, *Ex nihilo aliquid fit*, eſt falſa.

Reſpondeo. Hæc conſequentia veſtra eſt inopinabilis, & ſimpliciter falſa.

Offenſio *Ex hoc tamen principio non intulit, vt Ferchius, formas fieri ex nihilo ab agente naturali; ſed potius eſſe æternas, ingenerabiles, & incorruptibiles, cum aſsignari nequeat, ex quo ſubiectiuè conſtitui poſſint.*

24. Defenſio. Ergo Contarenus, & Ferchius in re, ſummoperè diſtant, in voce minimè conueniunt: quia *ex quo ſubiectiue conſtitui*, eſt principium Contareni in voce, & ab hoc principio infert, formas ingenerabiles, & incorruptibiles. Ferchij principium eſt ex nulla parte fieri: & infertur, formas fieri, vel corrumpi de nouo, non per generationem, & corruptionem: ſed per factionem ex nihilo, ac deſtructionem in nihil.

Offenſio *Quod illatum, ac etiam fortè magis conſequenter poterat ipſe Ferchius inferre, ſi vera eſt doctrina, quam tradit de omnibus formis ſubſtantialibus vniuerſim veſtig. 6. lib. 1. cap. 2. eſſe ſcilicet ingenerabiles, & incorruptibiles, ſed nos infrà reÿcimus quæſt. 2. art. 2. & quæſt. 6. num. 142. & ſeq. eius fundamenta diruendo ex Ariſt. deſumpta.*

Non

Non poſſũ pro hac vice veſtrum iudiciũ ſequi in concludendo. Ex meis fundamentis ego meas cõcluſiones eduxi & educã. Nolo, vt vos educatis. Vobis non fido. Etenim cum Ariſt. in primo phyſ. 58. didici, quòd forma ſimplex fit. Vbi verbum fieri de, ſecũdo adiacẽte poſitũ ſignificat formã fieri ſimpliciter ſecundum ſuum proprium eſſe ſubſtantiale. Et ex primo de Cælo 111. addo nunc ex 8. met. 14. & 3. met. 17. in argumentis pro parte vera, quòd formæ modò ſunt, & non ſunt; ſed abſque generatione, & corruptione; vnde fiunt factione generali ad factionẽ ex aliquo, & ex nihilo, nõ fiũt ſpeciali factione, quæ eſt per generationem, & corruptionem. Fiunt autem formæ ex negatione ſui vt ex termino, 1. phyſ. 43. Quare oportuit me concedere, quòd formæ ex negatione ſui, & omnium partium tranſirent in ſuo fieri ad affirmationem ſui; atque ideò ex nihilo fierent aliquid & fierent de nouo, cum antea non eſſent.

XL. 25. Defenſio. 1. phyſ. 58 edixi eſt ad illam. 1. cæli. 111. 8. met. 14 3. met. 17 1. phyſ. 34

Cum autem ſcribitis conditionatè, *ſi vera eſt doctrina, quam tradit de omnibus formis, &c.* contra conſcientiam veſtram ſcribitis. Scitis enim argumenta illa eſſe poſita in dubitationibus pro parte falſa: & tamen, quaſi vera illa nunc præſupponitis. Dicitis vos diruturos eſſe argumẽta illa. Fortaſſe ità eſt. Quia facile eſt aliquando ſoluere argumentum pro parte falſa. Si tamen verè docuit Ariſtoteles, dicens: ſolutio ſyllogiſmi falſi eſt oſtendere, propter quid eſt falſus: tunc dico vos nullum ex illis argumentis veſtig. 6. cap. 2. conſcriptis, ſoluiſſe: ſi quidem de nullo propter quid ſit falſum, docuiſtis; ſed hoc ſuo loco.

impoſtura 19. Duplicitas offenſorum. *lib. 3. Defenſ.*

CAPVT VIII.

Confertur iactantia prætenſa in offenſo cum vera in Offenſoribus: falſaque eorum citationes panduntur.

HVcuſque primus impetus veſtræ diſputationis contra me eſt exactus, in quo nulla authoritas Ariſtotelis, nulla ratio contra meam concluſionem principalem, aut annexas eſt allata; ſed pro re, verba dediſtis. Indigniſſimam digreſſionem de vocabulo peregrinitatis confeciſtis; meum ſcilicet vitium præ-

cenſum, non mea dicta impugnantes.

XLI. Non poteſt, candide Lector, mea doctrina in Veſtigationibus Peripateticis eſſe noua, neque extranea: quoniam doctrina Ariſtotelis, & eius textus ſunt antiquiſſimi, à duobus annorum millibus conſcripti, & ab ingenioſiſſimis doctoribus ad minimum vſque reſecti. Nihilominus optaui, vt hæc doctrina Ariſtotelis à me repetita, reciperetur ab ijs, qui conſuetudine ducti oppoſita, putant eam eſſe contra Ariſtotelem, eſſe peregrinitatem.

Veruntamen quoniam Offenſores in vno argumento, à me contra me facto, gloriolam inanem contineri putarunt propter vocabulum *peregrinitas*, & propterea confutarunt. Videamus, an Offenſores mei tam ardenter inanem gloriam à me depellentes, ſint à ſui laudatione, & gloria immunes.

In lib. de gen. & cor. diſput. 5. quæſt. 2. art. 1. ad cart. 249. colum. 2. num. 63. ſcribunt. *Verus itaque ſenſus diſtinctionis totius à partibus, & quem intendit Doctor 3. diſt. 2. quæſt. 2. traditur à Nobis diſp. cit. phyſ. quæſt. 13. art. 1. (quiquid ibi dicat P. Cauellus in ſcholio, & Meuriſſe lib. 2. met. cap. 3. 4. parte quæſt. 4. vbi inquit Doctorem in 3. diſt. 2. quæſt. 2. ſolam diſtinctionem formalem intendere inter totum, & partem, non realem, quod delirium refellimus diſp. 1. loco quæſt. 5. art. 2.) vbi adeò exactè hanc controuerſiam pertractauimus, vt quamuis poſt illius editionem alij graues authores pro oppoſita ſententia ſtrenuè decertantes ad manus peruenerint, vt Complut. 1. phyſ. diſp. 6. Contar. cit. Areſius 1. de gener. diſp. 2. quæſt. 13. Ioan. de S. Th. 1. phyſ. quæſt. 6. art. 2. Mancà 1. phyſ. quæſt. 1. dub. 1. Ariag. diſput. 5. ſect. 1. Nec obiectiunculam quidem offenderimus, quæ ad amuſſim præuiſa, & ſedata non fuerit, nec vllam rationem afferunt vrgentem, niſi contra diſtinctionem realem totius integralis à partibus, quam nos quoque ibidem inficiamur art. 1.* Hæc offenſores.

XLII. Si ego in mea Veſtigatione tantam aſſumpſiſſem licentiam, vt doctiſſimorum Cauelli, & Meuriſſe dicta tanto cum probro, *Delirium* vocauiſſem, Veh mihi. Nulli Codices ſuffeciſſent ad meam arrogantiam confutandã. Si laudem tàm ſpecioſam, & omnibus ferè orationis pigmentis ornatam de me protuliſſem, non

non amplius quinque, ſed quingentas miriadas columnarum ſcripſiſſent, ſicuti contra vnum vocabulum *Peregrinitas*, malè intellectum tamen, tanta ſcripſerunt. Nota. In dicto loco non tractarunt, ſed cum addito perfectionis *pertractauimus*, dicunt: nec ſine emphaſi, & augmento emphaſis, dum aiunt, *Exactè*, & *adeò exactè* pertractauimus. Deinde per exaggerationem augent aliorum doctorum grauitatem, atque pugnam ſtrenuam: per congeriem augent numerum eorundem, *Alij graues authores ſtrenuè decertantes pro oppoſita ſententia*: nempè vt ipſi multò grauiores, & magis ſtrenui, & inuicti appareant. Non inuenerunt *obiectiones*, ſed per diminutiuum *nec obiectiunculas* apud alios: quin ſibyllina præuiſione, & magnas, & paruas præuiderint: & excellenti metaphora *ad amuſſim* ſcripſerint: atque vt Deus aliquis, tempeſtatem ſedauerint. V. Pag. 227

Quarè mei Offenſores feſtucam in oculo alieno vident, trabem in proprio non vident.

Sed tamen circa illam de toto, & partibus à vobis ſcriptam controuerſiam, quid mihi acciderit, enarrabo. Legebam forte diſputationem diſcipulis de toto, & partibus, cum liber veſter Phyſicæ ad me miſſus eſt. Quæro indice ductore locum, & incipio legere diſput. 5. quæſt. 11. vt viderem, quid ſentiretis de permanentia partium in toto circa opinionem Patris Fabri Fauentini, recolendæ memoriæ viri. Statimque in exordio video citari Ariſtotelem dicentem. *Ex materiâ, & forma fieri per ſe vnum, quia materia eſt per ſe potentia, forma per ſe actus, vt ex profeſſo docuit Ariſt. 2. de anima tex. 7. 5. met. tex. 7. 6. met. tex. 4. 7. met. tex.* 42. *&* 8. *met. tex.* 15. Tam numeroſa textuum citatione exhilaratus, putaui vobis, Offenſores, Ariſtotelem eſſe familiariſſimum; cæpique à memoria repetere loca citata; & quidem in 2. de anima 7. docet Ariſtoteles materiam vniuſcuiuſque, & formam eſſe vnum: non tamen rationem ſumit ex per ſe potentia, & per ſe actu; ſed præcisè ex actu, *quia quod proprie eſt, & vnum eſt, actus eſt*. Nihil tamen offenſus ex diuerſitate in ratione.

XLIIII.

2. animæ 7.

Incipio conſiderare 5. met. tex. 7. Sed contradicente memoria citationi, accipio librum, & nihil prorſus inuenio ad propoſitum,

5. met. 7.

ſitum,

ſitum, non ſolùm in illo tex. ſed neque in toto capite à tex. 7. ad 12.

Examino tertiam citationem è 6. met. tex. 4. & collatam cum libro Ariſtotelis falſam deprehendo. Iamque tertia citatione perturbari cæpi, tertiò ſcillcèt deceptus.

6. met. 4.

Expendo quartam ex 7. met. tex. 42. atque exerto libro Philoſophi, nihil reperi.

7. met. 42

Aſpicio quintam citationem, & eam à Doctore ſubtili factam reminiſcens, conferre nolui. Tantùm obſeruaui, aliud eſſe in textu Ariſtotelis, aliud in declaratione Scoti. Ariſtoteles namque poſuit actum, & potentiam, non appoſuit *per ſe* ad actum, & ad potentiam. Scotus autem declarando adiecit, vt in compoſito per ſe vno, intelligantur per ſe actus, & per ſe potentia. Non eſt autem iuſtum, vt Scoti declaratio, tanquam textus Ariſtotelis citetur, cum ſæpè maxima ſit in declarationibus diuerſitas, in textu vnitas. Aegrè ferens tot falſas citationes coaceruatas, cæpi caſu voluere cartas.

XLIV. Et incidi in quæſtionem 14. art. 1. qui mihi erat opportunus ad id, quod agebam. Inter legendum multa occurrebant, quæ mihi non videbantur vera, multæ citationes Ariſtotelis falſæ, plurimæ petitiones principij; ſed & faſtidioſæ repetitiones earundem rationum, quæ iam toties à Scoto, & Scotiſtis ſunt ſcriptæ, & tranſcriptæ. Nimirum prouerbio dicitur repetita crambe mors.

Veni ad paginam 458. columna 2. quo loco ex dependentia eſſentiali totius à partibus probare vultis diſtinctionem realem totius à partibus. Quia verò Pater Fauentinus in 3. diſput. 9. num. 21. dixerat in Scoto non reperiri, quòd totum eſſentialiter dependeat à partibus vnitis, quæ actu ſint in ipſo, & cum ipſo ſecundum proprias entitates. Vos nouelli Scotiſtæ, Scotiſtam exercitatiſſimum, & Scoti amantiſſimum docere vultis, & ſumitis negotium oſtendendi, quòd Scotus dixerit, totum dependere eſſentialiter à partibus vnitis in ipſo toto exiſtentibus.

Fauentin

Hoc ſi inueniſſem probatum, putauiſſem me theſaurum eſſe nactum: nec mihi eſſe impoſſibile hoc videbatur, ſi duo viderint, quod vnus Fauentinus non vidit. Fortis erat Hercules;

ſed

ſed tamen adagio locum dedit, nec Hercules contra duos.

Primus locus à vobis citatus eſt in 3. diſt. 2. quæſt. 2. ſub F. *Vbi inquit, totum non ſolum praexigere, ſed etiam coexigere partes ſub vnione.* Ita vos. Sco. in 3.

Reſpondeo, Scotus ſcribit. *Poteſt hic eſſe, quod tota entitas totius ſit abſoluta: Licèt neceſſariò praexigat, vel coexigat vnionem partium abſolutarum.* In qua quidem authoritate Scotus non ponit dependentiam eſſentialem in toto ad partes: quam dependentiam ſibi oſtendi deſiderabat Fauentinus. In creaturis, & in Deo voluntas præexigit, vel coexigit intellectum; nec tamen dependet eſſentialiter ab intellectu.

Rurſus Fauentinus concedit, quòd totum præexigat vnionem partium; ſed negat, quod totum coexigat vnionem partium: propterea quòd partes in totum ſunt tranſactæ. Sed data coexigentia, non ſequitur dependentia. Sed neque Scotus aſſerit coexigentiam, etenim particula diſiunctiua *Vel* ex natura diſiuncti habet vnam partem veram, & alteram falſam regulariter. Scotus inquit, *praexigat, vel coexigat vnionem:* Fauentinus concedet primam partem, vt veram, ſecundam negabit vt falſam. Quarè neque dependentiam, neque coexigentiam probauiſtis. XLV. Sco. in 3.

Secundus locus à vobis prolatus in 3. diſt. 22. quæſt. 1. §. *Quantum ergo*, ait. *Entia materialia compoſita habere cauſalitatem intrinſecam per cauſas inexiſtentes, materiam ſcilicet, & formam, quas ſtatim realiter eſſe diſtinctas à tali compoſito, nec dici poteſt, quod loquatur de partibus vnitis tantum, & non tranſactis, quia loquitur de partibus, vt actu inexiſtunt compoſito.* Hæc vos Offenſores.

Sed aliud poſtulat Fauentinus, aliud vos reſpondetis. Scilicet pro aliis cæpas. Poſtulat ille dependentiam eſſentialem oſtendi. Scotus in loco citato per vos non habet vel vocabulum dependentiæ eſſentialis. Nec Scotus ibi docet cauſas intrinſecas eſſe realiter diſtinctas à compoſito; ſed diſtinctas ait inter ſe. Quoniam loquitur de ſubſtantia non compoſita ex cauſa materiali, & formali realiter diſtinctis. Realiter diſtinctis ex conſtructione grammaticali interſe, non autem à compoſito, quia

com-

comparat eas ad non compoſitum.

Neque tertiò loquitur Doctor ſubtilis de partibus inexiſtentibus, ac tranſactis. Immò loquitur de Angelis; qui ſecundum cõmuniorem doctrinam non ſunt compoſiti ex cauſa materiali, & formali. Si autem non ſunt compoſiti, liquidò conſtat, partes eſſentiales in ipſis non eſſe tranſactas.

XLVI. Tertius locus in 4. diſt. 12. quæſt. 1. E. *Docet compoſita eſſentialiter dependere à cauſis intrinſecis quandiù exiſtunt; & à nulla extrinſeca ſic dependere niſi à prima.* Hæc vos.

Sco. in 4. At Fauentinus reclamaret, quoniam aliud promittitis, aliud datis. Nam Scotus ſic ſcribit. *Si igitur* (accidens abſolutum) *requirit ſubiectum, oportet, quòd hoc ſit propter aliquam dependentiam ad ipſum eſſentialem: ſed nulla eſt dependentia ſimpliciter neceſſaria alicuius abſoluti ad aliquid, quod non eſt de eſſentia eius; ſed tantum eſt cauſa extrinſeca, niſi ad cauſam extrinſecam ſimpliciter primam, ſcilicet ad Deum.* Tunc diceret Doctiſſimus Pater, accidens abſolutum non dependet eſſentialiter ad illud, quod non eſt de eſſentia, concedo hanc negatiuam: ſed ſi vultis inferre; ergo dependet eſſentialiter ad illud, quod eſt de eſſentia, nego hanc affirmatiuam; ſiquidem in bona Logica ex negatiua non concluditur affirmatiua. Exemplum. Nullum viuens dependet eſſentialiter ad animal, quod non eſt rationale: ergo dependet eſſentialiter ad animal, quod eſt rationale. Non valet connexio. Ratio autem, propter quam non eſt dependentia eſſentialis inter rem, & illud, quod eſt de eſſentia, eſt identitas realis ipſius rei includentis ad illa, quæ ſunt de eſſentia, & in propoſito ſunt tranſacta in eſſentiam.

His ità perpenſis clauſi librum veſtrum, dicens. Si quid boni eſt ex Ariſtotele, vel Scoto in hoc libro: illud in Ariſtotele, vel Scoto legam. Neque ab anno 1638. librum aperui vſque ad hodiernam diem 18. Decembris 1644. quem rurſus aperui, vt quod mihi contigerat, annotarem. Huc reciduat veſtræ laudationes de controuerſia adeò exactè pertractata, atque de omnibus ad amuſſim præuiſis, ac ſedatis obiectiunculis contra graues viros, & ſtrenuè decertantes.

XLVII. Iam diſputatio pro illa veſtra concluſione, *Ex nihilo nihil fit,*

eſſe

eſt axioma Ariſtotelis. & contra meam concluſionem iſtam, *Ex nihilo nihil fit, eſt enuntiatio negata ab Ariſtotele*, abſoluta eſt. Nihil enim ex Ariſtotele, nec pro vobis, neque contra me ſcripſiſtis. Nihil ad propoſitas concluſiones: ſed contra peregrinitatem, in qua rem charam mihi feciſtis, oſtendendo, quòd mea doctrina non ſit peregrina à ſchola Ariſtotelis. Eſt enim re vera Ariſtotelica originaria, & conciuis, & domeſtica ſcholæ Peripateticæ. Verum eſt tamen, quòd hoc vos non probauiſtis, propterea quod poteſt aliquis Patauij eſſe peregrinus, qui ſit originarius, & ciuis Pariſienſis. Sed nihil obſtat, quin etiam aliquis alius ſit Patauij peregrinus, vt multi ſunt ex Gallia, Germania, Anglia, Græcia: quapropter & ſi mea doctrina, ſiuè opinio teneretur à Philopono, Sueſſano, & alijs, adhuc tamen eſſe poſſet, vt & iſti ſint peregrini, & noſtra opinio ſit apud Peripateticos peregrina. Vt reuera eſt apud ſequaces Simplicij inter Græcos, Auerrois inter Arabes, Aquinatis inter Latinos; ac penè apud omnes Peripateticos credentes iſtam propoſitionem ex nihilo nihil fit, eſſe approbatam ab Ariſtotele.

Quid ſi velim oſtendere in mea Veſtigatione eſſe aliquid peregrinum in ſenſu veſtro, ſcilicet eſſe aliquid ſingulare, à nullo, vel pauciſſimis factum? Vocabulum *peregrinitas* hoc non ſignificat; vos tamen vultis, vt hoc ſignificet, ſingularitatem ſcilicet, ac dignitatem. XLVIII.

1. Ego poſui quæſtionem hanc in communi, an enuntiatio, Ex nihilo nihil fit, ſit propria Ariſtotelis, an aliena. Vos neminem, qui eam tractauerit, oſtendiſtis, & ego non inueni.

2. Collegi 12. loca Philoſophi, quibus oſtenditur illa enunciatio reiecta per Ariſtotelem à ſe in alios.

3. Coaceruaui octo abſurda per Ariſtotelem oſtenſa tanquã ſequentia ab enuntiatione, ex nihilo nihil fit.

4. Recepi locum ex libro de Xenophane, & annotaui locum in libro de Zenone contra illam enuntiationem.

5. Limitationes duas in generali datas, quomodo ens fit ex non ente: ſpecialiter applicaui ad limitandam enuntiationem propoſitam.

6. Quatuor rationes ſuper textibus Ariſtotelis fundatas, e-

rexi pro concluſione mea.

7. Libros de Xenophane, Zenone, Gorgia diſputando probaui eſſe Ariſtotelis.

8. Factionem genericam & ſpecificam diſtinxi, atque hanc in duas ex aliquo, & ex nihilo partitus ſum ex Ariſtotele.

9. Faciens ex nihilo non ſolùm eſſe cauſam primam, ſed ſecundam, etiam reſpectu materiæ primæ oſtendi.

10. Terminos, *Nihil*, & *aliquid* cum Ariſtotele examinaui.

11. Argumenta Lucretij, Piccolominei, Pererij ſolui, quia contra Ariſtotelem ſunt.

12. Factionem ex nihilo, ſed in tempore ex Ariſtotele oſtendi, etiam reſpectu intelligentiarum, & materiæ primæ.

Hæc à me facta, diuino auxilio ſuffragante tamen, quæ ab alijs non facilè reperietis eſſe facta. Qui autem, attentè perlegerit Veſtigationem primam, alia quoque non pauca reperiet à me ſingulariter in Ariſtotele annotata. Sed tranſeamus iam ad reliquas Offenſiones veſtras legendas; nam ad ſoluendas laborare non eſt opus. Nihil ex Ariſtotele, nihil ad propoſitum huiuſque attuliſtis. Ad reliqua.

CAPVT IX.

Formam ex materia non fieri ſecundum Ariſtotelem probatur, contra quam Offenſores Ariſtoteli imponant.

Offenſio *SEd cuiuſcunque ſit hæc doctrina, ſanè falſiſſima eſt, & adhuc falſius illatum inde à Ferchio deductum (nàm illatum à Contareno impugnabimus infra quæſt. 6.) Eſt enim contra communem philoſophorum aſſerentium, formas naturales non fieri ex nihilo, quia fiunt ex præiacente ſubiecto.*

Ac etiam Theologorum, qui dum definiunt creationem eſſe factionem entis ex nihilo, vnanimiter aiunt ly ex excludere habitudinem nedum partis, ſed etiam ſubiecti præiacentis; vnde conſequenter negant, formas materiales fieri ex nihilo, quia fiunt ex præſuppoſito ſubiecto, & ideo falſum eſt ly ex dicere tantùm habitudinem partis, vel termini: nàm dicit etiam habitudinem ſubiecti.

Pri-

Primò dicebatis, me oſtendere rem notiſſimam, & à nemine controuerſam: & neminem habere contradictorem in Peripato, vt in 4. & 9. offenſione. Nunc aſſeritis, meam opinionem eſſe contra communem philoſophorum, ac Theologorum. Qua in re an ſitis conſtantes, vos videritis. Ego conſtanter initio primæ Veſtigationis dixi, meam ſententiam eſſe penè contra omnes Peripateticos (ſiue ij ſint philoſophi, ſiuè Theologi) ſed tamen eſſe ſecundum principem Peripateticorum. Idipſum nunc dico de multis à me dictis, & in veſtigationibus, & in his defenſionibus. Quocirca ſicut ego ex Ariſtotele probare nitor, ſic & vos probare oportet. At vel nihil probatis, vel malè probatis. Nihil probatis, quia nihil ex Ariſtotele profertis. Malè probatis, quia ex authoritate Peripateticorum, qui à ſuo principe deflectunt, agitis: petitiſque principium, vt eos recipiam, quos reijcio. II. 16. Defenſio.

Arguitis autem ſic. Ferchij opinio, quòd forma fiat ex nihilo, eſt contra communem philoſophorum, ac Theologorum, ergo eius ſententia eſt falſior falſiſſima.

Reſpondeo, aut aſſeritis, meam ſententiam eſſe contra communem philoſophorum vniuerſaliter: aut contra communem aduerſariorum. Si vniuerſaliter dicatis, nego antecedens, nec enim eſt contra Ariſtotelem, aut Philoponum, aut alios plures philoſophos, ac Theologos infra num 67. citandos. Si affirmetis eſſe contra opinionem aſſerentium, formas non fieri ex nihilo, quia fiunt ex præiacente ſubiecto: concedo antecedens, & nego conſequentiam. Multa, & Ariſtoteles, & Scotus contra oppoſitum opinantes poſuerunt. Vos quoque multa contra omnes ferè modernos, contra omnes ferè antiquos aſſerere nō dubitatis. Sequiturne ergo veſtra aſſertio eſt falſior falſiſſima? Negabitis vtique conſequentiam pro vobis; ego quoque nego pro Ariſtotele, & pro me veſtigante Ariſtotelis mentem. In cuius doctrina vera eſt mea concluſio principalis. *Ex nihilo aliquid fit:* vera & iſta *Ex nihilo forma ſubſtantialis fit.* Et vos oppoſitum proponitis, non probatis.

Cæterum in veſtra diſputatione 1. quæſt. 2. art. 1. ſcribitis, *apud nos ſemper magis vrgebit vna ſtabilis ratio, quàm mille auctoritates.*

ritates. Propter hoc etiam contemnitis ibi procedentes ex authoritate Ariſtotelis.

Vocatis etiam argutè *tales homines multæ authoritatis; ſed modicæ rationis, ideſt ſine ratione*. Cur nunc contra me arguitis authoritate Philoſophorũ, ac Theologorum? Imitor præceptum veſtrum: reijcio omnium authoritates, præter authoritatem Ariſtotelis. Arguite ratione, quia eſtis multæ rationis. Sanè ex veſtris dictis excerpo talem rationem.

L. *Ratio offenſorum* Formæ fiunt ex præiacente ſubiecto, ergo non fiunt ex nihilo.

Reſpondeo: vobis etiam referentibus, negaui antecedens cap. 5. primæ Veſtig. Negaui conſequentiam cap. 14. Veſtrum erat probare, & ſatis temporis habuiſtis, antequam librum imprimendum curaretis. Quid attuliſtis? Legat Lector, & nihil inueniet.

Offenſio. *Dicit ſe loqui in ſententia Ariſtotelis, non Theologorum: & apud Ariſtotelem ly, ex, dicere tantum habitudinem partis, vel termini, non ſubiecti*.

17. Defenſio. Aliquid veri dicitis. Nam Ariſtotelis mentem veſtigo, qui Theologus non eſt. Quæ de Theologis, & creatione ſcripſiſtis, in vanum ſcripſiſtis, vt per apparentiam aliquid diceretis, cum nihil dicatis.

Impoſtura iterata ſuperius num. 36. 5. met. 29 1. de gen. Falsò tamen dicitis meo nomine apud Ariſtotelem ly ex dicere tantùm habitudinem termini, vel partis. Nam ex 5. met. 29. & 1. de gener. animal. cap. 18. in 1. Veſtigatione num. 41. oſtendi multas alias habitudines dici per particulam *ex* apud Ariſtotelem.

Illud inſuper verum eſt *fieri ex*, apud Ariſtotelem, non dicere habitudinem ſubiecti; nam Ariſtoteles negauit muſicum fieri ex homine, quod eſt formam fieri ex materia, ſiuè ex ſubiecto, vt paulò poſt.

Offenſio. *Nec apud Ariſtotelem formam fieri ex ſubiecto præſuppoſito; ſed in ſubiecto*.

28. Defenſio. Ità prorſus dico cum Ariſtotele. Quid vos contra hoc?

Offenſio *Ac etiam, quod licèt præſuppoſitio ſubiecti tollat rationem creationis, non tamen factionis ex nihilo*.

Pri-

Prima iſtarum propoſitionum mea non eſt, qui de induſtria, tum cap. 10. tum cap. 14. reieci tractationem de creatione; neque volui diſputando de creatione affirmare, vel negare. Quarè vos falsò nunc iterum mihi imponitis hanc propoſitionem de creatione. LI. 29. Defenſio. impoſtura. 20.

Quòd autem in ſecunda propoſitione ſubditis, apud Ariſtotelem formam fieri in ſubiecto præſuppoſito, idque meo nomine, verè mihi hoc attribuitis; nam Ariſtoteles hoc dixit in 7. met. contex. 26. 27. 7. met. 26

Quia ſi ſubiectum præſupponi (inquit ipſe) cap. 14. num. 43. eſt cauſa tollens factionem de nihilo, ergo ſubiectum non præſupponi eſt cauſa factionis de nihilo. Quarè ſi anima praextitiſſet ante corpus, homo de nouo factus ex parte praexiſtente, eſſet factus de nihilo. Offenſio

Ità quidem argumentatus ſum contra aliquos, qui factionem ex nihilo per negationem ſubiecti præcisè deſcribunt, quales nõnullos ex veſtratibus comperietis, ſi fideliter eos referre, & attentè legere volueritis. 30. Defenſio.

Agè loquamur in ſententia Ariſtotelis. Certè facilius nos inueniemus apud eum formas fieri ex materia, quàm fieri ex nihilo prorſus, vt ipſe ait, non enim affert ipſe locum, vbi Ariſtoteles exprimat formas ex nihilo fieri. Offenſio

Gauderem, ſi vos ex Ariſtotele probaretis, quod proponitis. Ergo ſi defeci ego in probando, probate vos. 31 Defenſio.

Affert tamen ipſe (Ferchius) locum, vbi docet fieri ex materia, & conſequenter ly, ex dicere etiam habitudinem partis. Offenſio

Vana ſpes mea fuit. Vana promiſſio veſtra. Promiſiſtis vos inuenire textum; non inueniſtis vos, ego attuli. LII. 32. Defenſio.

Falsò verò, & omnino quidem falsò mihi imponitis, quòd materia reſpectu ipſius formæ per particulam, ex, dicat habitudinem partis. Neque Ariſtoteles hoc dixit, neq; ego. Producatur textus, ſi textum habetis. impoſtura 21.

Capite 10. num. 29. inquit, Ariſtotelem 1. phyſicorum à tex. 58. ad 74. ipſum fieri tribuere materiæ, priuationi, ac etiam formæ, cum inquiat muſicum fieri ex immuſico, ideſt formam muſicæ ex ſubiecto formæ priuato. Ergo in ſententia Ariſtotelis etiam ex ipſo Ferchio ly ex dicit habitudinem ſubiecti, & forma dicitur fieri ex ſubiecto præſuppoſito. Offenſio

In

In veſtro argumento eſt fallacia non cauſæ, vt cauſæ. Etenim in antecedente ſunt duæ partes; prima eſt Ariſtotelis, & vera, nempè hæc; *Muſicum fieri ex immuſico*: ex qua propoſitione nullum ſequitur abſurdum. Secunda eſt veſtra adiuncta, *ideſt formam muſicæ fieri ex ſubiecto forma priuato.* Et hæc veſtra propoſitio eſt cauſa falſæ concluſionis, quam & Ariſtoteli, & mihi imponitis.

LI'I. 33. Defenſio.

22. impoſtura.

En textum 1. phyſicorum 58. *Dicimus enim fieri ex alio aliud, & ex altero alterum, aut ſimplicia dicentes, aut compoſita. Dico autem hoc ſic. Eſt enim fieri hominem muſicum, eſt autem, & non muſicum quippiam fieri muſicum, aut non muſicum hominem, hominem muſicum.*

Textus 1 phyſ. 58.

Simplex igitur dico, quod factum eſt, hominem, & non muſicum, & quod fit ſimplex, muſicum; compoſitum autem, & quod fit, & quòd factum eſt, cum non muſicum hominem dicimus fieri hominem muſicum. Ariſtoteles ex modo loquendi nos ducit ad modum eſſendi. Loquimur autem affirmando ipſum fieri, vel de ſimplicibus principijs, vel de compoſitis ex ſimplicibus principijs.

Simplicia, quibus attribuitur fieri ſunt tria.

Materia, vt homo fit muſicus.

Priuatio, vt non muſicum fit muſicum.

Forma, vt muſicum fit.

Compoſitum autem eſt duplex, vnum ex materia, & priuatione, vt cum dicimus, homo non muſicus fit homo muſicus: Alterum ex materia, & forma, veluti homo Muſicus; de quo compoſito tradet infrà modum loquendi.

Textus 58. *Horum autem, hoc quidem non ſolum dicitur hoc aliquid fieri, ſed etiam ex hoc, vt ex non muſico muſicus.*

Hoc autem non dicitur in omnibus: non enim ex homine factus eſt muſicus, ſed homo factus eſt muſicus.

Quando loquimur de ipſo fieri, aut loquimur in caſu recto dicendo, *Immuſicum fit muſicum*, aut in obliquo dicendo *ex immuſico fit muſicum*. Hac diſtinctione data, applicat Ariſtoteles modos loquendi ad principia ſimplicia paulò ante cõmemorata; nam de priuatione loquimur non ſolùm in recto, ſicut in præcedente parte exemplum præceſſit, dicendo *non muſicum*

fit

ſit muſicum, verùm etiam in obliquo, vt nunc affert exemplum dicens *ex non muſico ſit muſicum*. Ergo in quibuſdam ſimplicibus, vel compoſitis poſſumus etiam loqui in obliquo: ſed non in omnibus, nam in forma ſimplici non poſſumus loqui in obliquo dicendo, *ex homine factus eſt muſicus*. In quo exemplo Ariſtotelis, *muſicum* eſt forma ſimplex, *homo* eſt materia ſimplex. Docet autem Ariſtoteles nos dicere non poſſe, quòd muſicum fiat ex homine, videlicet, quòd forma fiat ex materia.

Aduertitis Offenſores mei acutiſſimi, quid Ariſtoteles docuerit me? Docuit ille, & ego didici, quòd *muſicum non fit ex homine*, quòd forma ſimplex non fit ex materia; & vos audetis contra Ariſtotelem aſſerere muſicum fieri ex homine præſuppoſito, formam ex materia præſuppoſita?

Nunc argumentor pro me. Hoc vnum effugium adeſt aduerſarijs negantibus formam fieri ex nihilo: dicunt quippè formã fieri ex materia. Sed Ariſtoteles expreſsè hoc negat, ergo reſtat, vt Philoponus docuit, formam fieri ex nihilo.

Conſtat item vos Offenſores attuliſſe textum contra vos, & pro me; nam Ariſtoteles non dicit formam fieri ex materia ſubiecta, quod vos dicebatis facilè inuenturos: ſed dicit formam non fieri ex materia, muſicum non fieri ex homine. LIV. *Primus error offendentium.*

Contat alter veſter error. Ariſtoteles accepit *non muſicum* pro ſimplici priuatione; quando dicimus ſiuè in recto *non muſicum fit muſicum*, ſiuè in obliquo, *ex non muſico fit muſicum*. at vos perperam aſcribitis Ariſtoteli, quod *non muſicum* ſignificat *ſubiectum forma priuatum*. *2. error.*

Itẽ quia ſubiectum forma priuatũ eſt compoſitum ex ſubiecto, & priuatione: de quo loquimur, & in recto, *homo immuſicus fit homo muſicus*; & in obliquo, vt *ex homine immuſico fit homo muſicus*. Vos autem vultis ſubiectum priuatum introducere pro ſimplici priuatione, quæ eſt immuſicum. Tam parum Ariſtotelis textum curatis. Non mirum, quia mille authoritates contemnitis præ vna ratione firma, quæ vtinam ità firma ſit, ſicut vobis videtur. *3. error.*

Inſuper in 1. phyſicorum 59. Philoſophus ſcribit. *Eorum autem, quæ vt ſimplicia dicimus fieri, aliud quidem permanens fit, aliud* LV. *1. phyſ. 59.*

aliud non permanens; homo enim permanet factus muſicus homo: non muſicum autem, & immuſicum, neque ſimplex, neque compoſitum permanet.

Poſuit differentiam inter ſimplicem priuationem, & ſimplicem materiam, quia de priuatione in recto, & in obliquo loquimur: de materia in recto ſolùm, non in obliquo; non enim dicimus ex homine fit muſicus.

Nunc ponit alteram differentiam in eſſendo, quia priuatio non permanet in compoſito facto, materia permanet. Quia verò priuatio poteſt accipi vel ſimplex, vel compoſita cum ſubiecto, ſubdit Philoſophus, quòd neque priuatio ſimplex, vt *immuſicum*, neque priuatio compoſita, vt *homo immuſicus* manet in toto facto. Dat exemplum de materia, quia homo permanet in hoc toto facto, quod eſt *muſicus homo*; de priuatione ſimplici, & compoſita cum ſubiecto, quia *non muſicum*, ſiuè *immuſicum* non permanet in toto facto, vt in homine muſico. Sic neque *homo immuſicus* permanet in homine muſico.

In 12. met. 7. breuiſſimè ſcribitur. *Hoc quidem permanet, contrarium verò non permanet, eſt igitur aliquid tertium præter contraria, ipſa materia.* Igitur contrarium non permanens eſt priuatio ſimplex, & non eſt ipſa materia, quæ diſtinguitur ab vtroque contrario.

Verùm quando accipitur ipſum immuſicum pro ſimplici priuatione, non permanet: quando accipitur immuſicum cum homine pro compoſito priuationis cum ſubiecto permanet rè, an non. Habemus ſententiam Ariſtotelis, quòd neque ſimplex priuatio permanet, neque compoſitum ex priuatione, & ſubiecto permanet. Si quidem non muſicus homo fit muſicus homo, ità tamen, vt ipſum compoſitum, *non muſicus homo*, non permaneat. Quod verò non permanet, eſt terminus abiectus, non autem eſt ſubiectum manens in facto, aut ſub forma facti; quamobrem ſiuè immuſicum accipiatur pro ſola priuatione, ſiuè pro ſubiecto priuato, quod eſt compoſitum ex priuatione, & ſubiecto: immuſicum vtroque modo acceptum habet rationem termini abiecti reſpectu totius aſſignati, quod eſt *muſicus homo*, & ſimiliter debet dici reſpectu formæ. Quamobrem non licuit vo-

5. error offendentium.

bis

bis id, quod ponitur tanquam terminus abiectus ab Ariſtotele, ponere tanquam ſubiectum, ex quo forma fiat. Quamuis id præter ius feceritis, & contra textum præſentem.

Amplius in eodem 1. phyſ. 60. lego *Sed ex aliquo fieri aliquid, & hoc non fieri, magis quidem dicitur in non permanentibus, vt ex immuſico fieri muſicum. Ex homine autem non.* LVI. 1. phyſ. 60

Iterum *priuationem*, & *ſubiectum priuatum*, quæ non permanent, diſtinguit à materia, quæ permanet in facto. Quamuis enim iuxtà textum 58. de non permanentibus, vel ſimplici, vel compoſito loquamur & in recto dicentes *hoc fit hoc*, & in obliquo *ex hoc fit hoc*; nihilominus in non permanentibus magis propriè loquimur in obliquo, vt cum dicimus *ex immuſico fit muſicum*; vel *ex homine immuſico fit homo muſicus*. In permanentibus autem, vt materia, non loquimur in obliquo, nec magis propriè, nec propriè, dicendo enim *ex homine fit muſicus*, non eſt magis propria locutio, vt in tex. præſenti, nec propria vt in tex. 58. Vbi rurſus habetur, quòd *forma non fit ex materia*.

Tex. 60. *At verò & in permanentibus aliquando dicimus ſimiliter, ex ære enim ſtatua fieri dicitur, non æs ſtatua.* LVII. 1. phyſ. 60

Limitat Ariſtoteles proximè dictum de materia permanente enim in toto facto loquimur in obliquo aliquando, & non in recto. Dicimus etenim, *ex ære fit ſtatua*: non dicimus in recto, *æs fit ſtatua*. Aduerte fieri comparationē à Philoſopho inter materiā, & totū compoſitū factū: nam 7. met. 7. æs eſt exemplū materiæ, figura exemplū formæ, ſtatua, eſt exemplū cōpoſiti. Id autē per tex. 24. & 25. 7. met. euenit, quādo priuatio eſt innominata: tunc etenim in loquendo vtimur materia, vel pro ſimplici priuatione: vel pro toto compoſito ex materia, & priuatione. Quādo verò priuatio eſt nominata ſecundum formam loquendi, tunc in obliquo loquimur de priuatione, ex laborante fit ſanus: ſed de materia non loquimur in obliquo; non *enim ſanus fit ex homine*. Habemus ergo & in 7. met. alium tex. quòd forma nō fit ex materia, *ſanus etenim non fit ex homine*. Legatur Antonius Andreas in illum tex: qui meis Offenſoribus eſt pro *Scoto*. Legantur alij expoſitores; immò & legatur tex. 25. 7. met. 7. 7. met. 25

Tex. 61. 1. phyſ. addatur. *Hoc tamē ex oppoſito, & nō permanēte* LVIII. 1. phyſ. 61

vtroque modo dicitur, & ex hoc hoc, & hoc hoc. Nanque ex immuſico, & immuſicus fit muſicus. Quocirca & in compoſito ſimiliter, etenim ex immuſico homine, & immuſicus homo fit muſicus.

Hic textus eſt valdè luculentus.

Primò repetit Philoſophus, nos loqui de priuatione ſimplici, & in recto, & in obliquo: atque dat exemplum locutionis in obliquo iſtud, *ex immuſico fit muſicus*, locutionis in recto illud, *immuſicum fit muſicum*.

Secundò dictum de ſimplici priuatione applicat ad compoſitum ex priuatione, & materia: nam, & de tali compoſito vtroque modo loquimur in recto, & in obliquo ſcilicet. Exemplum locutionis in obliquo eſt, *ex immuſico homine fit muſicus*. [l]ocutionis in recto, *immuſicus homo fit muſicus*.

Tertiò ex iſto tex. aperit differentiam inter materiam, quæ permanet, & inter non permanentia, quæ ſunt, vel ſimplex priuatio, vel compoſitum ex materia, & priuatione. Nam de non permanentibus loquimur vtroque modo, in recto, & in obliquo: de materia permanente, in recto tantùm, vel in obliquo tantùm. Licet de non permanentibus magis propriè loquamur in obliquo: de permanente materia, magis propriè in recto, nam hoc ei competit ſecundum ſe; minus propriè in obliquo, nam hoc materiæ competit ratione priuationis annexæ: ſed innominatæ, iuxtà 7. met. 25. Quamobrem ſecundum ſe

7. met. 25 loquendo, nunquam eſt concedendum, quod ex materia fiat forma.

XIX. 1. Corollarium. Ex iſto tex. patet quòd *immuſicum*, ſiuè in recto, ſiuè in obliquo loquamur, ſtat pro ſimplici priuatione.

2. Corollarium. Compoſitum ex ſubiecto, & priuatione, quod eſt ſubiectum priuatum forma muſicæ, eſt quid non permanens; ſed terminus abiectus.

Vide Ragus. pag. 325. error offendentium. 3. Corollarium. Offenſores contra Ariſtotelem dicunt, quòd immuſicum ſit ſubiectum muſica priuatum.

error offendentium. 4. Corollarium. Offenſores contra Ariſtotelem dicunt, quòd forma fiat ex ſubiecto præiacente, quia fit ex ſubiecto priuato. Nam quando ſic dicitur, ex homine immuſico fit muſicum,

ſicum, ſignificatur habitudo termini abiecti, & non permanẽtis cum forma muſicæ: Offenſores verò volunt, quod ſignificetur habitudo ſubiecti manentis ſub forma, & non abiecti.

5. Corollarium. Offenſores contra Ariſtotelem tenent, quòd forma fiat ex materia, cum id Ariſtoteles neget in citatis textibus quater. In tex. 58. primi phyſ. *ex homine non eſt factus muſicus.* In tex. 60. *ex homine non fit muſicus.* In tex. 61. aut loquimur tantùm in recto (quarè non in obliquo, ex homine fit muſicus) aut loquimur tantùm in obliquo; at hoc dictum eſt in reſpectu ad compoſitum, ſed non eſt dictum ſecundum ſe de materia. Denique in 7. met. 25. *ex ægrotante fit ſanus*; ſed *non fit ex homine ſanus.* quamobrem ex Ariſtotele probatum eſt, quòd forma non fit ex materia præiacente; quodq; in 1. phyſ. 58. hoc dicitur, non oppoſitum, quod Offenſores Ariſtoteli imponebant, & mihi. error offendentium.

Præterea tribus textibus indicatis ſuperius oſtenſum eſt, quòd immuſicum ſignificat ſimplicem priuationem, non autem indicat ſubiectum priuatum. LX. error offendentium.

Nunc appono 1. phyſ. 43. *Album quidem fit ex non albo, & hoc non ex omni, ſed ex nigro, aut medijs; & muſicum ex non muſico: ſed non ex omni, ſed ex immuſico.* Quo in loco de ſolis principijs contrarijs agit; nempè à tex. 41. ad 51. & à 51. incipit probare, dari tertium ſubiectum duobus contrarijs. Quarè in tex. 43. nequiuit Ariſtoteles per *immuſicum* denotare ſubiectum, nondum notum. Ità in tex. 64. *Dicitur autem opponi immuſicum, hominem autem ſubijci.* Ergo immuſicum ſignificat oppoſitum, non ſignificat ſubiectum ſub oppoſito.

Poſtremò, ſi ſubiectum priuatum ſit, ex quo fit forma; incidimus in ſententiam confutatam ab Ariſtotele 1. phyſ. 81. nam ſubiectum formæ appetit formam, vt bonum diuinum, & forma fit in hoc ſubiecto; ſi autem ſubiectum priuatum appetat formam, vt fiat ſub ea, appetit ſuam corruptionem. Etenim ſubiectum priuatum non permanet cum forma, dicente Ariſtotele, quòd *homo immuſicus non permanet*, & quod *muſicum fit ex homine immuſico, vt ex non permanente.* Vidiſtis itaque Offenſores, non Ariſtotelem, non Ferchiũ Ariſtotelis imita-

[illegible] [illegible], quòd forma fiat ex ſubiecto priuato; quapropter in veſtro argumento erat fallacia non cauſæ, vt cauſæ, ſicut ſuperius indicaui.

CAPVT X.

Colligitur Aduerſariorum error, & alijs rationibus probatur, formam non fieri ex materia, cuius oppoſitum Obiectores non probant.

[illegible]

COlligo. Ad probandum, quòd forma fiat ex materia, vos primò falsò dicitis formam fieri ex materia præſuppoſita in tex. 58. cum in illo tex. neget Ariſtoteles *muſicum fieri ex homine*, qui eſt ſubiectum præſuppoſitum, ſeu materia præſuppoſita. Secundo falsò ponitis, immuſicum non eſſe ſimplicem priuationem, cum in textu Ariſtoteles ipſum immuſicum dicat fieri vt ſimplex. Tertio falsò ponitis ſubiectum priuatum tanquam ſimplex, cum ſit compoſitum ex homine, & immuſico. Quarto falsò dicitis per ly *ex* cum dicitur, ex immuſico fit muſicum, ſignificari habitudinem ſubiecti: cum ſecundum Ariſtotelem ſignificetur habitudo termini non permanentis, ſed abiecti. Quatuor falſificationes induxiſtis contra textum, vt probaretis falſam concluſionem iſtam, forma fit ex materia, & fugeretis à mea vera concluſione, quæ eſt, formam fieri ex nihilo.

[illegible]

Obſecro vos, reſpirate ad veritatem. Ariſtoteles in 1. phyſ. poſuit ipſum *fieri ex*, vt ex termino, vel vt ex parte: in 1. de gener. animal. adiecit duo ſignificata fieri ex efficiente, & fieri poſt aliquid. In 5. metaphyſicor. 29. ſex poſuit ſignificata, ſubiiciens aliqua ex iſtis quatuor: & quod notabile eſt, nullo ex his locis per particulam *ex* declarauit habitudinem formæ ad materiam: vt vos id quærentes in Ariſtotele, ſcirpi nodum quærere videamini.

Atque & rationi eſt conſonum, quoniam eiuſdem re, & ratione ad [illegible] re, & ratione non eſt habitudo, niſi vna vnius rationis: [illegible] forma ſimplex eſt vna, & vnius rationis, materia ſimplex [illegible] forma refertur, eſt vna vnius rationis: igitur forma

ma ſimplex ad materiam ſimplicem non habet, niſi habitudinem vnam vnius rationis. Atqui habitudo ſignificata per *eſſe in* diuerſa eſt à relatione ſignificata per *eſſe ex*, ſiquidem anima rationalis, vt vos vultis, fit in materia ſubiecta, non fit ex ea. Sic ex 1. de anima 65. ſi viſus de oculo ſenis migraret in oculum iuuenis, fieret in oculo iuuenis, non ex oculo iuuenis; ſimiliter & intellectus migrans de corpore corrupto in corpus de nouo genitum, fit in corpus nouum, non ex corpore. Et in hypotheſi data 4. phyſicor. 58. color, vel ſonus exiſtentes extra ſubiectum, ſi de nouo ab efficiente, ſubiecto vnirentur: fierent in ſubiecto, non ex ſubiecto; igitur forma, quæ habet ad materiam relationem ſignificatam per *eſſe in*, in 7. metaph. 26. 27. & 4. phyſ. 23. non poteſt habere habitudinem aliam indicatam per *eſſe ex*, vel fieri *ex*. Vt meritò Ariſtoteles dicat formam non fieri ex materia, vt ſanus non fit ex homine 7. metaph. 25: Muſicum non fit ex homine 1. phyſ. 58.

Anima 65. *4. phyſ. 58.* *7. met. 26* *4. phyſ. 23*

LXIIII. Item Scotus in theoremate 21. principali concluſione 7. *Forma*, inquit, *eſt in omni compoſito ex partibus materialibus poſſibilibus manere diuiſis, aliud ab illis, nec ex illis*. Ibidem vlt. cap. citat Scotus 7. Metaph. cap. vlt. ergo cum Scoto, forma non eſt ex materia, idque acceptum refert Ariſtoteli in 7. metaph. cap. vlt. Scotus quoque 9. metaph. quæſt. 13. Tres reſpectus in materia conſiderat, ad agens, ad compoſitum, ad formam: Primum reſpectum explicat per *in quam*: Secundum per *ex qua*: Tertium per *in qua*. Et ad rem ſcribit. *Sed tantum eſt materia proprium receptiuum formæ, & ideò in qua, non ex qua*.

Putabam vos pugnare contra Ariſtotelem; ſed quantum capio pugnatis etiam contra Scotum.

Vltimò etiamſi probauiſſetis formam fieri ex materia (quod promiſiſtis vos facilè probaturos, ſed non probaſtis) adhuc nihil concluderetis contra Philoponum; quia non quæcunque habitudo ſignificata per *fieri ex* excludit factionem ex nihilo, ſed habitudo ſignificata per modum partis. At impoſſibile eſt, vt materia ſit pars ipſius formæ ſimplicis, ergo impoſſibile eſt, vt vos probetis formam fieri ex materia, vt ex parte: atque adeò impoſſibile eſt, vt probetis formam non fieri ex nihilo ad ſenſum

da-

datum. Dixi ad ſenſum datum, vt diſputatio ſit de re ſignificata, non de vocibus.

Cæterùm ſi hic textus à me productus pro me facit, non pro vobis; poſtea quam accepiſtis negotium probandi ex Ariſtotele, pergite, proferte aliquem alium textum, quo meam imperitiam conuincatis.

Offenſio. *Et quamuis Ariſtoteles frequenter explicuerit cauſalitatem materiæ in formam per habitudinem in quo, ità tamen explicat, vt ſit idem cum habitudine ex quo.*

Et ſignificet veram dependentiam formæ à materia in ſuo eſſe, & fieri, & conſeruari, vt diximus in diſput. 2. phyſica quæſt. 7. art. 1. & diſp. 5. quæſt. 4. art. 3.

34. Defenſio. Promiſiſtis authoritates Ariſtotelis, citatis loca veſtra ex diſput. phyſica 2. & 5.. Quid? facti ne eſtis vos nouelli Ariſtoteles? Aſt ego antiquiſſimi Ariſtotelis Stagiritæ authoritates recipio, veſtras non recipio, abſit. Multa dicitis in his paucis lineis, ſed nihil probatis.

LXIV. Primò dicitis Ariſtotelem explicuiſſe cauſalitatem materiæ in formam. Hoc vobis non, credo; nam Ariſtoteles in 2. phyſ.
2. phyſ. 28 28. & in 5. metaphyſ. 2. deſcripſit cauſalitatem materiæ in or-
5. met. 2. dine ad compoſitum, non ad formam, ſcribens. Materia eſt *ex qua fit aliquid, cum inſit*. Et in 1. phyſ. 82. ſimiliter deſcripſit
1. phyſ 82 materiam primam eſſe *ſubiectum primum, ex quo inexiſtente aliquid fit, non ſecundum accidens, & cum corrumpitur in hoc abibit vltimum*. Materia ergo eſt cauſa compoſiti, non formæ. Sic in 1. de gen. animal. cap. 18.

Quin & Scotus Quol. 2. D. *Materia*, inquit, *non eſt per ſe cauſa formæ, licèt ſit materia formæ, ſecundum Auicennam. Et nullo modo videtur aliquid eſſe hoc per illud, quod non eſt per ſe eius cauſa.*

Secundò dicitis habitudinem *in quo* explicatam ab Ariſtotele ita, vt ſit idem cum habitudine ex quo. Vtinam textum Ariſtotelis citauiſſetis, ſic enim abigeretis à me incredulitatem, qua non credo veſtris aſſertis. Dicitis enim, & non probatis.

Prætereà, quoniam diſſidium eſt de locutione *in quo*, & ex quo: atque ego in prima Veſtigatione cap. 5. ſcripſi ineptè commutari habitudinem *in quo* in habitudinem *ex quo*, propterea

quod

quod fallacia accidentis eſt habitudines mutare propter coniunctionem in fundamento; & paulò ante probaui, quòd iſtæ habitudines ſunt diuerſæ, non ergo tenere poſſum, quòd ſint idem. Sed & Ariſtoteles ipſe frequenter affirmauit formam fieri in materia, vt citaui dudum ex 4. phyſ. 23. & 7. metaph. 27. Sed etiam frequenter negauit formam fieri ex materia, vt in 7. met. 25. in 1. phyſ 58. 60. 61. Ergo non potuit vnam habitudinem dicere eſſe idem cum altera, alioqui affirmaret, & negaret idem.

Tertiò ſcribitis *ex quo* ſignificare dependentiam formæ à materia in eſſe, fieri, & conſeruari. Vos hoc dixiſſe ſcio; ſed ſcio etiam non probauiſſe: at ego reprobaui lib. 1. num. 47.

Quartò, ex Ariſtotele dicitis formam dependere in fieri, & conſeruari à materia. Docete me amabo, in quo libro, in quo textu Ariſtoteles hoc dixit.

Nam anima rationalis dicitur eſſe in corpore, & fieri in corpore, & tamen adhuc creatur, quia ſimplex habitudo in quo non exprimit dependentiam formæ à materia in eſſe, fieri, & conſeruari, ſed ſolum informationem, & receptionem in ea. Offenſio

Si eſſe *in quo*, & fieri *in quo* competit animæ rationali; & ei non competit fieri, vel eſſe *ex quo*; ergo iſtæ duæ habitudines ſunt re ipſa diuerſæ. Sed in offenſione immediatè præcedente dicebatis, quòd Ariſtoteles iſtas, habitudines expoſuit, vt idem ſint. Tam craſſum errorem Ariſtoteli impingitis? duo ſcilicet contradictoria. LXV. 55. Defenſio.

Secundò affirmatis animam creari. Si Scoto creditis in 2. diſt. 17. quæſt. 1. B & in 4. diſt. 43. quæſt. 2. M. & N. Ariſtoteles non concedit animam creari; ergo vos, qui paulò ante dixiſtis *ſed age loquamur in Ariſtotelis ſententia*, nunc tribuitis Ariſtoteli, quod eſt contra ſententiam eius. Aut igitur contra Scotum, aut contra Ariſtotelem eſtis. Scot.

Tertiò, Ariſtoteli erat notum vocabulum *dependentia*; ſi voluiſſet docere, quòd forma dependeat à materia, hoc exprimere ſciuiſſet. Sanè Scotus quol. 9 H. ſecundum Ariſtotelem concedit, quòd forma ſubſtantialis eſt independens reſpectu materiæ. Si autem etiam ſit dependens, vt nunc dicitis, iam eadem forma reſpectu eiuſdem materiæ erit dependens, & inde- Scot. quol. 9.

pen-

pendens. Quæ duo contradictoria concedere, veſtræ erit prudentiæ, ſed non videtur eſſe ex Ariſtotelica ſententia.

O ſenſo *Denique ſatius erit iuxta phraſim Ariſtotelis 7. met. 26. & 27. dicere formam in fieri, ſeu in alio fieri, quàm ex nihilo fieri; cum nullibi Ariſtoteles hac formula vtatur loquendi.*

36. Defenſio. Formam fieri in materia, & eſſe in materia, ego quoque dixi in 1. Veſtig. ex iſtis locis Philoſophi, & alijs. Controuerſia ergo non eſt de *fieri in*, ſed de *fieri ex*. Vos probatis formam non fieri ex nihilo ab authoritate negatiuè, quoniam Ariſtoteles nunquam hac loquendi formula eſt vſus. Si ſiſteretis in hoc, forma non fit ex nihilo, fortaſſe tolerabile eſſet: ſed ideò non vultis hanc formulam loquendi, quoniam vultis introducere formam loquendi veſtram, quæ eſt, *forma fit ex materia præſuppoſita, ſiuè ex ſubiecto præſuppoſito*. Non vultis, vt nos vtamur formula, quam expreſsè, non approbauit: vt vobis aſſumatis facultatem vtendi formula, quam expreſſè reprobauit: vt ſuperius eſt oſtenſum.

LXVI. Cæterùm quædam ſunt à Philoſopho dicta explicitè, & formaliter: quædam implicitè, & virtualiter; ſunt dicenda tanquã Ariſtotelica illa, quæ expreſsè, & formaliter Ariſtoteles dixit: ſunt neganda expreſsè illa, quæ expreſsè, & formaliter negauit. Præter hæc tamen recognoſcenda ſunt tanquã Ariſtotelica quæcunque implicitè, & virtualiter affirmauit, vel negauit. Talis eſt iſta enuntiatio: forma fit ex nihilo. Si enim fiat forma ex aliquo, aut fiet ex compoſito, aut ex forma, aut ex materia, quæ

2. de Anima 2. & 8. met. 3. ſunt tres ſubſtantiæ 2. de anima 2. & 8. met. 3. non fit forma ex compoſito: Quod enim fit ex aliquo, eſt poſterius natura illo, ex quo fit per 1. phyſ. 82. forma verò non eſt poſterior natura ipſo compoſito, ergo non fit ex compoſito. Non fit ex forma,

12. met. 12. ne procedatur in infinitum 12. met. 12. Non fit ex materia, vt

1. phyſ. 58 & 60. probatum eſt, ex 1. phyſ. 58. 60. & vt ſupra. Ergo fit ex nihilo.

Lib. de Xenoph. Deinde ſecundum Ariſtotelem in lib. de Xenophane, & de Zenone, *aliquid fit ex nihilo.* Hoc dictum verificandum eſt, vel in ſimplicibus, vel in compoſitis. Non in compoſitis, quoniã

7. met. 23 compoſita fiunt ex aliqua parte ſui præſuppoſita per 7. met. 23.

24.

24. *Quare quemadmodum dicitur, impoſsibile eſt fieri, ſi nihil præexiſtat, quòd igitur pars ex neceſsitate exiſtet, patet: materia nanque pars, ineſt etiam hæc, & fit.* Si ergo compoſitum fit ex aliqua parte ſui, non fit ex nihilo ſui. Rurſus compoſitum fit ex priuatione, quæ eſt negatio partis formalis; ſed priuatio non eſt nihil, vt ego probaui Veſtigat. 1. cap 5. contra vos, quem locum vos fortiter diſſimulaſtis. Sed & locus nunc citatus à 7. met. reuincit id ipſum; nam Ariſtoteles negat compoſitum fieri ex nihilo, quia fit ex parte præexiſtente; ſi autem priuatio ipſa eſſet nihil, malè negaret compoſitum fieri ex nihilo. Itaque compoſitum omne fit ex aliquo, non ex nihilo.

Reſtat, vt ſimplicia fiant ex nihilo; materia non eſt talis, cum in toto decurſu vniuerſi, nec fiat, nec corrumpatur 1. phyſ. 82. ergo dictum Ariſtotelis ſaltem verificandum eſt in forma, vt ipſa forma fiat ex nihilo.

Sed iam ſit modus. Propoſuiſtis loqui in ſententia Ariſtotelis contra me. Tria protuliſtis argumenta. Primum ab authoritate falsò citata, quòd forma fiat ex ſubiecto præſuppoſito. Secundum, quòd *fieri in* ſit idem, *quod eſſe ex*, vel è contra, ex authoritate Ariſtotelis non citata, & eſt petitio principij. Tertium, quòd Ariſtoteles non ſit vſus hac loquendi formula, ergo illa vti non debemus: & eſt argumentum ab authoritate negatiuè cum fallacia conſequentis. Parcite, quæſo, parcite tanto labore, abſtergite ſudorem. Non eſt veſtrum Ariſtotelem legere, ponderare, explicare, citare. Nullam hucuſque authoritatem Ariſtotelis attuliſtis, ſolum à me citatas retuliſtis. Satis obſecro, ſatis. Plures funderem preces; ſed video me veſtra benignitate prius exauditum, quàm rogauerim, vt propter hoc in ſequentibus nullam authoritatem Ariſtotelis amplius ſcripſeritis. Ad alia.

E c CAP.

CAPVT XI.

Offenſores confundunt factionem ex nihilo cum creatione, & non benè exponunt particulam ex nihilo.

Offenſio LXVII. *QVod autem ait, ſubiectum præſuppoſitum tollere rationem creationis, non factionis ex nihilo.*

37 Defenſio. *impoſtura* 22. Minimè; non dixi ſubiectum præſuppoſitum tollere rationem creationis: Vos mihi hoc imponitis. Nihil volui affirmare, vel negare de creatione propter litigia de hac voce naſcitura; alioqui dixiſſem, quòd creatio ſemper præſupponit ſubiectum, ſiuè partem ipſius facti. Quod tunc patebit, cum oſtendam vos non tenere ſignificatum huius vocabuli, *Creatio*, neque ſecundum doctrinam Chriſti, neque ſecundum doctrinam Ariſtotelis. Arguere autem ſic, Ferchius non dicit affirmatiuam, aut negatiuam, an creatio præſupponat ſubiectum: ergo dicit ſubiectum præſuppoſitum tollere rationem creationis. Eſt arguere, vt ſophiſtæ ſolent, ex negatione affirmationem, ex ſilentio locutionem.

Offenſio. *Præterquam quod contra communem diſtinguit factionem ex nihilo à creatione, quæ tamen ſolet per illam definiri, ac proinde debet cum ipſa conuerti. Adhuc eſt voluntariè dictum, quia eadem facilitate negari poſſet tollere rationem creationis.*

38. Defenſio. *impoſtura.* 23. Iterum atque iterum ad creationem tranſcenditis. Qui de cretione non agit, neque diſtinguit, neque confundit cum factione ex nihilo, igitur & hic falsò de me loquimini. Quidquid de creatione dicitis, extrà propoſitum eſt. Si quid habetis contra factionem ex nihilo, reſpondebo; de creatione, vt inſtitui, tacebo. De qua ideo verba facitis extra propoſitum, quia nihil ad propoſitum habetis.

LXVIII Præterea, cum non ſitis homines multæ authoritatis, cur iterum authoritate vtimini? Sed authoritate eorum, quos impugno, non authoritate Ariſtotelis, quem recipio? An quia petitis principium libenter? Interea quia ſuperius ad num. 49 dedi me

di me contra plures Peripateticorum loqui, nunc oſtendam, me non contra omnes Theologos, ac philoſophos loqui, vt appareat meam locutionem non eſſe contra communem philoſophorum, ac Theologorum, vt ſupra dixiſtis, & nunc repetitis. Raguſeus diſput. peripat. 16. cap. 18. reſpondens ad primum factum in cap. 4. ſcribit. *Concedimus formam ex nihilo fieri, eam tamen creari negamus. Id enim, quod creatur, nullarum affectionem vi à Deo ex nihilo producitur; forma verò, de qua loquimur à naturali agente, illarum affectionum vi, quæ in materia reperiuntur, in lucem editur.* Hanc doctrinam aſſerit à ſe ſumptam ex Fernelio. *Raguſeus*

Ludouicus Molina prima parte quæſt. 45. art. 1. ſcribit. *Quarè audiendi non ſunt Ochamus in 2. diſt. 1. quæſt. 4. Gabriel quæſt. 1. Maior in prologo 4. ſent. aſſerentes, productionem huiuſmodi formarum ſubſtantialium, dum equus, & alia res ſimiles generantur, eſſe creationem earum, vt talis productio eſt à Deo cauſa prima.* *Molina.*

Marcus Antonius Gallicius lib. 1. tractatu 3. quæſt. 6. phyſ. cart. 111. colum. 1. *Ex quo*, inquit, *liquidò apparet falsò Molinam quæſt. 45. in D. Th. art. 1. eam Nominalibus impingere opinionem, quòd nimirùm formas propriè creari aſſeuerarint. Non enim idem eſt apud Nominales ex nihilo produci, & creari, cum ſimul ſtet in doctrina Nominalium, aliquid ex nihilo produci, & non creari, quod certè contingit in omnium productione formarum, iuxtà eorundem Nominalium opinionem, vna excepta anima rationali.* *Galicius.*

Frãciſcus de Mayronis in academia ſubtili pręclarus in 2. diſt. 1. quæſt. 9. & 10. tria dicit ad rem noſtram.

1. Particulam ex nihilo non ſpectare ad rationem creationis: creationemq; longè aliter, quàm vos, deſcribit.

2. Dicit, quòd gratia creatur, etiamſi habeat materiam in qua.

3. Forma in nihil cedit (quare infero, forma ex nihilo fit) quæ tria pro me contra vos eſſe cognoſcitis.

Iam duos egregios Philoſophos Fernelium, & Raguſeum, quatuor præclaros Theologos Mayronem, & Ochamum, Gabrielem, Mayronem, iuxtà Gallicij animaduerſionem habeo conſortes dicendo, quod formæ fiunt ex nihilo, & non conce-

CAPVT XI.

Offenſores confundunt factionem ex nihilo cum creatione, & non benè exponunt particulam ex nihilo.

Offenſio LXVII. QVod autem ait, *ſubiectum præſuppoſitum tollere rationem creationis, non factionis ex nihilo.*

37 Defenſio. impoſtura 22. Minimè; non dixi ſubiectum præſuppoſitum tollere rationem creationis: Vos mihi hoc imponitis. Nihil volui affirmare, vel negare de creatione propter litigia de hac voce naſcitura; alioqui dixiſſem, quòd creatio ſemper præſupponit ſubiectum, ſiuè partem ipſius facti. Quod tunc patebit, cum oſtendam vos non tenere ſignificatum huius vocabuli, *Creatio*, neque ſecundum doctrinam Chriſti, neque ſecundum doctrinam Ariſtotelis. Arguere autem ſic, Ferchius non dicit affirmatiuam, aut negatiuam, an creatio præſupponat ſubiectum: ergo dicit ſubiectum præſuppoſitum tollere rationem creationis. Eſt arguere, vt ſophiſtæ ſolent, ex negatione affirmationem, ex ſilentio locutionem.

Offenſio. *Præterquam quod contra communem diſtinguit factionem ex nihilo à creatione: quæ tamen ſolet per illam definiri, ac proinde debet cum ipſa conuerti. Adhuc eſt voluntariè dictum, quia eadem facilitate negari poſſet tollere rationem creationis.*

38. Defenſio. impoſtura. 23. Iterum atque iterum ad creationem tranſcenditis. Qui de cretione non agit, neque diſtinguit, neque confundit cum factione ex nihilo, igitur & hic falsò de me loquimini. Quidquid de creatione dicitis, extrà propoſitum eſt. Si quid habetis contra factionem ex nihilo, reſpondebo: de creatione, vt inſtitui, tacebo. De qua ideo verba facitis extra propoſitum, quia nihil ad propoſitum habetis.

LXVIII Præterea, cum non ſitis homines multæ authoritatis, cur iterum authoritate vtimini? Sed authoritate eorum, quos impugno, non authoritate Ariſtotelis, quem recipio? An quia petitis principium libenter? Interea quia ſuperius ad num. 49 dedi me

di me contra plures Peripateticorum loqui, nunc oſtendam, me non contra omnes Theologos, ac philoſophos loqui, vt appareat meam locutionem non eſſe contra communem philoſophorum, ac Theologorum, vt ſupra dixiſtis, & nunc repetitis. Raguſeus diſput. peripat. 16. cap. 18. reſpondens ad primum factum in cap. 4. ſcribit. *Concedimus formam ex nihilo fieri, eam tamen creari negamus. Id enim, quod creatur, nullarum affectionum vi à Deo ex nihilo producitur; forma verò, de qua loquimur à naturali agente, illarum affectionum vi, quæ in materia reperiuntur, in lucem editur.* Hanc doctrinam aſſerit à ſe ſumptam ex Fernelio. *Raguſeus* 4

Ludouicus Molina prima parte quæſt. 45. art. 1. ſcribit. *Quarè audiendi non ſunt Ochamus in 2. diſt. 1. quæſt. 4. Gabriel quæſt. 1. Maior in prologo 4. ſent. aſſerentes, productionem huiuſmodi formarum ſubſtantialium, dum equus, & aliæ res ſimiles generantur, eſſe creationem earum, vt talis productio eſt à Deo cauſa prima.* *Molina.*

Marcus Antonius Gallicius lib. 1. tractatu 3. quæſt. 6. phyſ. cart. 111. colum. 1. *Ex quo*, inquit, *liquidò apparet falsò Molinam quæſt. 45. in D. Th. art. 1. eam Nominalibus impingere opinionem, quòd nimirùm formas propriè creari aſſeuerarint. Non enim idem eſt apud Nominales ex nihilo produci, & creari, cum ſimul ſtet in doctrina Nominalium, aliquid ex nihilo produci, & non creari, quod certè contingit in omnium productione formarum, iuxtà eorundem Nominalium opinionem, vna excepta anima rationali.* *Galicius.*

Frãciſcus de Mayronis in academia ſubtili prçclarus in 2. diſt. 1. quæſt. 9. & 10. tria dicit ad rem noſtram.

1. Particulam ex nihilo non ſpectare ad rationem creationis: creationemq; longè aliter, quàm vos, deſcribit.

2. Dicit, quòd gratia creatur, etiamſi habeat materiam in qua.

3. Forma in nihil cedit (quare infero, forma ex nihilo fit) quæ tria pro me contra vos eſſe cognoſcitis.

Iam duos egregios Philoſophos Fernelium, & Raguſeum, quatuor præclaros Theologos Mayronem, & Ochamum, Gabrielem, Mayronem, iuxtà Gallicij animaduerſionem habeo conſortes dicendo, quod formæ fiunt ex nihilo, & non conce-

dendo, quod creentur. Si autem cum Molina interpretemur Nominales, illi ſunt præcellentes Theologi, ac Philoſophi, qui tamen tenent cum Philopono formas creari ex nihilo. Non ergo eſt contrà communem opinionem omnium tractare de factione ex nihilo, & non tractare de creatione; ſed eſt contra communem opinionem veſtratum, contraria conſuetudine abductorum.

Nominales.

LXIX. Compello tamen vos pro Philopono. In factione ex nihilo per negationem vniuerſalem *Nihil*, aut intelligitis negari quodcunque ens internum, & externum facto, aut quodcunque internum tantùm, aut quodcunque externum tantùm. aut quartò omne internum, ſed inter externa etiam negari vnum, quod vobis placet, ſcilicet ſubiectum præſuppoſitum.

Si primò per *nihil*, negetis omne ens internum facto, & hoc tantùm, verè dicitis cum communi opinione. Factum de nihilo aliquid ideò dici, quia neque ipſum factum, neque aliquid internum ipſi facto reperitur in termino à quo; ſed ipſum factum reperitur in termino ad quem.

Si ſecundo per *Nihil* negetis omne internum, & externum facto, conſtituitis rationem in ſe falſam, vt ſit factum, & factio ſine principio faciente, & ſine cauſa finali, propter quam facit; ſimulque ipſam factionem ex nihilo impoſſibilem redditis, quod maximè vellet dux veſter Auerroes; cui tamen ignoſcendum eſt, quia non vidit libros de Xenophane, & Zenone: quos ſi vidiſſet, & ſuis commentarijs illuſtraſſet, & omninò ſecutus fuiſſet, quippè qui Ariſtoteli eſſet addictiſſimus.

Si tertiò per ly *Nihil* negetis omne externum facto, in hæc eadem abſurda incideritis, eſſe aliquid factum ſine cauſis externis, fine, & efficiente.

Si quartò per *Nihil* intelligatis negari factum, & omne internum facto: & inſuper negari, non quodcunque externum; ſed tantùm illud externum, quod vobis placet; ſcitote veſtrum placitum non eſſe placitum Imperatoris vniuerſorum, vt alij veſtris placitis obedire cogantur. Tenetis per ly *Nihil* negari omne intrinſecum facto. Philoponus conſentit: Tenetis nihil extrinſecum contineri in particula *Nihil*, conſentit Philoponus,

con-

conſentiunt defendentes inchoationes formarum; conſentiunt impugnatores inchoationum: conſentiunt alij, vt Raguſeus, Fernelius, Nominales. Sed ad placitum veſtrum excipitis inter externa ſubiectum præſuppoſitum volentes, vt per ly *Nihil*, negetur omnis pars interna facti, & negetur ſubiectum præſuppoſitum, quod non eſt pars interna. Hoc placitum veſtrum non placuit Philopono, non alijs ſupracitatis; & re vera eſt emendicatum propter inopiam ſolutionis. Argumentum enim tale eſt. Quod ex nulla parte præſuppoſita ſui fit, ex nihilo fit, & ſecundum inchoatores creatur. Sed forma fit ex nulla ſui parte præſuppoſita, ergo fit ex nihilo, & ſecundum dictos creatur. Inſolubile eſt argumentum à vobis, niſi ad placitum veſtrum mutetis ſignificatum terminorum; ſic enim per ſolutionem vocalem euitare vultis difficultatem realem, ſed ineuitabilem. Itaq; Philoponi nomine, & omnium tenentium formas inchoatas, atque tenentium formas de nouo factas ex nihilo, nego hoc veſtrum placitum. Vos proponitis, non probatis. Quamobrem qua facilitate placitum veſtrum affirmatis, ad factionem ex nihilo requiri negationem ſubiecti præſuppoſiti, eadem facilitate à nobis negatur id requiri. *Inopia ſolutionis*

Probate, non petite.

CAPVT XII.

Ad factionem ex nihilo, vel ex aliquo per ſe ſpectari rationem partis, non ſubiecti.

NEc ratio, quam adducit ad hoc probandum, ſuffragatur, nam præterquam quod poſſet afferri ad idem probandum de creatione, non concludit, quia modus ille arguendi valet tantum in cauſis præciſis, modò licèt ſubiectum præſuppoſitum ſit cauſa tollens factionem ex nihilo, non tamen eſt cauſa præciſa. Offenſio

Superius cart. 218. colum. 2. dicebatis vnicum eſſe fundamentum meæ opinionis. Nunc aliud affertis, non ergo eſt vnicum. Deinde voluiſſem, vt hoc ſecundum argumentum non acciperetis ſine alijs præcedentibus, quibus nititur in cap. 14. LXX. 39. Defenſio.

primæ

primæ Veſtigationis. Sed alia quatuor argumenta non potuiſtis, quouis quæſito colore diſſoluere, hoc vobis, quod ſub numero 43. eſt, viſum eſt ſolui poſſe. Sed, vt arbitror, non ſoluiſtis. Damnatis meam Veſtigationem, quod non debuerim tàm prolixam diſputationem, tantum laborem inſumere. Si breuiſſimè ſcribendo, vobis prolixus ſum, quid, ſi diffuſius ſcripſiſſem, dixiſſetis? Nunc autem coactus vim argumenti exponam.

Duæ ſunt propoſitiones, in quibus argumentum fundatur prima, *quod per ſe ineſt ſemper ineſt*, nam quod per ſe eſt, eſt de omni: atque adeò ineſt omni ſubiecto, & omni tempore.

Secunda, *quod affirmat affirmatio, hoc negat negatio*; nam in contradictorijs idem prædicatum reſpectu eiuſdem ſubiecti affirmatur, & negatur.

Tunc ſi conſideremus factionem ex aliquo, & ex nihilo, aliquid & nihil ſunt contradictoria, ergo eadem habitudo affirmatur in factione ex aliquo, quæ negatur in factione ex nihilo per ſecundam propoſitionem. Si igitur in factione ex nihilo intelligeretur negari ſubiectum præſuppoſitum, & per præſentiam ſubiecti præſuppoſiti inferri negationem factionis ex nihilo. Ergo in factione ex aliquo oportebit affirmare ſubiectum præſuppoſitum per ſe, ſicut in factione ex nihilo per ſe negatur. At falſum eſt iſtud; quoniam ſi anima præexiſteret ante corpus, homo de nouo factus ex parte præexiſtente, eſſet factus de nihilo, quod eſt abſurdum, à vobis confeſſum; quia verò quod per ſe ineſt, ſemper ineſt: ſed in iſta factione de aliquo, non ineſt affirmatio ſubiecti præſuppoſiti, ergo hæc affirmatio ſubiecti præſupoſiti per accidens ſe habet ad factionem ex aliquo, & vt ſic non requiritur. Quarè, & negatio ſubiecti præſuppoſiti per accidens ſe habet ad factionem ex nihilo, atque illam non auert.

LXXI. 1. poſt. 99. Placet interea, quòd me excitauiſtis ad roborandum argumentum meum ex cauſa præciſa, ſeu proxima, quam tradidit Ariſtoteles in primo poſt. 99. nam talis cauſa affirmata affirmat effectum, & negata negat; ſed cauſa remota aliter ſe habet; nam facit demonſtrationem negatiuam, ità vt de effectu prædicetur

cetur cauſa remota, de ſubiecto negetur. Exemplum primæ. Si habere pulmonem eſt cauſa reſpirandi, non habere pulmonē eſt cauſa non reſpirandi. Exemplum ſecundæ. Omne reſpirans eſt animal, paries non eſt animal, ergo paries non reſpirat.

Iam verò ex hac regula argumentabor, ſi affirmatio ſubiecti præſuppoſiti eſt cauſa præciſa factionis ex aliquo, & negatio ſubiecti erit cauſa negationis factionis ex aliquo, & cauſa affirmationis, qua affirmetur factio ex nihilo. Sed ſunt aliqui ex meis aduerſarijs, qui exiſtimant habitudinem ſubiecti præſuppoſiti præciſè ſumptam ponere factionem ex aliquo; & negationem ſubiecti negare factionem ex aliquo, & ponere factionem ex nihilo. Quales dabo duos ſapientiſſimos viros, Ioannem Baſolium in 2. diſt. 1. quæſt. 2. qui factionem ex nihilo, ſeu creationem (vt ipſe loquitur) in eo conſiſtere arbitratur, vt neget fieri ex aliquo ſubiectiuè, aut materialiter; & Ioannem Baptiſtam Contarenum, in quæſtione de origine formarum, qui factionem ex aliquo, & creationem ex ratione ſubiecti conſtitutiui præciſè ſumit. Igitur ſecundum iſtos, & alios eorum conſortes poſitio ſubiecti præſuppoſiti tollit factionem ex nihilo. Atqui cum homo fit ex anima præexiſtente, & corpore facto de nouo, non eſt ibi habitudo ſubiecti præſuppoſiti, ergo homo ità factus, erit factus ex nihilo, atque adeò meum argumentum erit efficax contra iſtos, ſi non contrà omnes.

Io. Baſol.

Io. Bap. Contare.

Præterea etiam contra vos tenentes, quòd ſubiectum præſuppoſitum ſit cauſa remota, tollens factionem ex nihilo, iuxta normam Ariſtotelis concludam. Sit maior extremitas, & effectus *tollere factionem ex nihilo*: minor extremitas *factio hominis ex ſola forma præſuppoſita*: medium, & cauſa remota ſit *ſubiectum præſuppoſitum*. Arguo. LXXII.

Omne tollens factionem ex nihilo eſt ſubiectum præſuppoſitum.

In factione hominis ex forma ſola præexiſtente, non eſt ſubiectum præſuppoſitum, igitur in factione hominis ex forma ſola præexiſtente non eſt quid tollens factionem ex nihilo. Quarè homo, ſic factus, erit factus ex nihilo; quod & vobis, & me confitentibus, eſt abſurdum. Falſa itaque eſt concluſio. Minor

& ve-

& veſtro, & meo conſenſu eſt vera, ergo falſa eſt maior, quòd ſubiectum præſuppoſitum ſit cauſa tollens factionem ex nihilo. Merito quoniam cauſa per ſe ſiuè proxima, ſiuè remota iuxta pri. Poſteriorum tex. 99. & ſequentes habet hoc vt commune, quòd negata cauſa, negatur effectus. Similiter quando fit totum diſſimilare ex partibus diuerſis, vt manus fit ex oſſibus, neruis, pelle, carne &c. vna pars non habet rationem formæ receptibilis, altera non habet rationem ſubiecti receptiui, ergo abeſt præſuppoſitio ſubiecti in ratione cauſæ, vel proximæ, vel remotæ, ergo non adeſt cauſa tollens factionem ex nihilo: quarè manus fiet ex nihilo, etiam ſi fiat ex partibus omnibus præſuppoſitis, quod eſt abſurdiſſimum. Cernitis ergo ex hac veſtra reſponſione argumentum meum eſſe factum longè robuſtius.

Itaq; ſicut in factione ex aliquo ratio partis per ſe requiritur, & ſemper adeſt: ratio ſubiecti præſuppoſiti non per ſe requiritur, quia non ſemper adeſt; ſed per accidens prorſus eſt, vt vna pars tanquam ſubiectum aliam recipiat; ità in factione ex nihilo per ſe negatur ratio partis: omninò per accidens eſt, ſi negetur ratio ſubiecti, cum ratio ſubiecti præſuppoſiti nec ſit cauſa per ſe remota, nec propinqua. Quia verò demonſtrator agit de his, quæ ſunt per ſe; ſophiſta verò de his, quæ ſunt per accidens 6. met. ſumma 2. cap. 1. iſtam habitudinem ſubiecti præſuppoſiti in factione ex aliquo, vel ex nihilo; dimittite ſophiſtis conſiderandam.

6. met.

Offenſio.

Ex dictis deducitur, fundamentum Ferchij eſſe prorſus labile, & penitus coincidere cum fundamento opinionis admittentis inchoationes formarum in materia ſecundum aliquid ſui, ne fieret ex nihilo, quia putabant opus eſſe, ne res fieret ex nihilo fieri debere ex aliquo, vt ex parte, quod eſt ipſiſſimum Ferchij fundamentum.

LXXVII 40. Defenſio.

Fundamentum Ferchij ſit labile alijs. Certè vos illud labefactare non potuiſtis, neque arguendo propter petitiones principij veſtras; neque reſpondendo propter defectum in ſolutione, quando non conſiderauiſtis cauſam remotam, & eius conditionem. Inſuper, & propter defectum ſolutionis ad argumenta aliqua per me facta cap. 14 quæ vos intacta permiſiſtis.

24 Impoſtura.

Quod attinet ad fundamentum inchoationis formarum: il-

lud

lud fundamentum à vobis confictum, & contortum ſic, *ne res fiat ex nihilo, debet fieri ex aliquo vt ex parte*, in meo libro non inuenietis. Neque omnes defendentes inchoationem formarum illud tenent; volunt quippè aliqui formam totam ſecundum actum fieri ex ſe tota ſecundum potentiam; itaut ly *ex* dicat conſubſtantialitatem, non partialitatem. Legite S. Bonau. 2. diſt. 7. quæſt. 10. alio quoque loco ad hoc citato contra vos. Quòd ſi fortè ex meis principijs deducatur iſtud dictum à vobis confictum, hoc erit corollarium conſequens, non fundamentum antecedens. Fundamentum autem Philoponi, & meum iam dictum eſt, non repeto.

Inchoatores formarum, (ſic eos per contemptum appellatis) famoſam opinionem habuerunt, ſuntque Doctores maximi nominis in Theologiâ; & Philoſophia, vt Scot. indicat in 7. met. quæſt. 12. nec propter veſtras iniurias obſcurabuntur. Dicitis me conuenire cum eis. Falſum eſt, illi ponunt rationes ſeminales coæuas materiæ, ego non pono. Ego ſtatuo formas fieri ex nihilo de nouo, illi negant, quoniam ex ratione ſeminali fiunt. Illi creatione vtuntur ad probandũ, teſte Scoto loco nunc citato. & in 2. diſt. 18. quæſt. 1. ego nihil de creatione aio, aut nego. Satis ne diſtinguor ab eis? In vna negatione conuenio. Ad factionem ex nihilo ſubiectum præſuppoſitum non requiri, ſed merè per accidens ſe habere; in cæteris non conuenio, & ſi conuenirem, non puderet me, nec pigeret tot, ac tantorum Doctorum eſſe ſequacem, quorum fundamenta vos nec ratione, nec authoritate conuellere vnquam poteritis.

Scot. in poſtmo 12. Scot. 2. d. 18.

At illa opinio ab omnibus paſſim refellitur; ſed præſertim à Scoto 2. diſt. 18. quæſt. vnica. Offen 60

Nimis laudatis vos ipſos, ſiquidem legiſtis *omnes* authores, vidiſtiſque, quod *ab omnibus* inchoatio formarum refellitur. Mittite iactantiam, modeſtiam induite, plures ſunt Claſſici pro rationibus ſeminalibus, quàm contrà. Quod ſi Scoto ità placuit contra rationes ſeminales dicere, oppoſitum placuit Ioanni Bacchono, qui eſt caput ſuæ ſcholæ; placuit S. Bonauenturæ, Alberto Magno: ſed non certamus de numero. Scotus non eſt Oraculum Dei, vt ei contradicere non liceat. Accepit

LXXIV. 41. Defenſio.

ipſe licentiam contradicendi alijs, alij quoque eandem licentiam acceperunt contradicendi Scoto. Sed vos, ſtrenui bellatores, non vultis, vt alij authoritate vtantur, immo hoc facientes, vocatis viros ſine ratione. Nunc in eaſdem anſas incidititis; ſolam authoritatem Scoti affertis, præterea nihil. At afferre authoritatem Scoti contra Scoti aduerſarios, eſt petere principium; quod idem diceretis vos contra illos, qui afferrent authoritatem Aquinatis contra vos. Vos non recipitis Aquinatem, nos non recipimus Scotum.

Offenſio *Vbi etiam imbecillitatem eius fundamenti demonſtrat, quia ex nihilo fieri, non tantum negat præexiſtentiam partis intrinſecæ componentis, id quod fit, ſed etiam ſubiecti per ſe concurrentis ad productionem formæ, quæ fit.*

LXXV. 42. Defenſio. Reſpondeo, Scotus & in 2. diſt. 18. quæſt. vnica & in 4. diſt. 1. quæſt. 1. Pp. & in 7. met. quæſt. 12. hoc dicit ſed non probat, quarè non demonſtrat. Cum ergo Scotus nullam authoritatem, vel rationem ad probandum attulerit; veſtri officij erat contra me negantem probare, & non petere principium.

Offenſio *Vnde cum formæ omnes materiales ſupponant ſubiectum, à quo dependenter fiunt, non dicuntur ex nihilo fieri; ſed de potentia materiæ educi, & generari, de quo videatur diſp. 2. phyſica quæſt. 7. art. 1.*

43. Defenſio. Tot ſunt petitiones principij nunc, quot propoſitiones. Primò nego formas dependere à materia. Secundò nego, formas non fieri ex nihilo. Tertiò nego illam cauſalem, *cum ſupponant ſubiectum, à quo dependent, non dicuntur ex nihilo fieri*. Quartò nego, formas de potentia materiæ educi, excipio rationalem ſolam. Denique nego authoritatem veſtram, quam citatis. Oportebat citare Ariſtotelem; ſed vos, niſi ab alijs citationes tranſcripſeritis, eſtis impares ad citandum Ariſtotelem.

CA-

CAPVT XIII.

Limitationem propoſitionis Ex nihilo nihil ab Offenſoribus datam, non ſubſiſtere.

MAneat igitur inconcuſſa veritas illius principij ex nihilo nihil fit: & in nihil aliquid non reſolui, per cauſas naturales, ita enim probatum manet principale aſſertum. Offenſio

Quomodo probatum manet, cum nullam authoritatem Ariſtotelis attuleritis ad illud probandum, ſed ſolam authoritatem Auerrois ex mea 1. Veſtig. cap. 1. acceperam? Nullam rationem attuleritis, vt conſtat ex hoc toto decurſu factam? 44. Defenſio.

Inductione probare voluiſtis axioma veſtrum: quam inductionem ab Excellentiſſimo Piccolomineo factam retuli Veſtig. 1. num. 61. atque diſſolui.

Verùm inductio à vobis facta, ſi de ſolis compoſitis fiat (vt videtur) eſt inſufficiens, & cum fallacia conſequentis: ſi autem de ſimplicibus etiam intelligatur, vt de formis, quod propter ſubiectum præſuppoſitum, non fiant ex nihilo, eſt cum ſolita petitione principij contra Philoponum, Nominales, & Defenſores rationum ſeminalium. Facta verò eſt inductio, quæ non patefecit Ariſtotelis intentionem. Inducendæ erant authoritates Ariſtotelis ad Ariſtotelis mentem veſtigandam.

Maneat igitur concuſſa, & conuulſa illa enuntiatio, *Ex nihilo nihil fit*, quam ego octo principalibus rationibus ex Ariſtotele deductis probaui non eſſe Peripateticam, oſtendique ab Ariſtotele expreſsè eſſe negatam. Dicere autem, quòd propoſitio negata ab Ariſtotele, ſit in eius doctrina aſſertum verum, & axioma, eſt falſum prorſus.

Sed illa limitatio *per cauſas naturales*, quam & ſuperiùs attigiſtis, quid ſibi vult? Axioma non ſolet limitari. Si enuntiatio *ex nihilo nihil fit*, eſt axioma, quarè limitatur? Intrinſeca ratio formalis terminorum non variatur ex cauſa extrinſeca. Factio à ſuis terminis ex quo, & ad quem ſpecificatur eſſe ex aliquo, vel ex nihilo, ſiuè fiat ab hoc agente, ſiuè ab illo. LXXVI.

Ff 2 Ad

Scot. Ad hoc noto ex Doctore ſubtili 4. diſt. 43. quæſt. 3. Q. naturam actiuam poni pro natura creata in vno ſignificato, pro actiuo naturali neceſſitate in alio ſignificato.

Rurſus in quæſt. ſequenti 4. C. Scotus diſtinguit naturale actiuum contra liberum, & contra ſupernaturale.

Addo ego etiam cauſam naturalem diſtingui contra artificioſam. Cum igitur cauſa naturalis ſit vel 1. creata contra increatam; vel 2. naturalis contra liberam; vel 3. naturalis contra ſupernaturalem; vel 4. naturalis contra artificioſam, vos mei Offenſores limitatis veſtrum axioma per vocem æquiuocam. Aequiuocationem non inducunt ſcientifici, ſed ſophiſtæ. Quæro igitur, in quo ſignificato accipiatis cauſam naturalē.

Si primò cauſa naturali accipitur pro cauſa actiua creata, cum ſecundum vos nihil in via Ariſtotelis creatum ſit ex tempore, ſed ſolum ab æterno; iam nulla cauſa actiua ex tempore genita in hoc ſenſu eſt naturale agens. Nil itaque ex hoc capite obſtabit, quin homo, leo, ignis heri genitus, faciat aliquid ex nihilo; nam ſi fiat ab iſtis, cum iſta nec creata ſint ab æterno, nec in tempore, iam non includuntur in iſta limitatione veſtra.

LXXVII Aſſt. in 1. Si autem ſecundò cauſa naturalis diſtinguitur contra liberā; cum Ariſtoteles, aſſertore Scoto 1. diſt. 8. quæſt. 5. quolib. 7. & locis paulò ante dictis poſuerit primum efficiens, id eſt Deum agere ex neceſſitate naturæ ad extra; ſi veſtra limitatio continet cauſam naturalem, id eſt non liberam, iam neque Deus, neque aliud agens à Deo aliquid facere poterit ex nihilo. Et fruſtrà adiungitis illam limitationem, ſi ænuntiatio intelligitur de omni agente.

Atqui, erro. Quia homo eſt cauſa libera, igitur homo poterit producere ex nihilo: etenim in hoc ſenſu liberè agens non continetur ſub illa regula, *ex nihilo nihil fit* à naturali cauſa.

Si tertiò naturale diſtinguitur contra ſupernaturale, vt ſupernaturalia cognoſcuntur à Theologis Chriſtianis, illa gloſſa eſt adulterina, non Ariſtotelica. Qui enim ponit differentiam inter aliqua duo, vtrumque debet cognoſcere ſub propria ratione 2. anima 145. iuxtà enuntiatum in 2. de anima 145. ſed Ariſtoteles non cognouit

gnouit ſupernaturalia, ergo nec naturalia, vt diſtinguuntur à ſupernaturalibus. Igitur hanc limitationem Philoſophus ponere non potuit.

Si quartò denique naturale accipitur contra artificioſum; iam artifices poterunt facere ex nihilo, quoniam in illa veſtra limitatione non continentur. Quamobrem limitatio illa veſtra in nullo ſenſu eſt ſinè menda.

Verè tamen illa enuntiatio vniuerſalis *Ex nihilo nihil fit*, eſt ſimpliciter neganda, ſicut eam negauit Ariſtoteles. Si verò ſit in aliquo particulari concedenda, reſtringenda eſt ad compoſita, quæ fiunt ex parte præexiſtente, & ex parte non præexiſtente, ideſt ex materia, & ex priuatione; ſicut Ariſtoteles illam enuntiationem arctauit in 7. met. 23. & 24. pro vt à me Veſtigat. 1. cap. 2. ad finem, annotatum eſt.

CAPVT XIV.

Reſponſiones aduerſariorum afferuntur duæ, & prima refutatur hoc capite.

NEque ab hac veritate adeò explorata nos deterrere debet authoritas à Ferchio allata ex lib. de Xenophane, & obſeruatio ab eodem adeò accuratè facta, quod vbicumque Ariſtoteles axoima illud profert, ſemper, vt ex antiquorum poſitione pronunciat. lxxvm. Offenſio

Magna vis conſuetudinis, propterquam propoſitionem ab Ariſtotele expreſsè negatam affirmatis, reiectam duodecies recipitis, inconuenientibus oneratam amplexamini, ſæpius confutatam ſuis principijs, vt principium intruditis. Non inuenietis facilè in Ariſtotele propoſitionem tàm rigoroſè, tam apertè, tàm ignominioſè negatam, quàm iſtam, *Ex nihilo nihil fit*. Sed conſuetudo eſt altera natura; cauendum eſt autem, ne illi accedat, & mala voluntas. 45. Defenſio.

Nam, & Antonius Roccus id quoque obſeruauerat 1. phyſ. quæſt. 9. in prima ratione in oppoſitum, neque idcirco eam damnauit vt falſam, & à Licæo ablegauit, vt ab Ariſtotelis mente abſolutè alienam, ſed inquit. Ideò ſemper, vt ex poſitione Antiquorum referri, Offenſio

quia

quia antiquiſſima erat, & ne cogeretur eam probare, cum recepta foret ex communi ſapientum conſenſu, non verò vt innueret ſe illi nullatenus aſſentiri, cum eam frequenter affrat ad aſſerta ſua probanda.

In libro verò de Xenophane cum dicit non eſſe vniuerſaliter verum, vt proferebatur ab Antiquis, quia ex nihilo fit aliquid tanquam ex termino à quo: & re vera priuatio eſt vnum ex tribus principijs rerum naturalium, vt latè oſtendit 1. phyſ. contra Antiquos, & ide benè eos carpit loc. cit. quod non rectè eam propoſitionem receperint, vt vniuerſaliter veram, quia in aliquo ſenſu eſt falſa.

46. Defenſio. Etiamne reſponſiones ex Antonio Rocco integras accipitis? Hoc eſt totum ex alieno, nihil de veſtro. Boetius in lib. de diſciplina ſcholarium ſcriptum reliquit, Miſerrimi eſt ingenij ſemper velle alienis inuentis inſiſtere, & nihil per ſe ſe inuenire velle.

LXXIX. Cum anno 1629. metaphyſicen in hac vniuerſitate publicè legerem, meam opinionem de factione ex nihilo in medium attuli, quæ magnam commouit Peripateticorum multitudinem. Variæ reſpõſiones, & fugæ inueniebantur ad authoritates per me obſeruatas in Ariſtotele. Plures negare libros eſſe Ariſtotelis; multos affirmare textus à me non penetrari; alios nolle recedere à ſentẽtia Auerrois, & communi; nam tempore procedente inueniri poſſe reſponſa etiam ad textus per me allatos.

Recurrere etiam ad peritiores, & ſcribere ad abſentes. Quomodo, & ad Antoniũ Roccũ peruenerũt quædam meæ opinionis argumẽta. Sed ſi Vir ille eruditus poſt meas Veſtigationes editas ſcripſiſſet; exiſtimo aliquantò fundatius fuiſſe reſponſurum. Vtcunque ſit, reſponſiones libremus.

In prima reſponſione duo ſunt, vnum contra conſuetudinem Ariſtotelis, reliquum contra conſuetudinem Ariſtotelicorum. Conſuetudo Ariſtotelis eſt, non ſolùm, proponere propoſitiones, ſed etiam probare illas, iuxta decretum 8. phyſicorum 15. 8. phyſ. oportet, *Non ponere, neque cenſere vllam ſententiam irrationabilem; ſed aut inductionem, aut demonſtrationem afferre.* Quocirca licèt proponat propoſitionem ex aliorum authoritate probatam, non propter hoc ommittit rationem probantem. Nec

enim

enim ex authoritate ſcientia, ſed ex ratione producitur ab Ariſtotele. Sic in 1. phyſ. proponit illud, *principia ſunt contraria*. Probat verò authoritate Philoſophorum veterum. Sed à tex. 42. ad 46. potentiſſima ratione confirmat. Quarè ſi Ariſtoteles attuliſſet illam propoſitionem, *Ex nihilo nihil fit*, vt veram: iuxtà ſuam conſuetudinem præter authoritatem priſcorum, pro illa propoſitione rationem attuliſſet. Non attuliſſe autem inde patet, quòd neque vos, neque Roccus potuiſtis, vel textum indicare, vel rationem pro illa enuntiatione, ab Ariſtotele negata apertiſſimè. Affert Philoſophus, & alias Antiquorum enuntiationes: ſed non reijcit ſemper in alios, immò illas abſolutè profert, veluti iſtam. *Omne quod fit, fit ex contrario, & omne, quod corrumpitur, corrumpitur in contrarium*. Denique conſuetudinem Ariſtotelis eſſe, præter placita veterum, proprijs rationibus propriam doctrinam communire, in omnibus eius partibus ſatis patet. Vnde & patet hanc propoſitionem *ex nihilo nihil fit*, ab ipſo aliquando expreſsè eſſe reprobatam. Oſtendite vos aliquando fuiſſe approbatam. Ego in mea Veſtigatione cap. 2. cum oſtendiſſem enuntiatum illud *ex nihilo nihil fit*, ſæpè reiectum in alios; docui, quando fuit receptum, nempe in factione compoſitorum 7. met. tex. 23. Etenim nullum compoſitum fit ex nihilo, ſed ex parte præexiſtente, quæ eſt materia: vnde, & ibi Philoſophus hanc propoſitionem *Ex nihilo nihil fit*, reijcit vt alienam pro parte, in qua eſt falſa: recipit vt propriam pro parte, in qua eſt vera; ſed ità recipit, vt in tex. 22. antecedente, & in ipſo 23. probet omne compoſitum, quod fit, fieri ex aliquo, & in eius factione præexiſtere partem, quæ eſt materia. Propter hoc in mea veſtigatione dixi compoſita non fieri ex nihilo, ſed ex aliquo: ſimplicia fieri ex nihilo, non ex aliquo: quod frequenter eſt repetitum in prima veſtigatione; quanquam vos minus ſincerè de me dixeritis quòd putem compoſitum fieri ex nihilo, quia fit ex priuatione.

Conſuetudo Ariſtotelicorum eſt nihil recipere, vt Ariſtotelicum, niſi producatur textus. Legite veſtigationis primæ cap. 2. & 3. & inuenietis Ariſtotelem vel decies attuliſſe dictum *Ex nihilo*

nihilo nihil fit ad comprobandas Veterum opiniones falſas. Sed mirabile eſt, vt vos tres, Roccus, Bellutus, Maſtrius, me vno plures, viuaciores, ſapientiores, ne vnum quidem locum potueritis oſtendere, in quo Ariſtoteles attulerit illam propoſitionem ad probandum proprias ſententias. Dicitis hoc eſſe factũ ab Ariſtotele, ſed non probatis. Credat vobis, qui volet ſine fundamento loquentibus, ego non credam.

CAPVT XV.

Reſponſio Secunda Aduerſariorum refellitur vno modo in præſenti capitulo.

LXXX. 47. Defenſio. AD ſecundam reſponſionem voluamur. Conceditis enunciationem *Ex nihilo nihil fit* non eſſe vniuerſaliter verã ſed in aliquo ſenſu falſam, ac proinde ab Ariſtotele negatam. In hoc rectè conuenimus. Igitur ſi eſt ab Ariſtotele negata, non eſt axioma in ſchola Ariſtotelis: ſed eſt propoſito limitanda. Ego illam duce Ariſtotele, reſtrinxi ad factionem compoſitorum, in quibus verum eſt *ex nihilo nihil fit*: nam omne compoſitum fit ex vna parte præexiſtente, quæ eſt materia, & ex priuatione alterius partis, quæ eſt forma. Dixi eſſe falſam in ſimplicibus. Vos primò confunditis priuationem cum nihilo. Secundò in compoſitis verificatis negationem, dicentes compoſita fieri ex nihilo, ideſt ex priuatione in re, & contra Ariſtotelem, & contra vos ipſos loquimini. Hæc duo oſtendam.

Contra Ariſtotelem dicitis, quòd priuatio ſit nihil, ſed in mea Veſtigat. 1. num. 13. refutaui hoc dictum allato textu ex lib de Xenophane, cum refertur Heſiodus concedere aliquid ex nihilo fieri. *Iam verò Heſiodus*.

Lib. de Xenoph.
Primum ante omne aliud, inquit, chaos extitit, inde patenti
Pectore cunctorum ſedes firmiſſima tellus.
Atque amor, is cunctis ſpecie immortalibus anteit.
Ex quibus alia, ait genita fuiſſe, ipſa autem ex nihilo.

Hæc Ariſtoteles, qui ponit prima ex nihilo eſſe genita reliqua eſſe genita ex primis. Quæ ſunt genita ex nihilo, ſunt duo

chaos,

chaos, ideſt materia prima, & primus Deorum immortalium genitorum, & eſt amor. Hæc duo ſunt genita ex ſimpliciter nihilo; nam chaos non eſt ex aliquo priore, in quo recipiatur priuatio. Si quidem materia prima non eſt ex alia materia, neque ex priuatione: quarè ipſum nihil in iſto caſu non ſignificat priuationem. Similiter amor, qui eſt primogenitus inter Deos immortales, eſt ſubſtantia immaterialis; nam iſti ſunt Dij apud Ariſtotelem 12. met. 50. ſed ſubſtantia immaterialis non eſt facta ex priuatione, & materia præexiſtente, ergo per nihil non intelligitur ibi priuatio. 12. met. 50.

Ex prima materia, quæ eſt chaos, & ex primogenito Deo, qui eſt amor, tanquam ex principijs factis ex nihilo, terra, vt primum corpus, genita eſt; nam ex Heſiodo terra eſt prima corporum ordine generationis, ex qua reliqua corpora ſunt 1. met. tex. 14. Vnde datum eſt exemplum duorum, quæ ſunt genita ex nihilo, & primi corporis geniti ex aliquo: in quo corpore primo cætera intelliguntur eodem modo, ex aliquo ſcilicet, non ex nihilo. Niſi etiam terra formæ ratione aſſeratur genita ex nihilo. Denique cum Ariſtoteles faciat duo membra, & in vno ponat prima eſſe genita ex nihilo, in ſecũdo mẽbro omnia alia corpora genita ex primis: in hoc ſecundo membro ponit factionem ex aliquo præexiſtente: & per conſequens ex priuatione præexiſtente in ſubiecto. Quamobrem ſecundum Ariſtotelem fieri ex nihilo, non eſt fieri ex priuatione.

Præterea ſi Ariſtoteles in eo ſenſu negat illam vniuerſalem, *Nihilq; fit ex nihilo*, quo illam Antiqui protulerunt: Antiqui verò illam non protulerunt de priuatione; igitur Ariſtoteles per ly *ex nihilo*, non intellexit priuationem. Maior propoſitio eſt in veſtra reſponſione conceſſa. Minorem probo in 1. phyſ. 74. & 75. Ariſtoteles affirmat, quòd Antiqui ignorauerunt priuationem, propter quam ignorantiam omnem generationem ſuſtulerunt. Et ſubdit. *Ex priuatione enim, quæ eſt per ſe non ens, non ex eo, quod ineſt fit. Mirabile autem eſt hoc, & impoſſibile ſic videtur, fieri aliquid ex eo, quod non eſt.* Quare & Plato, qui priuationem agnouit, contempſit ipſam, & eam à materia diſtinguere non eſt dignatus ex eodem lib. tex. 80. LXXXI 1. phyſ. 74 1. phyſ. 80

2.phyſ.9. Idem patet per 2.phyſ.tex.9. Vbi Philoſophus docet ab Antiquis materiam ſolam eſſe poſitam tanquam ſubſtantiam: ab eis autem ignoratam fuiſſe formam ſubſtantialem. At ſi formam ignorabant, priuationem non cognoſcebant; ſi quidem negatio per affirmationem cognoſcitur 3. animæ 25. & 9. meta. 3. Itaq; nec Antiqui per ly, *Ex nihilo*, intellexerunt priuationem, dum negant vniuerſaliter *Nihil fit ex nihilo*: neque Ariſtoteles, dum negat illam propoſitionem, potuit intelligere priuationẽ. Nam ſic non negaret propoſitionem Antiquorum; ſed aliquam aliam à ſe imaginatam, quod eſt ridiculum.

LXXXII Tertiò in eodem lib. contra Xenophanem ſcribit Philoſophus. *Multi præterea alij eſſe nihil, ſed fieri omnia aſſerunt: ex ijs, quæ non ſunt, omnia, quæ fiunt exiſtere affirmantes*. Et hoc Ariſtoteles affert pro ſe, vt probabiliter oſtendat fundamentũ Antiquorum eſſe falſum. Duæ contrariæ ſunt, *Nihil, & omnia entia*; ipſum nihil præcedit: omnia entia, quæ fiunt, ſequuntur ad ipſum nihil, vt iſtis Authoribus placet, quos tacito nomine Ariſtoteles memorat. Si autem per *nihil* excluduntur omnia entia; & ipſa priuatio non poteſt eſſe, niſi in ente actu exiſtente, ſed exiſtente in potentia ſubiectiua, ergo per ipſum excluditur priuatio. At Philoſophus negando enuntiationem *Nihil fit ex nihilo* ſequitur iſtorum authoritatem: ergo Ariſtoteles per nihil, non intellexit priuationem; ſed ipſum ſimpliciter nihil.

LXXXIII Contra vos ipſos deinde ſcribitis, Quia per ly *ex nihilo* con-
LXXV tenditis ſignificari duas negationes, id eſt negationem omnium partium rei factæ, & negationem ſubiecti præſuppoſiti. Nunc autem Ariſtoteles concedit aliquid fieri ex nihilo (negat enim vniuerſalem negatiuam, qui autem negat vnam contradictoriã, neceſſariò concedit alteram) ergo Ariſtoteles concedit, *aliquid fieri ex nulla parte, & ex nullo ſubiecto præſuppoſito*. Sub iſta concluſione ſumo tres minores.

Prima ſubſumpta eſt: ſed forma fit ex priuatione, quæ vobis nunc interpretantibus eſt *nihil*, igitur forma fit ex nullo ſubiecto, & ex nulla parte. Quod tamen vobis aduerſatur aſſerentibus contra Ariſtotelem, & contra me, quod forma materialis fiat ex ſubiecto.

Secunda

Secunda ſubſumpta eſt. Compoſitum fit ex priuatione, igitur compoſitum fit ex nihilo: nempè, vt vos explicabatis ex nulla parte, & ex nullo ſubiecto. Quod eſt abſurdiſſimum, & vobis repugnans; nam compoſitum fit ex materia, vt parte compoſiti, & vt ſubiecta formæ. XX

Tertia ſubſumpta. Compoſitum fit ex nihilo per vos in reſponſione ſecunda: fit enim ex priuatione quã vultis intelligere per *nihil*. Compoſitum item fit ex aliquo ſui, vt ex parte, & vt ex ſubiecto alterius compartis; igitur idem compoſitum fit ex aliquo ſui, & ex nihilo ſui, quod implicat contradictionem.

Aut igitur non rectè ſuperius expoſuiſtis ly *ex nihilo*, per duas negationes partis, & ſubiecti præſuppoſiti: aut ſi rectè ad mentem Ariſtotelis ly ex nihilo ſignificat duas negationes, malè nunc vultis, quòd *ex nihilo* ſignificet ſolam negationem vnius partis; nam priuatio eſt negatio ſolius formæ in ſubiecto apto.

Fugite, quantum vultis, in contradictione eſtis. Quia nunc ipſum *nihil* vobis ſignificat priuationem, hoc eſt negationem ſolius formæ: antea ipſum nihil ſignificabat vobis negationem omnis ſubiecti præſuppoſiti, & omnis partis. At negato ſubiecto præſuppoſito, impoſſibile eſt intelligere priuationem; igitur impoſſibile eſt, quòd ipſum *nihil* ſignificet priuationem, ſi negationem ſubiecti ſignificat.

Secundò argumentor. Si fieri ex priuatione, vt nunc dicitis, eſt fieri ex nihilo. Forma quidem fit ex priuatione, vt vos quoque dicitis, ergo forma fit ex nihilo. At formam non fieri ex nihilo, vos antea contra me maximo impetu vociferationis, nullo rationis impugnabatis. LXXXIV.

Reſpondebitis ne, quod nunc ab Ariſtotele ipſum nihil accipitur in vno ſenſu: antea verò à vobis accipiebatur in alio ſenſu?

Concedam id fieri à vobis; ſed memorabo non eſſe demonſtratoris, aut dialectici officium inducere æquiuocationes, ſed ſophiſtæ: quales vos minimè vellem.

Præterquamquod ſi ipſum *nihil* Ariſtoteli ſignificat aliquid diuerſum a veſtra aſſignatione ſuperiore; non debuiſtis dicere, quòd ſecundum omnes Theologos, & Philoſophos ſit, accipere ly

re ly *ex nihilo* pro duabus negationibus; nam hoc pacto à numero Philoſophorum excluditis Ariſtotelem, quia ipſum *nihil* accepit, & non ad placitum veſtrum.

LXXXV. Tertiò arguens, comparo *priuationem*, & *nihilum*: nam, vel, conuertuntur, vt idem ſit fieri ex priuatione, & ex nihilo ad aures Ariſtotelis: aut priuatio eſt magis communis, vt genus ad *nihil* tanquam ad vnam ſpeciem, & ad aliud quoduis tanquam ad aliam ſpeciem: aut priuatio eſt minus communis tanquam ſpecies, vel quaſi ſpecies contenta ſub *nihilo*.

Si primum detis, vt idem ſit fieri ex nihilo, & fieri ex priuatione, quod quidem in veſtra reſponſione aſſertum eſt, argumentabor. Quod fit ex nihilo, fit ex priuatione, & è contra; ſed materia prima non fit, nec fieri poteſt ex priuatione, igitur nõ fit ex nihilo. At vobis atteſtãtibus melior pars Peripateticorũ tenet materiã eſſe factã ex nihilo, igitur à meliori parte Peripateticorum diſceditis. Similiter de intelligentijs arguam eas ex nihilo non fieri, quia fieri ex nihilo, eſt fieri ex priuatione, ſed intelligentiæ ſecundæ non poſſunt fieri ex priuatione; nam ſi fierent ex priuatione, fierent etiam ex materia ſubiecta priuationi, quod eſt contra Ariſtotelem in 12. met. 30. ergo intelli-

12. met. 30. gentiæ non fiunt ex nihilo. Ruſuſque vos ex albo meliorum Peripateticorum vos ipſos deletis, tenentium ex veſtra atteſtatione intelligentias eſſe factas ex nihilo.

Si ſecundum membrum concedatis, vt priuatio ſit magis communis, quàm ipſum nihil, arguo. Quidquid ex nihilo fit, fit ex priuatione, & non è contra. Atqui conceſſione meliorum Peripateticorum materia prima, & intelligentiæ fiunt ex nihilo, igitur fiunt ex priuatione, & ſubiecto præſuppoſito, quod eſt prorſus impoſſibile, ergo etiam hic ſecundus ſenſus eſt impoſſibilis.

Si tertium elegeritis; vt priuatio ſit minus communis, quàm ipſum nihil, ratiocinor. Quidquid fit ex priuatione, fit ex nihilo, & non è contra: forma verò fit ex priuatione, vt muſicum ex immuſico, ergo forma fit ex nihilo, quod, vobis reclamanti-

1. phyſ. 43. 2. met. bus, ego ſuſtineo. Item compoſitum fiet ex nihilo, quod Ariſto-

teles

teles 7.met.23.& 24.negat. Quamobrẽ neque hic tertius ſẽſus eſt poſſibilis; ſed concedere oportet, quòd ipſa *priuatio*, & ipſum *nihil* ſint duæ quaſi ſpecies diſparatæ, contentæ ſub non ente; quarum priuatio ſit negatio vnius partis, nihil ſit negatio omnis partis rei factæ: priuatio negatio in ſubiecto præſuppoſito, *nihil* negatio omnis partis, ſiuè ſit negatio omnis partis in ſubiecto, ſiuè extra ſubiectum. Negatio enim contradictoria libera eſt, & attribuitur cuicunque enti, ac non enti, cui non conueniat affirmatio.

Quartò *nihilum*, quod requiritur in termino à quo factionis de nihilo, ſiuè vt vos loquimini, quod requiritur ad creationem, eſt negatio extra genus. Priuatio autem eſt negatio non extra genus, ſed præciſe in genere ſubiecto apto, ergo priuatio non poteſt eſſe illud *nihil* à vobis prætenſum, ſicut nequè eſt illud *nihil*, quod eſt ab Ariſtotele intentum. LXXVI.

Quintò *aliquid & nihil* opponuntur contradictoriè, vt particulare affirmatiuum, & vniuerſale negatiuum; quarè dum compoſitum fit ex vna ſola parte præſuppoſita, ſiuè illa ſit materia, ſiuè forma, compoſitum fit ex aliquo præexiſtente. Igitur *aliquid* dicit affirmationem vnius partis; ergo ex oppoſito *nihil* in factione *ex nihilo* non dicet negationem vnius partis tantùm; ſed negationem omnium partium rei factæ de nihilo. (per vos inſuper ipſum nihil dicet negationem ſubiecti, quanquam ſubiectũ vt ſic, non ſit pars) ſed priuatio eſt præciſè negatio vnius partis rei factæ, ſtans cum poſitione alterius partis; ergo perperam priuatio dicitur eſſe nihil requiſitum ad factionem de nihilo.

Sextò & poſtremò, in omni generatione naturali, & artificioſa, ſimpliciter, & ſecundum quid, fit tranſitus à priuatione quadam ad formam. Si Ariſtoteles ſuſtinet priuationem eſſe nihil, atque fieri ex priuatione eſſe fieri ex nihilo; ſequetur vtique, vt omnis generatio ſit factio de nihilo, quod eſt in opinabile ijs omnibus, qui recipiunt velut principium illam falſam propoſitionem, Ex nihilo nihil fit. Sic enim oportet concedere, omne, quod fit, fieri ex nihilo. LXXVII.

Iamque probatum eſt, quòd veſtra reſponſio eſt contra Ariſtotelem, & contra vos, & ex toto decurſu veſtræ offenſionis lucu-

lenter patuit, vos nullo textu Ariſtotelis, nulla ratione impugnauiſſe, vel meam principalem concluſionem propoſitam, vel probauiſſe veſtram. Quarè & meam Veſtigationem non indigere defenſione, patet ex dictis.

Veruntamen à principio contendebatis probare generationem ſubſtantialem cum Ariſtotele per iſtud Axioma veſtrum: *Ex nihilo nihil fit*: quarè in generatione compoſitorum ex materia, & priuatione præcedentibus illud principium eſt verum. Nunc in reſponſione vltima illud aſſertum *Ex nihilo nihil fit*, dicitis eſſe aliquo modo falſum, quia ſcilicet compoſitum fit ex priuatione. Igitur cum negato vno contradictorio, concedatur reliquum tanquam verum, conceditis nunc eſſe verum illud *Ex nihilo aliquid fit*. Quamobrem de eodem compoſito in eadem generatione, ex eadem materia, & priuatione illud aſſertum *Ex nihilo nihil fit*, erit verum, & falſum, & eius contradictorium verum, & falſum, duoque contradictoria ſimul vera, & ſimul falsa. An autem ſic dicendo Ariſtotelem explicetis, an implicetis, conſiderate.

CAPVT XVI.

Reſponſio ſecunda reijcitur aliter, atque cautela ſophiſtica Offendentium in reſpondendo detegitur.

LXXXVIII. RESponſio ſecunda veſtra includit cautelam ſophiſticam talem. Quando aliquod argumentum eſt inſolubile retinendo veritatem ſignificationis terminorum: tunc terminus, in quo eſt principalis difficultas extendatur, vt non ſolùm ſignificet propoſitum ſignificatum, ſed etiam oppoſitum, & iterum ſignificet commune ad oppoſitum, & propoſitum. Sic enim concedetur argumentum in vno ſignificato, & retinebitur oppoſitum in altero ſignificato; nihilque poterit concludi propter æquiuocationem. Ita cum *non ens* ſit commune in factione, & habeat duas quaſi ſpecies: *priuationem*, quæ eſt negatio partis formalis in ſubiecto, atque *Nihilum*, quod eſt negatio omnis partis (ſiuè in ſubiecto, ſiuè extrà ſubiectum) Extendamus hoc

voca-

vocabulum *nihil*, vt ſignificet non ſolùm ipſum *nihil* propriè quod negat omnem partē facti, ſed etiam vt ſignificet *priuationem*: nec non & ſignificet *non ens* in communi. Dum ergo Ariſtoteles contra Xenophanem ait, *aliquid fit ex nihilo*, per ly *nihil* non intelligimus *nihil* propriè, vt Ferchius prætendit; ſed *priuationem*: vt compoſitum fit ex nihilo, quia fit ex priuatione; intelligemus *non ens* in communi, vt ens fit per accidens ex nihilo, ideſt ex non ente, pro vt 1. phyſ. Ariſt. dicit. Atque his modis ſecundo, vel tertio, Ariſtoteles dixit *ex nihilo aliquid fieri*. Solutio eſt ſophiſtica per locum ab æquiuoco.

Verùm arguens, qui accipit ipſum *nihil* in vno ſignificato propriè, & in ſpecie, non facit æquiuocationem: ſed reſpondens, qui inducit noua ſignificata, æquiuocationem facit, & ſophiſticè agit. Quod enim *priuatio* ſit *nihil*, nemo ex Peripateticis antiquis, quod ſciam, conceſſit; quod *non ens* in communi ſit *nihil*, eſt omninò falſum in Ariſtotele, & in Peripateticis. Sed ideò volebant Offenſores à principio docere, quòd mea opinio eſſet communiſſima cum omnibus alijs, quaſi ego intelligerem per ipſum *nihil*, priuationem, & *non ens* in communi. Quia ſic præparabant ſibi viā ad hanc reſponſionē ſophiſticā, quaſi à me conceſſam; cum ego totum oppoſitum dixerim, atque probauerim Veſt. 1. cap. 4. & 5. priuationem non eſſe ipſum *nihil* apud Ariſtotelem.

Aliud exemplum eiuſdem cautelæ. Ariſtoteles in diuiſione ſcientiæ *actiuùm*, & *factiuum* accipit, vt duo membra oppoſita, quæ græcè dicuntur *practicum*, & *poeticum*: deducta ex *praxi*, & *poeſi*, ideſt actione, & factione. Inde naſcuntur tria membra ſcientiarum, ſcientia ſpeculatiua, actiua, factiua. Stante ſignificato ipſius actiui, ſeu practici, pro vt ab Ariſtotele impoſitum eſt, non eſt poſſibile diuidere ſcientiam in duo membra ſola, vt in ſpeculatiuum, & practicum. Reccurratur ad cautelam ſophiſticam, vt hoc vocabulum actiuum, ſiuè practicum non ſolum ſignificet ipſum actiuum, quod ſignificat iuxtà Ariſtotelem, ſed ſignificet quoque ipſum factiuum, oppoſitum actiuo: ſignificet itidem communiter tùm actiuum, tùm factiuū. Quia verò Ariſtoteles dixit, nihil eſſe commune ad actionem, & LXXXIX. *Actiuum & factiuum.*

factio.

factionem, actiuum, & factiuum: Reſpondebimus, quòd Ariſtotelis tempore non erat inuenta hæc ſcientia communis, noſque obtinebimus laudem, tanquam inuentores alicuius ſcientiæ, quam nec Ariſtoteles quidem agnouit. Ità ergo Ariſtoteles negat, quòd actiuum ſit factiuum, in primo ſenſu accipiendo factiuum pro actiuo in ſpecie: non tamen negat, quod factiuum ſit actiuum, ſeu practicum in communi. Hac ratione ad difficultatem realem ſophiſticè data eſt ſolutio vocalis. Inuenta eſt vna ſcientia de voce communi æquiuocè accepta, Ariſtoteles taxatus eſt tanquam ignorans practicum in communi; & Ferchius, etſi nolitis, laudatus: quia non poterat inuenire in mente Ariſtotelis, quod in ea non erat. Actiuum, & factiuum propriè, vt opponuntur erant in mente Ariſtotelis, & hæc inuenit Ferchius. Scientia practica in communi non erat inuenta tempore Ariſtotelis, vt vos dicitis, ergo à veſtigante mentem Ariſtotelis deprehendi non poterat.

XC. Exemplum tertium in 8. phyſ. 75. Philoſophus ait. *Prius natura, & tempore, & ratione, quod perfectum quidem eſt, imperfecto eſt.* Sed ens primum eſt ſimpliciter perfectum, entia ſecunda omnia ſunt ſimpliciter imperfecta, ergo omnia alia entia diuerſa à primo, ſunt facta ex tempore, & ſubſtantiæ ſeparatæ, atque materia prima ſunt factæ ex nihilo in tempore non ab æterno.

Argumentum eſt inſolubile, ſi particula *prius tempore* accipiatur in ſignificato vno, tradito ab Ariſtotele poſt prædicamenta, in 4. phyſ. in 5. met. & alibi.

Vt ſoluatur, cautela ſophiſtica adhibita eſt, ità vt *prius tempore* ſignificet idem quod *prius natura*; ſiuè aliquid commune ad prius duratione, & prius natura, & quoniam Ariſtoteles non habetur pro ſecundo ſignificato, Offenſores citant Scotũ pro Ariſtotele; quaſi ego Scoti mentem veſtigem, & non Ariſtotelis mentem. Tunc ad argumentum dicitur, quòd Ariſtoteles accepit prius tempore non in primo ſignificato, ſed in ſecundo, vnde nil ſequitur. In argumento ſecundum ſignificatum prioris tempore traditum ab Ariſtotele, non eſt æquiuocatio: ſed ſophiſtica eſt reſponſio, quæ prioritatem temporis propoſitam

poſitam extendit ad prioritatem naturæ oppoſitam. Cum tamen in eadem authoritate 8. phyſ. 75. Ariſtoteles expreſsè ſeparet prioritatem naturæ à prioritate temporis; quod Offenſores noluerunt obſeruare, ſed ſolum cartas implere: facilius eſt enim dicere, quàm benedicere.

Exemplum quartum. Eſſe in loco apud Ariſtotelem 4. phyſ. accipitur pro eo, quod eſt eſſe in continente: quarè idem eſt, quod contineri in loco, & locari paſſiuè. Omne autem, quod mouetur ſecundum locum, eſt in loco, non enim quæritur locus, niſi propter motum. Tunc exurgit grauiſſima difficultas de motu locali vltimæ ſphæræ ſecundum ſuperficiem exteriorem, & conuexam; cum enim moueatur ex loco ad locum; ergo eſt in loco continente: at hoc eſt falſum, & impoſſibile, ergo non mouetur ſecundum locum. Hæc difficultas vehementiſſimè torquet Peripateticos: ſed per cautelam iſtam ſophiſticam euitatur vocaliter, ſi non realiter. *Eſſe in loco*, non ſignificet tantummodò contineri paſſiuè in loco, atque locari, ſed etiam continere actiuè, atque locare. Quarè ad argumentum: omne, quod mouetur ſecundum locum, eſt in loco, quantum ad locari, nego; quantum ad locare, vel locari, concedo. Sic vltima ſphæra eſt in loco quantum ad locare, atque hoc modo mouetur, quantum ad locare. Solutio vocalis, quia mutatum eſt ſignificatum impoſitum ab Ariſtotele in oppoſitum. Sed quantum ad rem, locare pertinet ad ſuperficiem concauam, & interiorem: locari quantum ad conuexam, & exteriorem, & hæc difficultas eſt realis de ſuperficie exteriore conuexa, quæ mouetur paſſiuè ex loco ad locum, & non eſt nata locare, ſed locari paſſiuè: at nihil habet locans, ipſa nihil locat, ergo de ſuperficie conuexa eadem eſt difficultas, quæ prius. Plura exempla referre ſuperſedeo in præſentia. Hæc ad veſtras obiectiones, & reſponſiones ſint ſatis. Nunc aliud principium faciamus. XCI.

DISPVTATIO

De vocabulis Factione ex nihilo, & Creatione.

CAPVT I.

Redditur ratio, quare in prima Veſtigatione adhibita ſit locutio factionis ex nihilo, *non* creationis.

XCII. CVM ſcriberem primam Veſtigationem ei titulum feci de Factione ex nihilo, non de Creatione. Ratio verò prima eſt ex fine mihi propoſito veſtigandi mentem Ariſtotelis per eius veſtigia incedendo. Sed Ariſtoteles in lib. de Xenophane, quando negauit illam propoſitionem Xenophanis *Ex nihilo nihil fit*, & ex conſequenti conceſſit contradictoriam, *Ex nihilo aliquid fit*, ſæpe, ac ſæpius vtitur vocabulo factionis, *fit* inquit, aut *non fit ex nihilo*. Nunquam vſus eſt vocabulo creationis. Id ipſum ſeruauit in Phyſicis, ac Metaphyſicis, vbi commemorat idem Antiquorum dogma *ex nihilo nihil fit*; locis in prima Veſtigatione notatis ferè viginti. Ergo nolui vti vocabulo alieno, ſed Ariſtotelico. Id que & ſi non placeat Offenſoribus meis, ſpero placiturum Peripateticis ſolertibus, quibus eſt Ariſtoteles in delicijs. Et re vera ſi terminos Ariſtotelicos teneamus, longè facilius poterimus propoſitiones ex eis conſtructas intelligere, nec non & concluſiones ex propoſitionibus deductas. Quia verò termini ſunt primi in ordine ſcientifico, vigilantiſſimè cauenda eſt mutatio terminorum, nam

paruus

paruus error in principio, in fine fit quàm maximus ex primo de cælo 33. Vſus eſt etiam Ariſtoteles vocabulo generationis, dicens in lib. contra Xenophanem. *Ex quibus alia, ait genita fuiſſe, ipſa autem hæc ex nihilo.* Ergo poſteriora entia ſunt genita ex primis, prima ſunt genita ex nihilo. Quia tamen Ariſtoteles alibi ipſum fieri per generationem appropriauit compoſitis, vt 1. phyſ. 64. & 12. met. tex. 12. Idcirco ex 1. de cælo 111. & 8. met. 14. nec non & 3. met 17. animaduerti, quædam incipere eſſe per generationem, quædam incipere eſſe, ſed non per generationem, quibus ſine dubio competit ipſum fieri, non tamen ipſum generari.

Idcirco in 1. Veſtig. num. 28. ſcripſi. *Ariſtoteles tùm fieri tùm generari dixit quippiam ex nihilo; atque etiam tùm fieri, tùm generari ex aliquo; ommiſſo vocabulo creationis, vim vocabulorum fieri, & generari afferam, vt exponam ſenſum illius propoſitionis Ex nihilo nihil fit, Ex nihilo aliquid fit.* Propter hoc diſtinxi factionem a verbo *fieri, in ſpecialem*, quæ eſt in generatione, atque hanc largitus ſum compoſitis, quæ fiunt ex aliquo, & non ex nihilo: & in factionem *generalem*, quæ competit, & ijs, quæ fiunt ex aliquo, & ijs, quæ fiunt ex nihilo. Hæc igitur eſt prima ratio, propter quam tractare volui de factione ex nihilo, non de creatione, quia ſcilicet ſic Ariſtoteles locutus eſt per verbum fieri, non per verbum creari.

Sanè quando ſcribebam in via Ariſtotelis, nihil mihi prę oculis verſabatur, niſi vt per verba Ariſtotelica, Ariſtotelis ſententiam inuenirem; nunc autem excitatus ſum ex offenſione ad conſiderandum S. Auguſtinum, & inueni Principem Theologorum, cum Principe Philoſophorum eſſe conſentientem. Siquidem S. Aguſt. tom. 1. lib. 12. Confeſſionum toto, diſputat de prima origine cæli, & terræ, ac vniuerſorum: frequenterque adhibet illam locutionem, *facere de nihilo*, illam autem locutionem *creare de nihilo*, nunquam habet in toto illo libro, quamuis in illo libro, vtatur vocabulo creationis. Quod quidem admirandum mihi viſum eſt, nec ſine iuſtiſſima cauſa factum ab Auguſtino, ſapiente accuratiſſimo, exiſtimaui. XCIII.

Quia verò nihil boni, aut veri dictum eſt à ſummis Theolo-

go, ac Philoſopho, niſi deſcendens à Patre luminum Deo, à quo cuncta bona, & vera in creaturas deriuantur; conuerti mentem ad ſacras ſcripturas, & quod longè ante notaueram, iterum acceptis concordantijs Bibliorum ſcrutari cæpi, ac inueni etiam in ſacra ſcriptura eſſe adhibitam iſtam locutionem *facere ex nihilo*, illam verò *creare ex nihilo*, nunquam, vt mox patebit. De hoc gratias Deo egi quàm maximas, quòd ſuo iudicio, atque doctrinis meos conatus iuuerit, atque direxerit, vt formulam loquendi talem *Factio ex nihilo* ſeruarem, non autem illam *creatio ex nihilo*.

XCIV. Secunda ratio eiuſdem locutionis reddita eſt ibidem ſcilicet Veſtig. 1. cap. 10. ſub illis verbis. *Veruntamen, quia de nomine creationis, diſsidia exurgunt graniora &c.* & *in cap.* 14. *num.* 43. *Si autem hoc requiratur ad rationem creationis, de creatione non diſputo, nec de voce litigo*. Etenim ſi de hoc ſacro vocabulo, Creare, *Creatio*, *Creator*, *Creatura* fuiſſet agendum, oportebat magnam digreſſionem facere ex ſæculari doctrina Ariſtotelis in ſacram doctrinam Chriſti. Angebar etiam, ac pudore ſuffuſus videbam, oportere me oſtendere, quòd ſcholaſtici Theologi in iſto ſacro vocabulo creationis, communiter diſcedunt à ſacra ſcriptura. Hoc nunc mihi dicendum eſt, tamq; inſipiens, vt cũ Sãcto Paulo loquar; ſed vos me cogitis Offẽſores. Aliud quoq; in ſcholaſticis Theologis animaduertebam, maximam ſcilicet diſcordiam in exponendis creationis conditionibus, atque in ipſo quid nominis exponendo; proinde nihil certi ſtatuere poteram.

Præterea conuerſus ad philoſophos ſcholaſticos, videbam eos nunquam accipere ſignificatum iſtius vocabuli *creatio* ex Ariſtotele, ſed ex proprio capite: vt propter hoc exterritus de vocabulo creationis, nihil dicere voluerim. Nam de ſolo vocabulo integram ferè oporteret inſtituere Veſtigationem. Proinde cum Ariſtoteles docuerit factionem ex nihilo, neque attulerit vocabulum creationis ex nihilo; iuſtum mihi viſum eſt Ariſtotelem imitari, in eius mente veſtiganda.

Promiſi autem oſtendere vocabulum creationis ab Offenſoribus, nec in doctrina Christi domini, nec in doctrina Ariſtotelis

rectè accipi, ac proinde perperam obijci mihi tot vicibus, tot clamoribus creationem. Quaſi non ſit mihi liberum abſtinere à diſputatione de vocabulo, diſcordante, tum à Chriſto, tum ab Ariſtotele; præſertim cum Ariſtotelis ſententiam veſtigo. Repetam nonnulla ex antea dictis, vt vno quaſi curſu omnia diſcernantur.

CAPVT II.

Creare quid ſignificet in ſacris litteris, ideſt ſecundum doctrinam Chriſti.

PRædixi, & iterum dico, me in ſacra ſcriptura expreſſam reperire, *Factionem ex nihilo*: expreſſam reperire *Creationem ex aliquo*. *Creationem autem ex nihilo* expreſſam non inuenio. XCV.

De factione ex nihilo textus expreſſus eſt in 2. machab. cap. 7. Illic ſanctiſſima, & martyr, & mater martyrum ita loquitur. *Peto, nate, vt aſpicias ad cælum, & terram, & ad omnia, quæ in eis ſunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus*. De creatione ex aliquo, textus expreſſus eſt in Geneſi. cap. 1. *Creauit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum, maſculum, & fœminam creauit illos*. At hominem creauit ex præſuppoſito limo terræ, mulierem ex præſuppoſita coſta viri: non autem creauit ex nihilo. Igitur in doctrina Dei, & Domini Noſtri Ieſu Chriſti creatio eſt ex aliquo, ſed creatio ex nihilo, hoc eſt ſub iſta formula loquendi, non eſt tradita.

Vt iſtud clariſsimè perſpiciatur, incipiamus per ordinem diuinam ſcripturam percurrere.

EX MOYSE.

GEn. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram*. Notaui lib. 1. num. 9. ex Vicomercato, & Pererio vocabulum hebræum Bara, & græcum Epiiſe non ſignificare factionem ex ni-

ex nihilo, ſed quancunque formationem, ſiuè productionem. Quamobrem ſi dictio latina *creauit* rectè exprimat vocabulum hebræum Barà, debet ſignificare quancunque productionem indeterminatè, non autem factionem ex nihilo.

Et ſi quæras, an Deus creauerit terram ex nihilo, aut ex materia? Respondet Deus in lib. Sapientiæ cap. 11. *Non enim impoſsibilis erat, Omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuiſa.* ſiuè vt Sanctus Auguſtinus ex græco legit tomo 3. lib. 5. de Geneſi ad literam cap. 17. *de materia informi.* Nec non in tom. 1. lib. 1. de Geneſi contra Manichęos cap. 5. dicens. *Prima ergo materia facta eſt informis, vnde omnia fierent, quæ diſtincta, atque formata ſunt, quod credo à Græcis Chaos appellari. Sic enim & alio loco legimus in laudibus Dei. Qui feciſti mundum de materia informi: quod aliqui codices habent de materia inuiſa. Et ideò Deus rectiſsimè creditur omnia de nihilo feciſſe, quia etiam ſi cuncta formata de iſta materia facta ſunt: hæc tamen ipſa de omninò nihilo facta eſt.* Igitur præſuppoſita materiâ, quæ de nihilo facta eſt, cęlum, & terra ſuis formis ſunt conſtituta. Quę conſtitutio ex prima materia, & formis declarata eſt ex Hebraico per verbum *Bara*, ex ſeptuaginta per verbum *Epÿſe*, cum vulgata editione per verbum *Creauit*. Verùm, vt Auguſtinus exponit, ſi cęlum, & terra ſumantur, pro vt deſcribunt materiam, de nihilo facta ſunt. Si vt conſtant ex ſuis materia, & forma, ſunt facta de materia, prius facta ex nihilo.

Chaos materia eſt.

Ità quoque cum ſacra ſcriptura ſcribit Auguſtinus tomo 3. cart. 234. in lib. de mirabilibus ſacræ ſcripturæ cap. 1. & refertur à S. Bonau. 2. diſt. 3. quæſt. 2. fundamento primo. Omnipotens Deus, *Ex informi materia, quam ipſe prius de nihilo condidit, cunctarum rerum, hoc eſt ſenſibilium, & inſenſibilium, intellectualium, & intellectu carentium ſpecies multiformes diuiſit.* Quam doctrinam in 12. Confeſsionum cap. 21. & 22. approbat vt veram, ſcilicet, quòd Deus fecit informem materiam omnium inuiſibilium, & viſibilium, ex qua fierent cælum, & terra ſecundum ſenſus varios, ſed veros ibidem ab Auguſtino expoſitos. Quarè creauit Deus cælum, & terram iuxtà ſacram ſcripturam, & S. Auguſtinum, non de nihilo, ſed de informi materia.

Non

Non potuit autem Moyſes declarare illi populo rudiori eſſentiam materiæ primæ, & eius factionem ex nihilo: cum ipſe S. Auguſtinus vir acutiſsimus, & in rebus philoſophicis, ac theologicis exercitatiſsimus in eodem lib. 12. Confeſsionum cap. 6. fateatur, ſe magnam paſſum eſſe difficultatem in materia intelligenda; ac tandem eam deſcribit per duo nomina: primum, *Nihil aliquid*: ſecundum nomen, *Eſt, & non eſt*. Declarauit ergo Moyſes creationem primorum corporum ſenſibilium cæli, & terræ, ac intermediorum, ſed ex materia. *Aug.* *Nomina materiæ.*

2. Geneſis 1. 22. *Creauit Deus cete grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem, quam produxerant aquæ* &c. hic piſces, & aues creari dicuntur; ſed de aqua. XCVI.

3. Geneſis 2. & 3. *Ceſſauit Deus ab omni opere ſuo, quod creauit, vt faceret. Iſtæ ſunt generationes cæli, & terræ, quando creata ſunt in die, quo fecit Dominus cælum, & terram.* Omnia opera ſex dierum creata dicuntur, ſed ex decurſu hiſtorico patet, illa eſſe facta ex primis corporibus productis ante omnem diem; nempè cælo, aere, aqua, terra. Vnde aliud eſt cælum, & terra, quę in die aliquo creata ſunt, vt ſecunda die cęlum ex aqua, tertia die terra ex aqua emerſit: aliud cælum, ac terra, quæ ſunt creata ante omnem diem.

4. Geneſis 5. *In die, qua creauit Deus hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum, maſculum, & fœminam creauit illos, & benedixit eis, vocauitque nomen eorum Adam in die, quo creati ſunt.* Creati ſunt vtique homines, ſed ex materia præexiſtente.

5. Geneſis 6. *Delebo hominem, quem creaui à facie terræ.* Deut. 26. 19. *Gentibus, quas creauit, &* Deut. 32. de gente Iſraelis: *Nonne ipſe eſt, qui poſſedit te, fecit, & creauit te.* Et ibidem *Oblitus es Domini creatoris tui.* Sed exploratiſsimum eſt, nullum hominem eſſe factum immediatè ex nihilo, ſed ex materia præcedente, puta ex ſanguine, vel ſemine parentũ; aut ex limo, & coſta: ergo creare in his locis ſignificat producere de materia præſuppoſita.

Deut. 4. 19. De ſole, luna, & aſtris dicitur. *Quæ creauit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus*, ſcilicet ſol, luna, & aſtra quarta die ſunt facta de materia lucis prima die factæ. Hæc teſtimonia ſunt ex Moyſe.

EX

EX DAVIDE.

XCVII. DAuid ſummus propheta, & poeta elegantiſsimus in pſalmis crebrò vocabulum creationis reſonat. Conſideremus loca.

Pſal. 32. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.*

Congregans ſicut in vtre aquas maris, ponens in theſauris abyſſos.

Timeat Dominum omnis terra, ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem.

Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt.

Commemorat quædam opera ſex dierum factorum verbo Dei dicentis; nam ly *dixit Deus*, non eſt de opere ante omnem diem ſcriptum, ſed de *opere ſex dierum*, Prima die *dixit Deus, fiat lux* Secunda die dixit Deus, *fiat firmamentum in medio aquarum*, de quo firmamento loquitur Dauid in primo verſiculo.

Tertia die *dixit Deus. Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, & appareat arida. Et vocauit Deus aridam terram*, in qua homines habitant. De cælis firmatis, ideſt de firmamento; de virtutibus actiuis cælorum, hoc eſt, de luminaribus, & ſtellis, quarta die conſtructis. De aquis in vnum locum concluſis, & arida detecta ſcribit. *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt.* Sed omnia prædicta facta ſunt procul dubio ex materia præexiſtente.

In Pſalmo 148. eadem repetit de ſole, luna, & aquis ſuper firmamento, ſicut & de Angelis: iuxtà declarationem Auguſtini ſuperius habitam ex libro de Mirabilibus ſac. ſcript.

Pſalmo 88. *Aquilonem, & mare tu creaſti:* nimirum ex aquis primitus genitis mare: & ex ſpiritu, ideſt aere, ventum aquilonarem.

Pſalmo 101. *Populus, qui creabitur, laudabit Dominum*: creabitur certè ex ſemine parentum.

Pſalmo 103. De animalibus hyeme mortuis, vel emortuis. *Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ* nam

ſpiri-

ſpiritu fœcundo flante, veris tempore, noua generantur animalia, nouæ plantæ, terræque ſuperficies renouatur.

Pſalmo 50. *Cor mundum crea in me Deus.* Hoc totum *cor mundum* creatur, ſed de præiacente ſubſtantia cordis. Nec pluries Dauid vſus eſt hoc vocabulo. Neque vllus eſt locus indubitabilis, in quo appareat, quòd creare ſit producere ex nihilo.

EX ECCLESIASTICO.

IEſus Filius Sirac in lib. Eccleſiaſtici frequenter arceſſit ver- XC VII
bum *creare*.

Applicat hoc verbum creare ſecundæ perſonæ diuiniſſimæ Trinitatis ideſt ſapientiæ dicenti de ſe. Eccl. 24. *Ego ex ore Altiſſimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*. Nam hæc eadem ipſa ſapientia de ſe dicit. *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum*. Et *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*.

Ita Salomon in Prouerbijs capite 8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio*, vbi legunt ſeptuaginta: *Dominus creauit me initium viarum ſuarum*. Quibus locis certum eſt, Verbum Dei eſſe genitum de ſubſtantia Patris, tanquam de principio præſuppoſito, ſed interno ipſi Filio producto: non autem eſſe genitum ex nihilo. Quare in iſtis locis creari non ſignificat produci ex nihilo.

Ea propter in ſymbolo Nicæno primo, ex primo tomo Conciliorum cart. 532. dicitur Filius Dei *natus, non factus, homouſios Patri, hoc eſt eiuſdem cum Patre ſubſtantia, per quem omnia facta ſunt*. Cautè ſanctiſſimi PP. dixerunt natum, ſed negauerunt factum: non negauerunt, nec affirmauerunt creatum. Negauerunt Verbum Dei eſſe factum, probantes ex Euangelio Ioannis, quoniã per ipſũ facta ſunt omnia, ergo Verbũ nõ eſt factum. Non dixerunt eſſe *creatum*, ne loquerentur cum Arrio, qui dicebat Filium Dei eſſe creatum, intelligens, quod creare ſit ſpecies quædam ipſius facere; volebat enim Arrius, quòd creare ſit facere ex nihilo. Noluerunt negare eſſe creatum, quia ſacra ſcriptura attribuit vocem *creari* ipſi ſapientiæ genitæ.

Ex qua animaduerſione duo mihi videntur colligi. Primum quòd creare abſtrahit ab ipſo facere, & includit ipſum producere: ſic enim creare ſignificat producere ex principio præſuppoſito ordine naturæ, vel temporis, & interno ipſi producto. In quo ſenſu, & Salomon, & Eccleſiaſticus dixerunt diuinam ſapientiam eſſe creatam. In quo etiam ſenſu omnia compoſita facta ex aliquo præſuppoſito, ſed interno ipſi rei productæ, dicuntur eſſe creata. Vnde creare in ſuo formali ſignificato non includit ipſum facere.

Sic ad Coloſſenſes primo *Filius dicitur primogenitus omnis creaturæ*, vt & ipſe creatura eſſe intelligatur, ſed non factura.

Similia videntur eſſe illa Eccleſiaſtici primo. *Sapientiam Dei præcedentem omnia, quis inueſtigauit? Prior omnium creata eſt ſapientia, & intellectus prudentiæ ab æuo. Fons ſapientiæ Verbum Dei in excelſis.* Et paulò poſt. *Vnus eſt Altiſsimus Creator omnium, omnipotens &c. Ipſe creauit illam in Spiritu ſancto.* Magiſter in 2. diſt. 1. hæc explicat de angelis. Sed Verbum Dei non videtur conuenire angelis, vt commodior explicatio ſit, ea intelligere de Verbo.

XCVIII Deinde Author Eccleſiaſtici vocabulum creare attribuit facturis, ſed ſemper ex materia præſuppoſita. Eccl. 7. *Non oderis laborioſa opera, & ruſticationem creatam ab Altiſsimo.* Ars ruſtica dicitur eſſe creata in anima hominis, quando Deus hominem damnauit ad laborem, Geneſis 3. *In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.*

Eccl. 17. *Deus creauit de terra hominem.* Hoc loco creare eſt de aliquo, non de nihilo. Item *creauit ex ipſo adiutorium ſimile ſibi.* Rurſus, *creauit illis ſcientiam ſpiritus, & ſenſu impleuit cor illorum.*

Eccl. 10. *Nequius oculo, quid creatum eſt?* Inſuper, *Vinum in iucunditatem creatum eſt, non in ebrietatem.*

Eccl. 38. *Honora medicũ propter neceſsitatem: etenim illum creauit Altiſsimus. Altiſsimus creauit de terra medicinam.* Da *locum medico, etenim illum Dominus creauit.* Eodem capite de fabro ferrario, figulo, & alio quouis artifice. *Creaturam aui conformabunt.* creatura vocatur opus artificum. Et in omnibus autho-

authoritatibus creare ex aliquo eſt præſuppoſito, non ex nihilo.

Eccl. 39. *Bona bonis creata ſunt ab initio: ſic nequiſsimis bona, & mala*. Declarat iſta bona, & mala. *Aqua, ignis, & ferrum, Sal, Lac*, &c. *Hæc omnia ſanctis in bona: ſic & impijs, & peccatoribus in mala conuertentur. Sunt ſpiritus, qui ad vindictam creati ſunt*. Declarat iſtos ſpiritus, *Ignis, grando, fames, & mors: omnia hæc ad vindictam creata ſunt*. De aliqua, ſcilicet, non de nihilo.

Eccl. 40. *Occupatio magna creata eſt hominibus à die exitus de ventre matris eorum*. Occupatio iſta continet cogitationes, timores, expectationes, &c. Item, *Mors, ſanguis, contentio, & romphæa, oppreſsiones, fames, & contritio, & flagella ſuper iniquos creata ſunt*. De materia profectò, non de nihilo.

Ergo ſi loquamur de rebus factis, primum factorum eſt materia prima, quæ de nihilo facta eſt: cætera facta ſunt de materia. Si loquamur de rebus creatis, prima rerum creatarum eſt ſapientia Dei primogenita: non tamen prima factarum, quia non eſt facta. Cæteræ creaturæ ſunt productæ ex materia præexiſtente ad ſenſum Eccleſiaſtici.

EX ISAIA.

ISaias ſanguine Regius, eloquio diſertiſſimus, quando vocabuum *creare* ſcribit, aliquando affirmat, cælos eſſe creatos. Exponendus eſt autem in eo ſenſu, quo Moyſes ſcribit. In alijs locis creare ſemper accipit pro eo, quod eſt producere de aliquo præſuppoſito rei productæ. IC.

Iſaia 4. *Creabit Dominus ſuper omnem locum montis Sion, & vbi inuocatus eſt, nubem per diem, & fumum, &c.*

Cap. 40. *Creauit omnes terminos terræ*.

Cap. 43. *Creans te Iacob.* &c. In *gloriam meam creaui eum*, dicitur de homine inuocante Dominum.

Cap. 45. *Ego dominus, & non eſt alter: formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum*. Tenebræ de opaco

præſuppoſito in perſpicuum oriuntur: malum prælij ex malis hominibus, & malis volitionibus eorum. Neque vllus eſt locus, quo dicatur aliquid creari ex nihilo.

Ieremias 31. *Creauit Dominus nouum ſuper terram; fœmina circumdabit Virum.* Nouitas omnia ſuperans eſt Chriſtus ex fœmina creatus. Creatus verò eſt ex ſanguine puriſſimo fœminæ, non ex nihilo. In quo ſenſu Apoſtolus ad Epheſios 4. loquitur, *Induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt*. Ita de nouo homine ad Coloſſenſes 3. 10.

Ex Sacris Scriptoribus Græcis.

C. Liber ſapientiæ græcam eloquentiam redolet, inquit Sanctus Hieronymus. Quomodo Author illius libri vtitur hoc vocabulo creare?

Sapientiæ 2. *Deus creauit hominem inexterminabilem.*

Sapientie 10. de homine dicitur, *cum ſolus eſſet creatus.* Creare hic eſt de materia, hoc eſt de terra.

Sapientiæ 11. *Creauit orbem terrarum de materia inuiſa.* Quis hic ſuſpicabitur creationem de nihilo.

Sapientiæ 3. *Maledicta creatura eorum.* filij dicuntur creatura parentum, ex eorum ſanguinibus ſcilicet creati ſunt.

Sapientiæ 19. *Nouam creaturam auium:* non quidem nouam ſpeciem, quia poſt ſex dies creationis nouæ ſpecies non producuntur, ſed noua ſingularia ex materia primitus facta. Sanctus Paulus græcè ſcripſit omnes epiſtolas ferè. Exploremus, quid nobis ſignificet per vocabulum creare.

Prima Corinth. 11. *Non eſt creatus vir propter mulierem; ſed mulier propter virum.* Creatus eſt vir ex limo, mulier ex coſta. Epheſios 2. de hominibus Chriſtianis, *Creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis.* Homo Chriſtianus eſt totum creatum ex homine præſuppoſito in eſſe naturali. Inde vocatur noua creatura 2. Cor. 5. & Galat. 6. *Neque circumciſio aliquid valet, neque præputium; ſed noua creatura.*

Hebreo 9. Comparat Paulus tabernaculum veteris teſtamenti cum cælo, veluti tabernaculo noui teſtamenti. In quod nouū

taber-

tabernaculum Chriſtus eſt ingreſſus, & ait *Chriſtus aſsiſtens Pontifex futurorũ bonorũ per amplius, & perfectius tabernaculum, non manufactum, ideſt non huius creationis.* Siue Græcè, ſiue Hebraicè ſcripta fuerit hæc epiſtola, indicabit nobis, quid ſignificet nomen creationis: nam hoc nomen in iſto ſolo ſcripturæ loco reperitur. Igitur de tabernaculo veteris teſtamenti manufacto dicit ipſum eſſe huius creationis. Cælum autem eſt tabernaculum alterius creationis, in quod Chriſtus intrauit, Hebręos 9. 29. *Non enim in manufacta, ſancta Ieſus introiuit, exemplaria verorum; ſed in ipſum cælum.* Ergo Apoſtolus productionem manibus hominum factam, appellat creationem: at nullus homo manibus operatur, quin præſupponat materiam circa quam, in qua, & ex qua producat. Ergo creatio ſignificat productionem ex aliquo præſuppoſito.

Sanctus Ioannes Apoſtolus in Apocalypſi 4. 11. *Quoniam tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.*

Apocalypſ. 10. 6. *Qui creauit cælum, & quæ in eo ſunt, terram, & quæ in ea ſunt, mare, & quæ in eo ſunt.* Sanè omnia, quæ ab opere primi diei vſque ad finem mundi producuntur, & ſunt in cælo, in terra, in mari, nemo prudens dicet produci immediate ex nihilo; ſed affirmabit produci ex aliquo præſuppoſito. Tales locutiones generales, quibus Deus aſſeritur creaſſe omnia, ſunt ſæpè in vtroq; teſtamento, vt Eccl. 18. & 23. Epheſ. 3. Coloſſ. primo. Exploratum verò eſt iſta omnia non eſſe facta immediatè de nihilo, ſed ex aliquo.

Ex ſacris ſcripturis Latinis.

Solus D. Marcus Euangeliſta latinè ſcripſit Euangelium. In illo vocabulum creare, vel creatio non ſunt; ſed vocabulum *Creatura*: & creatura pro homine accipitur Marci vltimo. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Marci 10. *Ab initio creaturæ maſculum, & fæminam fecit illos Deus.* Marci 13. *Erunt dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus vſque nunc.* Creatura tribulationibus ſubiecta eſt homo ipſe. VI.

Pau-

Paulus quoque ad Romanos 1. ſic accipit vocabulum *creatura*. *Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt*. Coloſſenſes 1. *Prædicatum eſt in vniuerſa creatura*. Accipitur etiam creatura pro quacunque re per ſe exiſtente in vniuerſo, Apocalipſ. 5. *Omnem creaturam, quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & ſub terra*.

Et prima ad Timot. 4. *Omnis creatura Dei bona eſt*. Iſta non ſunt ex nihilo facta immediatè, ſed ex materia. Si rectè conſiderentur loca ſcripturarum, vocabulum *Creator* vndecies, *Creatura* quadragies, *Creatio* ſemel, *Creare* octuagies ſepties reperietur in Concordantijs biblicis: nunquam tamen cum particula *ex nihilo*, hæc vocabula coniuncta ſunt. Quarè nunquam hoc vocabulum Creare, & eius coniugata, quatenus huiuſmodi ſignificant factionem ex nihilo, ſed productionem ex aliquo præſuppoſito.

CII. Iam feſſus colligendo, conuertor ad vos Offenſores meos, atque interrogo, Vtrum iſta locutio *Creare de aliquo præſuppoſito rei productæ* ſit in iſtis libris citatis, à Deo, an ab hominibus? Si à Deo dixeritis, optimè reſpondebitis; nam Lucæ 1. *Locutus eſt Deus per os ſanctorum*. *Hebræos* 1. *Multifariam, multiſque modis locutus eſt Deus patribus in prophetis. Nouiſsimè autem locutus eſt nobis in Filio*. Et 2. Petri 1. *Non voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirante locuti ſunt ſancti Dei homines*. Hac igitur habita reſponſione à vobis, vos humiliter obſecro, ne Deo loquenti reſiſtatis; ſed fateamini, quòd dictio *Creare*, vel ſemper, vel frequenter ſignificat producere de aliquo præſuppoſito, & inexiſtente in re producta. Si igitur vocabula ex placito primi inſtituentis, vel ex vſu primi vtentis accipiuntur: iam Deo cedite, qui primus ſignificationes omnibus linguis impoſuit, tribuſque linguis vſus eſt ad loquendum in ſcripturis ſanctis. Cognoſcite quoque, quòd iſta vocabula Creare, Creatio, Creator, Creatura ex legitima, propria, primæua, & natiua ſignificatione ſignificant productionem ex aliquo, & non ex nihilo.

Si autem reſponderitis, hunc modum accipiendi prædicta vocabula, non eſſe à Deo, ſed ab homine: rurſus dicam, ne tantum

vobis

vobis arrogetis, vt in lingua hebraica credatis vos ipſos ſapientiores, atque in proprietate hebraicorum vocabulorum diſcernenda doctiores, quàm fuerint Moyſes hiſtoricus præcellens, Dauid poeta celeberrimus, Iſaias, & Ieſus Sirachi Doctores ſapientiſſimi. Ne putetis vos peritiores in græco, quàm Ioannes, vel Paulus Apoſtolus: aut in latino, quàm Marcus Euangeliſta.

Si quis verò tenax ſui placiti ad propriam voluntatem trahat has voces, atque dicat, & Deum ſacrarnm vocum, immò & omnium Authorem; & ſanctos ſcripturæ doctores impropriè, & abuſiuè locutos: ſe autem legitimè, & propriè loqui, hunc ego dicam licenter nimium, & irreuerenter loqui. Nam & ſi in ſacra ſcriptura ſint locutiones figuratæ aliquando, propriæ tamen ſunt in hiſtoria, in præceptis, in fidei dogmatibus tradendis. Et ſcripturæ ſunt propriè exponendæ, ne aperiamus portas hæreticis euertendi omnia ſacramenta, & dogmata Chriſtiana. Metaphoræ quoque ſunt accipiendæ primo in proprio ſenſu; deinde ſunt explicandę ratione ſimilitudinis: idemq; in cęteris tropis eſt ſeruandum, vt ex omnibus eruatur proprius, & literalis ſenſus. Nunc autem in locis citatis, hiſtoriæ, & dogmata fidei traduntur, dum agitur de creatione: ergo propriè, non figuratè vocabula ſunt accipienda. Quamobrem ex inſtitutione primæua Dei, & vſu ſacrorum ſcriptorum *Creatio eſt productio de aliquo principio præſuppoſito, & interno ipſi rei productæ.* Et creatio (ſi legitimè accipitur vocabulum) vel nunquam, vel rarò, & non ratione ſui, ſed ratione adiuncti, poterit connotare factionem ex nihilo.

Animaduerti autem, hoc idem ante me à S. Auguſtino fuiſſe obſeruatum. Cum enim in Tomo 6. contra Aduerſarium legis, & prophetarum, lib. 1. cap. 23. propoſuiſſet argumentum Aduerſarij, fundatum in locum Iſaiæ 45. *Faciens bona & creans mala.* Ex quo loco per verba *facere*, & *creare* argumẽtabatur ille, quòd Deus legis, & prophetarum eſſet malus, quia ex alieno faceret bona, ex ſe crearet mala. Sanctus Auguſtinus argumento Aduerſarij preſſus, quæſiuit in ſacris literis vſum iſtorum verborum *facere*, & *creare*. Atque docuit duo ſignificata; primum CIII

mum, quod idem ſignificent, & promiſcuè accipiantur. In quo ſignificato ipſum creare coniungitur cum ipſo facere. Et quia facere poteſt eſſe, tùm ex aliquo, tùm ex nihilo: ideò ratione adiuncti creare poteſt ſignificare idem, quod facere ex nihilo: ſicut accepit Auguſtinus tomo 1. lib. de fide, & ſymbolo cap. 4. & de Geneſi ad literam imperfecto cap. 1.

Secundum ſignificatum eſt, quo propria ſignificatio ipſius facere diſtinguitur ab ipſo creare: quam differentiam, vt lib. 1 num. 9. attigi, explicat his verbis. *Et ſi aliquando cum aliqua differentia dicitur, hoc rectius poteſt inter eſſe, quod dixi: vt Facere ſit, quod omnino non erat: Creare autem ex eo, quod iam erat, ordinando aliquid conſtituere. Ideoque hoc loco dictus eſt Deus creans mala, quoniam peccantibus ea conuertit in malum diſpoſitione ſeueritatis ſuæ: quæ bonitatis eius largitate bona facta ſunt.* Loquitur Auguſtinus quidem in ijs, quæ ſunt ad extra, & rectè ait, *creare eſſe producere ex eo, quod iam erat*: facere autem ex eo, quod omnino non erat. Ita in Enchiridio cap. 88. *Non autem perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro*, &c.

Et 9. ad Geneſ. ad literam cap. 1. *natura quippè mulieris creata eſt, quamuis ex virili, quæ iam erat.*

CIV. Denique, quoniam ex communi placito creationi opponitur directè annihilatio: videamus in ſacris literis, Vtrum quod ad nihilum redigitur, poſt annihilationem aliquid ſui relinquat.

Iob. 16. De prauis, *& in nihilum redacti ſunt*. De ſeipſo, cap. 30. *redactus ſum in nihilum.*

Pſalmo 14. *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus.*

Pſalmo 57. *Ad nihilum deuenient, tanquam aqua decurrens.*

Pſalmo 58. *Ad nihilum deduces omnes gentes.*

Pſalmo 59. *Ad nihilum deduces tribulantes nos.*

Pſalmo 72. *Imaginem ipſorum ad nihilum rediges* & ibidem *ego ad nihilum redactus ſum.*

Pſal. 77. *Ad nihilum redegit valdè Iſrael.*

Iſaia 34. De Idumæa. *Vt redigatur ad nihilum.*

Ierem. 10. *Ne fortè ad nihilum redigas.*

Ezechiel 28. *Nihil factus es, & non eris in perpetuum.*

Dicitur

dicitur de Rege Tyri; & cap. 27. de Tyro *Ad nihilum deducta es.*

Et Actorum 5. *Diſſipati ſunt, & redacti ad nihilum.* Quibus omnibus locis ſcripturæ conſideratur homo ex bono ſtatu ad malum redactus: ſemperque relinquitur ipſe homo in eſſe naturæ tanquam ſubiectum poſt annihilationem relictum. Nec vnquam in ſcriptura ſacra deductio ad nihilum eſt poſita, niſi relinquendo aliquid poſtpoſitum: quarè & creatio vt ſic, nunquam eſt in ſcriptura, niſi ponendo aliquid præſuppoſitum.

Hactenus de Creatione ex doctrina Chriſti dictum ſit.

CAPVT III.

De Creatione, & Annihilatione ſecundum Ariſtotelem.

PHiloſophi Peripatetici, qui de creatione tractarunt, nullum ex Ariſtotele locum prodiderunt, in quo Ariſtoteles Creationem nominauerit, ex quo loco poſſemus, & vocabuli ſignificationem, & rei ſignificatæ conceſſionem, aut negationem ex principis Peripateticorum ſententia educere. Simplicius in 8. phyſ. in digreſſione contra Ioannem Grammaticum: Auerroes in 12. meta. comment. 18. ex antiquis: Pererius in 5. phyſ. cap. 7. & Piccolomineus lib. 1. de creatione, ac 2. ex modernis nobis teſtimonium præbebunt. Nihil quoque de annihilatione tractarunt: Aſſignarunt, & iſti, & alij nomen creationis, definitionẽ nominis, concluſiones que propoſuerunt iuxtà præiudicatam à ſe ipſis opinionem: conditioneſq; creationis ſibi quiſque præſtituit, quas voluit: Ariſtotelis ſenſum parum diligenter explorantes. Optimus autem lector eſt, qui dictorum intelligentiam expectat ex dictis potius, quàm importat: qui aufert opinionem ab Authore, non eam affert: neque cogit id videri dictis contineri, quod ante lectionem præſumpſerit intelligendum. CV.

Bargius in 1. d. 3 car. 128.

Ego ſenectute, & ægritudine præpeditus, & quod maximũ eſt, officio legendi ſacra dogmata (quæ ſunt abyſſus impermeabilis)

bilis) reuinctus à multis annis, non poſſum dare operam lectioni Ariſtotelicæ: afferam tamen quædam loca Ariſtotelis, quæ mihi occurrunt, occaſionemq; præbebo aliſs, quibus per otium, & valetudinem licet, vt Ariſtotelem accuratius perſcrutentur.

CVI. Igitur Philoſophus in 4. de hiſtor. animal. cap. 3. cart. 921.

1. D. ſcribit *Neque enim aliquid eiuſmodi est, quod animal Creet, niſi prius generarit ouum.*

2. In 2. de partibus animal. cap. 2. cart. 1116. *At vero cor, quia venarum principium eſt, & vim Creandi primam obtinet.*

3. In 2. de gener. animal. cap. 4. cart. 1254. *Fœmina ſemper materiam præbet, mas vim Creandi.*

4. In 4. de generat. animal. cap. 1. cart. 1306. B. *Quod non ab eo ſeparatur, à quo conditur, ſiue Creatur.*

In his locis Ariſtoteles poteſt bifariam explicari. Primò ſecundum ſcholaſticos philoſophos, vt creatio ſit factio ex nihilo rei factæ, ſecundum conditiones à controuerſantibus ſpecialiter adiectas. In quo ſenſu explicandus erit Ariſtoteles, vt quæ creantur, dicantur creari ſecundum formam, quæ ex nulla ſui parte præſuppoſita fit. Sicuti doctor Seraphicus Bonau. in 2. diſt. 18. quæſt. 1. num. 4. exponit authoritatem Geneſeos 1. cum dicitur, *maſculum, & fœminam creauit eos; creauit*, nimirum ſecundum animam. Hoc modo expoſui Ariſtotelem, dum

lib. 1. Defen. 1. num. 38. 39. defendebam Illuſtriſſimum Contarenum, & me.

Secundò explicari poteſt (vt mihi magis placet) quòd creatio apud Ariſtotelem ſit productio ex aliquo principio præſuppoſito, & interno ipſi producto. Sic locutus eſt S. Auguſtinus

CVII. de creatione: ſic cenſeo Ariſtotelem eſſe locutum. Cum enim Dei iudicio, atque gratia tùm Auguſtinus, tùm Ariſtoteles factionem in communi acceperint ad factionem ex aliquo, & ex nihilo; & per verbum factionis locuti ſunt, quando aliquid ex nihilo cauſatum eſt: ità cum vſi ſunt vocabulo *creare*, ex eodem iudicio, & gratia iuxtà ſacras ſcripturas, ſcienter Auguſtinus, Ariſtoteles non ſcienter, quod attinet ad literas ſacras; ſciẽter, quod attinet ad vſum authorum ſæcularium, vſurparunt vocabulum creationis in aſſignato ſignificato, vt creare ſit producere ex aliqua parte rei productæ.

Simi-

Similiter in vocabulo annihilationis, quo vſus eſt Ariſtoteles in 1. meteor ſum. 1. cap. 3. Annihilatio eſt ab Ariſt. vſurpata, ſicut & in ſacris literis, pro vt eſt alicuius deſtructio: ſed cum ſubiecto poſt ſe relicto. E 1. meteor cap. vlt. *ſtagnans aqua deſiccata, eſt iam annihilata*. Ex quo appareat Chriſtianos Peripateticos non cum Ariſtotele creationem, vel annihilationem ponere, aut negare; ſed ex proprio genio, & ingenio Ariſtoteli ſuas opiniones affingere. Solùm in lib. contra Xenophanem inuenio ipſum *creari ex nihilo* ab interprete tribui Empedocli, quem Ariſtoteles affirmans factionem ex nihilo, coniungit cum Xenophane approbante illud aſſertum, Ex nihilo nihil fit. Vnde Ariſtoteles reprobat vtrunque. Hæc de Philoſophis.

Hæc mihi de creatione, atque annihilatione ſint explicata ex doctrina Chriſti Domini, & Ariſtotelis: vt oſtenderem Offenſores meos, nec in Theologia Chriſti, nec in Philoſophia Ariſtotelis intellexiſſe creationis nomen: de quo nomine tamen maximos tumores concitant, quaſi opinio Contareni, & mea ſit contra Philoſophos, & Theologos omnes. Ego verò de creatione nolui diſcutere in 1. Veſtigatione, ne cogerer ſacras ſcripturas ad Ariſtotelé explicandum afferre: neue compellerer ſcholaſticorum examinare ſententiam. Vnde enim ſcholaſtici ſuum ſignificatum acceperint, quia nec Vicomercatus, nec Pererius dixere: neque ego dicere audeo. Locutus ſum cum Ariſtotele, & regente Deo, locutio mea fuit conformis dictis Dei: qui factionem ex nihilo nos docuit, creationem ex nihilo non expreſſit.

Finis Secundi Libri.

LIBER TERTIVS
Defenſionis Veſtigationum Peripateticarum.

Argumentum Tertij Libri.

IN veſtigatione 6. cap. 2. inter diſputandum pro vtraque parte quæſtionis Admodum Reur. P. Veglenſis Præceptor meus, vniuerſalem illam, omnis forma ſubſtantialis eſt ſeparabilis, probat duodecim rationibus; quas iuſtis de cauſis noluit ſoluere. Domini Offenſores hinc rapta occaſione, Primò aiunt, quòd Pater Ferchius illam vniuerſalem tenet. Secundò taxant, quòd non ſoluerit rationes ſuas. Tertiò contendunt, quòd eam non efficaciter impugnauerit. Quartò probant illam vniuerſalem eſſe falſam. Quintò reſpondent ad rationes illas duodecim. Ideircò P. Veglenſis omnibus his occurrit præſenti libro, ſeipſum defendens ab impetitionibus aduerſariorum.

CAPVT I.

Explicatur ſententia Ferchij, & Aduerſariorum impugnatio referri incipit.

Num. I. IN 6. Veſtigatione, quæ de forma ſeparabili eſt, cap. 1. docui quaſdam formas eſſe ſeparabiles, quaſdam inſeparabiles. De ſeparabilibus metaphyſici, de inſeparabilibus phyſici, ac mathematici eſſe pertractare. Hinc cæpi Veſtigationem metaphyſicam de forma ſeparabili. Secui veſtigationem in duas partes, in priore propoſui dubitationes, in poſteriore reſolutionē

veritatis

veritatis & hæc incipit lib. 1. cap. 5. Propoſui autem quatuor enuntiationes, duas contrarias iſtas. *Omnis forma ſubſtantialis eſt ſeparabilis, nulla forma ſubſtantialis eſt ſeparabilis*: & argumenta pro vniuerſali affirmatiua meo labore erexi, nec ſoluere volui, quoniam non erant contra principale meum propoſitum conſtituendi formam ſeparabilem. Qui enim concedit, omnem formam ſubſtantialem eſſe ſeparabilem, ſine dubio concedet etiam particularem illam *aliqua forma ſubſtantialis eſt ſeparabilis*. Argumenta verò pro vniuerſali negatiua ex alijs collegi, & pro viribus diſſolui, quoniam principali à me intento aduerſabantur. Poſthac cum Ariſtotele deſcendi ad particulares contradictorias vniuerſalibus, ſed inter ſe ſub contrarias, ſcilicet iſtas, *quædam forma ſubſtantialis eſt ſeparabilis, quædam non*.

Ideò in fine capitis primi declaraui me, dicens. *Ità nos examinatis vniuerſalibus per excurſionem quandam, conſiderabimus particulares has; quædam forma eſt ſeparabilis, quædam non*, In capite 6. num. 31. Ariſtotelis opinio exponitur, & probatur. Et hæc aſcribo initio capitis. *In 1. phyſ. Ariſtoteles contrarias illas enuntiationes, omnia principia ſunt contraria, nulla principia ſunt contraria, declinauit, ſtatuitque principia quædam eſſe contraria, quædam non eſſe. In 1. poſt. depulit, tùm dicentes, omnium eſſe demonſtrationem, tùm dicentes, nullorum eſſe demonſtrationem: recepit medias, quorundam eſſe, quorundam non eſſe. Idipſum mihi feciſſe videtur in propoſita Veſtigatione. Si enim quæras, an ſingulæ formæ ſubſtantiales ſint ſeparabiles ſimpliciter à materia: neque omnes, neque nullas eſſe ſeparabiles dicet, ſed quaſdam eſſe ſimpliciter ſeparabiles, quaſdam minimè. Prodeat ad hoc oſtendendum prior locus ex 8. met. tex. 3. &c.*

In quibus ſatis declaraui ex Ariſtotelis ſententia duas vniuerſales prædictas eſſe reijciendas, duas particulares recipiendas: quemadmodum per totum primum, ac ſecundum librum ferè oſtenditur ex ipſo Ariſtotele.

Ergo in proponendis dubitationibus, probaui vniuerſalem affirmatiuam: ſed nemo eſt, qui neſciat, non eſſe alicuius authoris ſententiam accipiendam ex dubitationibus: ſed ex reſolutione. Etenim in dubitationibus vt plurimum proponuntur, & fal- 11.

ſa

ſa, & impoſſibilia, & aliena. Cognoſcebant hoc Offenſores mei: ſed quoniam in omnem occaſionem reperiundæ accuſationis ſe extendunt, etiam imponunt mihi, quòd reliquerim illam vniuerſalem affirmatiuam tanquam veram, & probabilem in Ariſtotele. Sanè nullus intellectus poteſt aſſentiri duobus contradictorijs, teſte Ariſt. in 4. met. 9. ſed iſtæ duæ, *omnis forma eſt ſeparabilis, quædam forma non eſt ſeparabilis* ſunt contradictoriæ: ergo cum Ariſtoteles approbauerit iſtam contradictoriam particularem negatiuam, *quædam forma non eſt ſeparabilis:* exploratiſſimum eſt cuicunque cognoſcenti primum principium, *de nullo verum eſt affirmare, & negare:* Ariſtotelem vt falſam reprobauiſſe vniuerſalem affirmatiuam illam, *omnis forma eſt ſeparabilis,* ſicuti & in loco nunc relato ex Ariſtotelis mente ſcripſi. Nunc legatur offenſio.

Offenſio Diſput. 5. quæſt. 1. art. 1. num. 14. ad finem. Sic de me ſcribunt. *Si vera eſt doctrina, quam tradit de omnibus formis ſubſtantialibus vniuerſim Veſtigatione 6. lib. 1. cap. 2. eſſe ſcilicet ingenerabiles, & incorruptibiles.*

Sed nos infrà reijciemus quæſt. 2. art. 2. & quæſt. 6. num. 142. & ſeq. eius fundamenta diruendo ex Ariſtotele deſumpta.

III. 1. Defenſio. Ponunt conditionalem, *ſi vera eſt doctrina,* quoniam conſcientia reluctante, ſciunt à me illam non proponi vt veram, ſed vt falſam. Dum autem ſtatuunt illam doctrinam reijcere, tanquam, ſi eſſet propoſita à me vt vera, oſtendunt ſtudium contentionis ex voluntate Offendendi me, & mea dicta ardentiſſimum. Experiamur an vos, offenſores, ſufficientes ſitis ad reijciendum illam propoſitionem vniuerſalem rationibus veſtris, aut ſufficientes ſitis ad meas rationes pro illa extructas ſoluendum.

Dicitis vos velle fundamenta deſumpta ex Ariſtotele diruere. Si confunditis fundamenta Ariſtotelis cum fabrica à me ſuperſtructa, inconſideratè ſcribitis; ſi verò intenditis ipſamet fundamenta Ariſtotelis diruere, audenter ſcribitis. Fundamenta enim Ariſtotelica nimium ſunt robuſtiora, quàm vt à vobis ruinam timeant. Denique minamini locum pugnæ eſſe quæſtionem 2. art. 2. ſed ardenti ſtudio offendendi præuenitis lo-

cum

cum pugnæ: etenim quæſt. 2. in præparatione ante articulum primum in fine numeri 48. ſcribitis ſequentia. Offenſio

De corruptione autem poteſt eſſe dubitatio, ſaltim quò ad terminum formalem ob rationes, quibus nuper P. Ferchius Veſtig. 6. lib. 1. cap. 2. probat ex profeſſo, omnem formam ſubſtantialem vniuerſim eſſe ſeparabilem à materia, ſempiternam, atque incorruptibilem; quia enim illas affert velut ex ſuo penu, nec ſoluit: cum tamen cap. 3. & 4. ſoluat, quas affert ex alijs pro altera parte contradictionis, ſcilicet, nullam formam ſubſtantialem eſſe ſeparabilem, relinquere videtur vniuerſalem illam affirmatiuam, vt veram, vel vt minimum ſatis probabilem in Ariſtotelis ſententia.

Quinque ſunt in his dictis, quæ mihi non probantur. IV.

Primum, aſſeritis ex profeſſo à me probari illam vniuerſalem, omnis forma ſubſtantialis eſt ſeparabilis. Illud ex profeſſo probamus, quod profitemur, quod approbamus: at illam vniuerſalem à me proponi, & probari authoritatibus Ariſtotelis, verum eſt. Sed illam, vel à me approbari, vel ex profeſſo probari, eſt per quam falſum. Cum enim profitear, & toto opere probem cum Ariſtotele contradictoriam, ideſt particularem negatiuam: falſum eſt dicere, quòd ego profitear, vel approbem, vel ex profeſſo probem vniuerſalem affirmatiuam. 1. Defenſio. 1. impoſtura.

Secundum, aſſeritis, me afferre rationes velut ex meo penu. Intelligo intentionem veſtram. Quæſiuiſtis, vtrum apud alium aliquem illas rationes inuenire poſſitis, vt oſtenderetis illas non eſſe peregrinas. Non potuiſtis hac vice, etiam falſa mihi imponendo, oſtendere, quòd rationes illæ non ſint meo labore partæ, ſed cum diuino lumine illuſtrante: quo & ad bona & ad mala, diſcernenda, etiam immerentes iuuamur.

Tertium, Doleo, vos rudimenta Logicæ deſerere. Ego erexi rationes ex me pro illa vniuerſali affirmatiua, omnis forma ſubſtantialis eſt ſeparabilis. Subditis vos. *Cum tamen cap. 3, & 4. ſoluat, quas affert ex alijs pro altera parte contradictionis, ſcilicet nullam formam ſubſtantialem eſſe ſeparabilem.* Ergo apud vos iſtæ duæ vniuerſales; *omnis forma ſubſtantialis eſt ſeparabilis, nulla forma ſubſtantialis eſt ſeparabilis*, ſunt contradictoriæ. At ego homo rudis didiceram à Petro Hiſpano in 1. tractatu Summularum; & V.

ab

ab Ariſtotele in 1. de interpretat. cap. 5. illas eſſe contrarias.

Quartum. *Relinquere videtur vniuerſalem illam affirmatiuam, vt veram, vel vt minimum vt ſatis probabilem in ſententia Ariſtotelis.* Timeo ne aliud vobis videatur, aliud in re ſit. Nam re vera illa enunciatio in Ariſtotele à me relinquitur vt falſa, & impoſſibilis. Sermo enim eſt ſcientificus circa neceſſaria, & impoſſibilia tractans. Vnde illa particularis *quædam forma non eſt ſeparabilis* eſt vera, & neceſſaria in doctrina Ariſtotelis, quam in initio 6. capitis retuli. Illa verò vniuerſalis contradictoria eſt falſa, & impoſſibilis. Verùm intellectus veſter cruentatus eſt vulnere contradicendi. Qui autem ophtalmia rubra oculos habent ægros, omnia quantumuis candida, vel nigra, rubra cernunt.

Quintum. Quoniam pro vna parte argumenta aliena ſolui, pro alia parte oppoſita argumenta ex me facta non ſolui: colligitis me reliquiſſe tanquam veram, aut probabilem iſtam partem. Collectio nulla eſt. Scotus veſter doctor (ſi tamen veſter) in 4. diſt. 43. quæſt. 2. proponit iſtas duas enuntiationes 1. *Anima intellectiua eſt immortalis*: atque pro ipſa authoritates, & rationes ex alijs profert, & eas diſſoluit. 2. *Anima intellectiua eſt mortalis*: & ex ſe affert pro iſta authoritates, vel rationes, nec tamen ſoluit. Si argumentum veſtrum valet, cum Scotus in theologia ſcribat, & ex Ariſtotele: ſequitur, quòd Scotus relinquit tanquam veram, & probabilem iſtam propoſitionem. *Anima intellectiua eſt mortalis*. Quarè & hæreticus, & hæreſiarcha eſt. Aut igitur Scotus non ſoluens, errauit, aut non. Si non errauit, Scotum imitatus ſum, nec ego erraui. Argumenta per me facta ſoluere nolui; ſicut nec ipſe voluit ſoluere. Si errauit in philoſophia, & in theologia, veſtrum erit Scotum defendere, qui ſaltem apparenter Scoti ſequelam profitemini.

Scotus quidem deſeruit defenſionem veritatis catholicæ, quia
VI. noluit defendere veritatem iſtam: *anima eſt immortalis*, quando noluit ſoluere argumenta, quæ contra ipſam attulit. Ego verò ſolui argumenta, quæ ſunt contra veritatem philoſophicam, & theologicam; nempè illa, quæ probant, nullam formam eſſe ſeparabilem. At illa enuntiatio: omnis forma ſubſtan-

ſtantialis eſt ingenerabilis, & incorruptibilis, & ſeparabilis in hoc ſenſu, tenetur à plurimis, atque grauiſſimis in philoſophia, & theologia Doctoribus, ſcilicet à defenſoribus rationum ſeminalium. Dequa re alias Defenſionis lib. 1. Quarè meæ rationes illæ non ſunt contra fidem catholicam, & eas non ſoluere, fidem catholicam non lædit. Sicut non ſoluere illa, quæ Scotus fecit argumenta, eſt contra fidem catholicam. De hoc iterum redibit ſermo.

Qua data, nunquam forma terminus formalis corruptionis ſtatuenda foret, ſed ſola vnio, qua diſſoluta, compoſitum quoque deſtruetur. Offenſio

Vos nunc, ſi forma non corrumpatur, non vultis, quòd forma ſit terminus formalis corruptionis, ſed ſola vnio. Infra ad num. 37. & 38. dicetis oppoſitum in anima rationali, quæ non corrumpitur, eſt tamen corruptionis terminus formalis. Quarè non ſcribitis conſentanea vobis ipſis. 3. Defenſio.

In quæſt. 1. diſput. 3. num. 12. affirmatis, vos ſedulò ſtuduiſſe meis dictis intelligendis; at nunc patet vos non ſedulò ſtuduiſſe, quoniam in pertractanda vniuerſali propoſitione illa, omnis forma ſubſtantialis eſt ſeparabilis veſtig. 6. num. 10. poſui diſcrimen inter formam ſubſtantialem, & accidentalem, dicens. *De ſubiecto igitur pellitur, atque deſtruitur accidens à contrario: forma ſubſtantialis contrariò vocat; ob id neque pellitur, neque deſtruitur, ſed ſecundũ ſuũ eſſe præciſum sẽper ſuperſtes erit.* Ad numerum 11. de compoſito ſcripſi. *Omne compoſitum, qua ſubſtantiale eſt, ſemper erit, ſcilicet in eſſe imperfecto, & inchoato; quod enim eſt indifferens ad ambo oppoſita recipienda, neutri opponitur, & à neutro oppoſitorum læditur.* Hæc locis citatis. Hinc patet iuxtà opinionem ibi tractatam, quòd forma nunquam pellitur à materia, vnde nunquam incipit vnio formæ cum materia, nunquam deſinit: nunquam compoſitum fit de nouo, aut de nouo deſtruitur. Quarè in iſta offenſione nunc relata duo refertis falsò. Primum eſt, quòd vnio diſſoluatur. Secundum quod compoſitum deſtruatur; nimirum quia non ſedulò ſtuduiſtis. Stante enim illa falſa opinione, nulla mutatio ſubſtantialis danda eſt. Notetur hic locus, quoniam infrà etiam contra vos vſui *Impoſturæ duæ 2. & 3.*

 erit

erit. Si tamen formæ ſubſtantiales vnirentur, vel ſepararentur, terminus formalis generationis, aut corruptionis eſſet forma ſubſtantialis, non autem vnio, vel ſeparatio, vt vos non rectè infertis. Conſtat hoc ſecundum Ariſtotelem in anima rationali, dum accedit ad corpus, vel recedit à corpore. Anima quippè eſt terminus quo, non vnio, vel ſeparatio. Hæc dicta ſint ad apparatnm, inquo me offenditis ante locum condictum, ſcilicet ante quæſtionis ſecundæ articulum ſecundum. De quo nunc incipiemus excuſſionem.

CAPVT II.

Affertur Præparatio pugnæ ab Offenſoribus facta contra Ferchium, & oſtenduntur Offenſores eſſe contra Scotum.

VII. IN lib. de Generat. diſput. 5. quæſt. 2. art. 2. num. 65. cart. 250. columna 2. Incipit pugna veſtra contra me. Ità tamen, vt etiàm contra Scotum, cuius vos gloriamini eſſe ſequaces, pugnetis. Aſcribo veſtra per ordinem.

Sed dices. Dum gratia deſtruitur in anima noſtra, deſinit in ſubiectum, manet enim ſubiectum eius ſcilicet anima poſt eius deſitionem, & tamen dicitur annihilari, non corrumpi, ſicut è contra, dum incipit in anima, dicitur per creationem incipere, non per generationem, vel eductionem.

Rurſus ſi ipſa anima noſtra deſtrueretur, etiam maneret ſubiectum, nempè corpus, & conſequenter in ſubiectum deſineret, & tamen non diceretur corrumpi; ſed annihilari, ergo non benè ponitur negatio in ſubiecto terminus corruptionis formæ, quia id, etiam conuenit annihilationi.

Baſſol. impugnatur *Baſſol. hanc difficultatem de gratiæ deſitione tangit in 4. diſt. 11. quæſt. 4. art. 2. & ægrè reſoluit, quia perſiſtit in eo principio, quòd gratia incipiat in anima per creationem, & conſequenter deſinat per annihilationem.*

At nos facili negotio euadimus, nam ſicut admittimus eam ex potentia animæ educi diſput. 3. phyſ. quæſt. 5. art. 2. quia fit in ſubiecto,

cto, & dependenter ab eo, cum ſit forma ſuapte natura inhærens, ſic in præſenti eius deſitionem in anima dicimus eſſe corruptionem.

Hæc, quæ de productione formæ ex nihilo, atque deſtructione in nihilum nunc dicuntur à vobis, pertinent ad præcedentem defenſionem, quando volebatis, vt negatio ſubiecti ſit præſuppoſita ad creationem; & per conſequens ſit relicta eadem negatio ſubiecti poſt annihilationem. Quod fundamentum eſt tàm efficax, vt vos à ſchola Scoti tanquam transfugas ad ſcholam Caietani, & Suarezi traduxerit. Scotus enim vult, quòd gratia, & aliæ virtutes ſupernaturales propriè fiant per creationem, & deſtruantur per annihilationem. Vos non potentes diſcernere Scoticam ſubtilitatem, negatis creationem, ac annihilationem gratiæ; & conceditis eductionem gratiæ de potentia ſubiecti, & reductionem in potentiam ſubiecti. Scotum audiamus. 4. Defenſio.

VIII. Scotus.

Scotus in 3. diſt. 11. quæſt. 1. diſtinguens ipſum creari ab ipſo fieri in communi, dicit quòd. *Fieri reſpicit efficiens in communi; ſed creari propriè reſpicit primum efficiens, vt immediatè producens; Ita quòd nihil dicitur propriè creari, niſi quod à ſolo primo efficiente immediatè producitur ad eſſe.*

Item fieri dat intelligere oppoſitum præcedens qualecunque ſiue poſitiuum, ſiue priuatiuum: ſed vltra hoc creari propriè ſumptum addit, quòd oppoſitum immediatè præcedens ſit contradictorium, putà negatio non in aliquo ſubiecto, ita quòd nec priuatio, nec contrarium.

Hoc modo à creari ſtrictè accepto, illud dicitur ſtrictè creatura, quod accipit eſſe à primo efficiente immediate, & poſt omnino non eſſe, ſiue poſt purum nihil &c.

Hoc enim modo ſolummodo Angeli, & anima intellectiua & Gratia, & quædam huiuſmodi, quæ de nihilo producuntur à primo efficiente, dicuntur creari. Hæc Scotus. Gratia creatur.

Corollarium primum educo. Gratia propriè, & ſtrictè creatur ſecundùm Scotum. Secundùm vos gratia non creatur; ſed educitur de potentia animæ.

Corollarium ſecundum. Gratia de nihilo producitur à primo efficiente, ita vt ipſum *nihil* ſit negatio non in aliquo ſubiecto, ſecundùm Scotum. Secundùm vos gratia non producitur de

nihilo, ſed de negatione in ſubiecto.

Tertium Corollarium. Ipſum nihil eſt diuerſum à priuatione; nam priuatio dicit negationem in ſubiecto apto, & priuatio nō eſt terminus creationis; ſed ipſum nihil eſt terminus creationis, & non dicit negationem in ſubiecto. Ita ſecundùm Scotum. Sed vos in hac diſputatione 5. quæſt. 1. art. 1. num. 16. per ipſum *nihil* intelligitis *priuationem*. Quarè ſimul & ſenſum Ariſtotelis violatis, & Scoto in ratione ipſius *nihil* contradicitis.

IX. Deinde Scotus in 2. diſt. 37. quæſt. 1. ad A. *Secundum concludit hic; quia gratia eſt à ſolo Deo per creationem, & ab eo ſolo conſeruatur, & quando deſtruitur, annihilatur, quia cuius productio eſt creatio, eius deſtructio eſt annihilatio.*

Scotus.

Inſuper Scotus 4. diſt. 1. quæſt. 1. in 2. argumento principali pro parte falſa probans, quòd creatura poteſt annihilare, ait; *ſed anima poteſt eſſe cauſa infidelitatis &c. ergo anima poteſt eſſe cauſa corruptiua fidei, ſpei, & charitatis, ſiue gratiæ: horum autem omnium deſtructio eſt annihilatio, ſicut eorum productio eſt creatio; vniuerſaliter enim, quod non poteſt produci, niſi creetur, non deſtruitur, niſi annihiletur.* Hæc dicta in argumento, vera ſunt quò ad partē approbatam in loco ſecundi diſt. 37. pridē citato.

Scotus.

Reſpondet Scotus ad hoc argumentum ſub P p. declarans, quid ſit de ratione creationis, vel annihilationis, & ſub Q q. *Ad illam probationem*, inquit, *de virtutibus, reſpondeo, quòd nulla virtus infuſa poteſt corrumpi in nobis per aliquem actum noſtrum quaſi per naturam repugnantiæ, ſed ſolùm per cauſam demeritoriam; anima enim peccans demeretur ne gratia conſeruetur in ea; & ſic in 2. inſtanti naturæ propter tale demeritum quaſi præcedens, Deus non conſeruat gratiam, & ſic annihilatur* hucuſque Scotus.

Scotus.

Præterea in eodem 4. diſt. 1. quæſt. 5. D. Scotus ait *Abſque hoc, quod dicatur Sacramentum habere aliquam actionem propriè dictam, ſiuè reſpectu gratiæ, quam non poteſt attingere, cum illa creetur, ſiuè reſpectu diſpoſitionis ſupernaturalis præuiæ, quia illa etiam crearetur.*

Conſonant his dicta in 1. diſt. 17. quæſt. 2. P. 2. diſt. 7. quæſt.
X. 1. H. 2. diſt. 20. quæſt. 1. I. tertio diſt. 13. quæſt. 4. C. & F. & diſt.

diſt. 23. quæſt. vn. L. conferendo cum tertio argumento. Ex quibus nouem Scoti locis patet lucidiſſimè vos Offenſores eſſe Scotiſtas contra Scotum; Baſolium verò eſſe verum Scotiſtam. At vos iudicatis ipſum ægrè reſpondere, nempè ſani eſtis: illum cum difficultate, vos facile; Cur ita? quia Baſolius telis aduerſariorum occurrit, difficultatibus reſiſtit, vulnera pro Scoto patitur.

Vos datis manibus ſine vulnere, & labore, in caſtra aduerſariorum tranſiſtis. Facilè eſt ſoluere difficultates, aduerſarijs concedendo, quod volunt. Scotiſtis autem neceſſe eſt inuenire modum ſoluendi apparentem contradictionem, quòd creatio non præſupponat ſubiectum, & annihilatio non relinquat, & item quòd aliquòd habeat ante ſe ſubiectum, & poſt ſe: quo non obſtante creetur, & annihiletur. Ergo creatio præſupponit, & non præſupponit ſubiectum. Sed proſequamur veſtra: namh inc ego habeo; aliquando ex præſupppoſito ſubiecto aliquid fieri ex nihilo, ſeu creari contra vos in præcedenti offenſione ſcribentes oppoſitum.

Secus eſt de anima, eſtò detineret in corpore, quia eſt forma per ſe ſubſiſtens; vnde ſicut in eius inceptione, eſtò fiat in corpore, non ob id dicitur educi, vel generari, quia non ſit dependenter abeo; ſed ſolum cum eo, ratione ſuæ ſubſiſtentiæ, & independentiæ. Ità in eius deſitione non eſſet dicenda corrumpi, vel in ſubiectum deſinere, eſtò deſineret in corpore. Hinc grauiter erraiit Rubion 2. diſt. 1. quæſt. 4. art. 2. dicens etiam animam ipſam generari, quia ſit in præſuppoſito ſubiecto, vt ceteræ formæ. Offenſio

Dicitis animam rationalem eſſe ſubſiſtentem contra Scotum, & contra me. De me, nulla cura ſit: rationes Scoti pro me pugnabunt. Scotus in 4. diſt. 43. quæſt. 1. §. *de primo* refert opinionem Aquinatis in 4. diſt. 44. quæſt. 1. dicentis, quod aliorum animalium forma non eſt per ſe ſubſiſtens, vt poſt compoſiti ſolutionem manere valeat, ſicut eſt de anima rationali. Idem fundamentum, quòd anima ſit per ſubſiſtens refert Scotus in quolib. 9. art. 3. in 2. ratione contra ſe ipſum, & reſpondet. *Quamuis iſta ponatur ratio fundamentalis pro concluſione iſta, quòd anima intellectiua eſt ſubſiſtens tamen concluſio non videtur vera, loquendo* XI. 5. Defenſio. Scotus.

loquendo propriè de ſubſiſtente eo modo, quo prius dictum eſt, quod ens per ſe tertio modo ibi accipiendo, dicitur ſubſiſtens. Sed nec anima intellectiua vnita, eſt per ſe ſubſiſtens, ideſt ſolitariè, ſicut accidens in Altari dicitur per ſe ens &c.

Tribus modis ex quolibeto 9. A. dicitur ens per ſe, primo *non cum alio*, ſic accidens ſeparatum à ſubiecto eſt ens per ſe. 2. *non inhærens actu, & aptitudine*, ſic omnis forma ſubſtantialis eſt ens per ſe. 3. *non per ſe ordinabile ad aliud*, ſicut ſuppoſitum eſt ens per ſe, & iſtud ſolum propriè dicitur ſubſiſtens. Per ſe ſubſiſtens primo modo non competit animæ vnitæ cum corpore, vt Scotus dicit; & quò ad hunc ſenſum ſeparat nihil plus haberet quàm accidens ſeparatum. Secundò modo omnis forma ſubſtãtialis eſt ſubſiſtens, & hoc modo anima intellectiua nil plus habet, quàm cæteræ formæ. Sicut ergo abſurdè dicemus accidens ſeparatum per ſe ſubſiſtere, vel quamlibet formam ſubſtantialem per ſe ſubſiſtere: ſic abſurdè hoc dicitur de anima rationali in duobus iſtis ſenſibus. Tertio modo impoſſibile eſt, vt anima intellectiua ſit per ſe ſubſiſtens, quia eſt per ſe comunicabilis vt forma materiæ, & eſt nata eſſe per ſe pars totius compoſiti. Sed ſubſiſtens in tertio ſenſu neutrum horum habet.

XII. Ideo Scotus quolib. 9. ad L. ſcribit. *Anima intellectiua non dicitur ſubſiſtens, niſi impropriè, & ſecundum quid, licet dicatur ens, & per ſe ens, primo modo accipiendo eſſe.* Videlicet quò ad eſſe exiſtentiæ.

Sco. quol. 9.

Amplius Scot. quolib. 4. M. *Dico, quòd ſubſiſtere eſt æquiuocum, vno modo accipitur pro per ſe eſſe, pro vt excludit inhærere, & in alio eſſe, vt pars in toto, &c. alio modo ſubſiſtere eſt incommunicabiliter per ſe eſſe.* Si loquamur de anima vnita corpori, non eſt ſubſiſtens primo modo, quia eſt per ſe pars in toto.

quol. 4.

Non ſecundo, quia intra, & extra totum eſt per ſe communicabilis; non eſt igitur doctrina Scoti, quòd anima rationalis ſit ſubſiſtens; ſed eſt fundamentum Thomiſtarum; ſicut & doctrina de eductione propter dependentiam, & inhærentiam formæ a Thomiſtis tranſcripta eſt.

Illa quoque amarulentia contra Rubionem famigeratũ Doctorem *grauiter errauit*, quantam authoritatem cenſuræ ſeueriſ-

ſimæ

ſimę arguit in his authoribus; qui ſe modicę authoritatis dicunt, tantùm verò authoritatis ſibi contra Doctores antiquos, & modernos aſſumunt? Nemini parcunt.

Num. 66. *Quia verò hunc communem omnium ſenſum de formarum materialium interitu, tentauit labefactare Ferchius initio quaeſt. cit. oſtendens formam ſubſtantialem non eſſe idoneum corruptionis terminum, rem hanc examinare non pigeat.* Offenſio XIII.

Nimium amatis veſtras opiniones. Opinio, quæ ponit formas ingenerabiles, & incorruptibiles, famoſa eſt, communis eſt, eorum ſcilicet, qui defendunt rationes ſeminales. Qui ſanè viri ſunt in theologia, & philoſophia præclariſſimi, quorum nulli vos eſtis comparabiles; & audetis poſito pudore à communitate theologorum, ac philoſophorum excludere D. Bonau. Albertum Magnum, Alexandrum Alenſem, & alios Antiquos, atque modernos, Græcos, Arabes, Latinos, quorum aliquot citaui, dum cauſam agerem pro Illuſtriſsimo Contareno, & me, non repeto. 6. Defenſio.

Secundò falsò mihi imponitis duo. Primùm, quòd formæ materiales non intereunt, qui vobis inuitis, dixi, formas fieri ex nihilo, & in nihil redigi, pro vt præcedenti defenſione vos ipſi teſtati eſtis. Secundum, quòd forma non eſt terminus corruptionis. Quod eſſe falſum vos ipſi ſub eodem numero 66. veritate coacti confitemini §. *Ferchius ipſe à cap. 6. quamplura affert Ariſtotelis loca, in quibus loquens de formis ſubſtantialibus, aſſerit quaſdam eſſe ſeparabiles, quaſdam non.* Si hoc aſſerui cum Ariſtotele, vt rectè aſſerui, & probaui in reſolutione 6. Veſtig. cur audetis nunc mihi tribuere oppoſitum? Primò cæpiſtis conditionatè dicere, *ſi vera eſt opinio, &c.* Secundò per apparentiam *videtur relinquere vt veram*. Nunc tertiò per aſſertionem. De malo in peius ruitis. Sciebam ego non poſſe mea dicta impugnari, niſi per fallaces impoſturas à vobis contextas. *impoſturæ duæ & 5.*

Quia tamen impugnantibus eſt omninò repugnandum: Affirmo illam vniuerſalem, *omnis forma ſubſtantialis eſt ſeparabilis*, eſſe falſam: Sed vos non eſſe ſufficientes veſtris rationibus ad probandum, quòd illa ſit falſa; neque eſſe ſufficientes veſtris reponſionibus ad defendendum, quòd illa non ſit vera. Sic XIV.

enim eſt à me munita, vt vos iactare poſſitis; ſed ruinam afferre illius concluſionis non poſſitis. Agite. Incipiamus.

Offenſio *Et quidem veritas hac adeò eſt obuia, & explorata, vt ſatis eſſet eius rationibus ſatisfacere. communis enim omnium ſenſus à tot ſæculis in dubium à nullo vnquam reuocatus ſufficiens eſſet eius approbatio.*

7. Defenſio. Hoc non eſt examinare poſitiones, ſed laudare veſtram, alienam vituperare. At laus in ore proprio ſordeſcit. Non oratione, ſed ratione certandum. Opinio illa veſtra eſt communis ſenſus ſecundum quid, hoc eſt ſecundum vos. Simpliciter minimè. Ingenia ſeruilia, quæ volunt dicere, quod vnus dicit, non faciunt numerum. Ingenia libera, quę proprio iudicio ſcribunt, plura ſunt pro rationibus ſeminalibus: & hæc ingenia tenent formas coęuas in materia, & neque generari, neque corrumpi. Quanquam hoc genus argumenti à communi ſenſu non deterruerit Ariſtotelem, vel Dunſium, quin ſingulares defenderint ſententias. Sed iam duplex proæmium feciſtis. Satis. Ad rem.

Offenſio *Sed ad maiorem adhuc rei certitudinem probare libet commune placitum.*

8. Defenſio. Dum vos arguentis perſonam induitis, ego induam reſpondentis, hac lege, vt rationes ſint de penu veſtro (æmulor veſtra verba) nam ſi mea propoſueritis, talia relinquam, qualia ſunt in mea Veſtigatione ſexta.

Offenſio *Sed prius notare oportet, quod aduertit Ferchius ibidem cap. 5. num. 29. quòd apud Ariſtotelem hoc dicitur ſeparabile ab alio, quod ab eo auulſum, adhuc ſuum eſſe retinet: quod ſi per actualem diſiunctionem intereat, dicitur eſſe inſeparabile.*

9. Defenſio. Ecce tertium proæmium. In quo agnoſco mea & recipio; nunc veſtra contra me ſubnectite.

Offenſio *Probamus igitur in hoc ſenſu, non omnem formam ſubſtantialem eſſe ſeparabilem, immò omnes materiales, eo ipſo, quòd à materia diuelluntur, interire, & corrumpi.*

XV.

10. Defenſio. Sco. 4. d. 1. q. 1. Verba non res. Et quidem non omnes formas ſubſtantiales eſſe ſeparabiles, tolerari poteſt: Sed omnes materiales interire, tolerari non debet. Forma materialis eſt, quæ eſt apta nata informare

formari: ita vt aptitudo ſit, vel ex vtraque parte, vel ſaltem ex altera. Sed omne corpus animabile eſt materia apta nata recipere animam; & omnis anima eſt apta nata eſſe in propria materia 2. de anima 26. ergo etiam anima rationalis eſt forma materialis. Sed aſſerere animam rationalem, quando disiungitur à corpore interire, eſt erroneum in philoſophia, hæreticum in theologia. Quod vobis erat cauendum, qui theologiam ſcribitis loco philoſophiæ.

Reſiſtetis; quoniam anima rationalis à vobis non intelligitur inter formas materiales.

Reſpondeo hoc falſum eſſe; nam infra ad num. 38. & 39. & in offenſ. 17. ad num. 25. ipſam animam rationalem aſſeretis contra me tanquam comprehenſam in iſtis formis, de quibus inſtituitis diſputationem.

CAPVT III.

Impugnant Offenſores formarum ſeparabilitatem, & impugnationi reſiſtitur.

At penè oblitus eram ſuſcepti negotij, hoc eſt reſpondendi pro poſitione, quam impugnatis. Dico igitur contra vos omnem formam ſubſtantialem, quæ informat materiam, eſſe ſeparabilem: probate oppoſitum tandem. XVI.

Et quidem omnes huiuſmodi formas ſubſtantiales eſſe in hoc ſenſu inſeparabiles, atque adeò corruptibiles, docuit Ariſt. non ſemel 1. phyſ. tex. vlt. 2. phyſ. 12. ſecundo de anima, & alibi. Offenſio

Ad hæc non reſpondeo, quia non ſunt de penu veſtro. Locus 1. phyſ. vlt. eſt à me citatus Veſtig. 6. num. 44. vnde ſolutionem accipere poteratis. Loca ex 2. phyſ. & 2. de anima ſumpſiſtis ex eadem Veſtig. num. 15. quod & vos paulò poſt incogitanter dicetis, quando reſponſionem ad illos textus ibidem à me datam referetis. Qua etiam reſponſione tex. vlt. 1. phyſ. iterum ſoluitur. Videamus, an aliquid de veſtro opponatis. Nam duos ex iſtis textibus expendemus, poſtquam retuleritis meam reſponſionem ad iſtos. II. Defenſio.

Offenſio *Sed quid multis moramur? Ferchius ipſe à capite 6. quamplurā adducit Ariſtotelis loca, in quibus loquens de formis ſubſtantialibus aſſerit quaſdam eſſe ſeparabiles, quaſdam non, & inter alia luculentiſſimus eſt, quem adducit ex 8. met. 3.*

pag. 280

XVII. Inter *alia luculentiſſimus*, quem. Eſt ne ſolæciſmus? Nihil
12. Defenſio. moramini profectò. Neque tres textus priores veſtra mora quæſiuiſtis in Ariſtotele; neque poſteriores, quos nunc citatis. Nihil de penu veſtro. Piget, pudetque, vos eſſe promiſſores tàm vaſtos, obſeruatores tàm nullos. Mea non ſoluam, ne mihi iniuriam faciam, neue officiam veritati.

Offenſio *Si ergo apud Ariſtotelem non omnes formæ ſubſtantiales ſunt ſeparabiles, ſed aliquæ tantùm, quomodo ſine contradictione potuit vnquam aſſerere omnem formam ſubſtantialem, quatenus ab accidentali diſtinguitur, eſſe ſeparabilem, vt conuincere Ferchius intendit cap. 2. ex eodem Ariſtotele. Sanè iſtæ contradicunt. Omnis forma ſubſtantialis eſt ſeparabilis, quædam forma ſubſtantialis non eſt ſeparabilis. Si hanc ergo Ariſtoteles ſexcenties docuit, teſte Ferchio, illam docere non potuit.*

13. Defenſio. Iam à propoſitione impugnanda conuertimini ad impugnandum proponentem.

Duo autem dicitis. Primum de Ariſtotele. Secundũ de me. De Ariſtotele quidem dicitis, Si aſſeruit particularem negatiuam, ergo non potuit aſſerere vniuerſalem affirmatiuam. Papè? Scribitis nunc rem mirabilem, hoc eſt ſecretum publicum. Quis enim eſt tàm ſtupidus, qui neſciat recepto vno contradictorio, alterum reijci? Reiecto vno, alterum recipi? An hoc ſcribendum erat? In primo poſt 82. ait Philoſophus. *Non contingere ſimul aſſerere, & negare, nulla recipit demonſtratio,* nimirum hoc principium in omnibus ratione vtentibus reſidet. Cum ergo proponitur à docente, fruſtra ponitur. Si igitur in reſolutione dubitationum Veſtig. 6. cap. 6. à vobis citato docui ex Ariſt. tenẽdas eſſe duas particulares, affirmatiuã, & negatiuam: & iſtud ipſum, vt vos falſa hyperbole dicitis *ſexcenties*, vt autem ego dico, *aliquoties* probaui; apertiſſimè docui duas vniuerſales affirmatiuam, & negatiuam eſſe ab Ariſtotele reiectas. Non ergo Ariſtoteles ſibi contradixit: ſicut neque ego

in illius ſententia patefacienda.

De me falsò dicitis, quòd velim conuincere vniuerſalem affirmatiuam, ſcilicet omnem formam eſſe ſeparabilem. Id vos infrà confitebimini, quando refereris argumenta mea, quibus poteſt impugnari illa vniuerſalis affirmatiua. XVIII.

Dicam interea ex Ariſtotele in 3. met. 1. *Eſt autem operæpretium aliquid facultatis habere volentibus, benè dubitare, nam poſterior facultas ſolutio eorum eſt, quæ antea dubitata ſunt*. Et infrà *Melius ſe habere neceſſe eſt illum ad iudicandum, qui tanquam aduerſarios, omnes vtrinq; rationes oppoſitas audiat*. Parui monitis tanti Philoſophi, & in Veſtig. 6. propoſui primò rationes pro vniuerſali affirmatiua illa, *omnis forma ſubſtantialis eſt ſeparabilis*. ſecundò rationes pro vniuerſali negatiua contraria, videlicet *nulla forma ſubſtantialis eſt ſeparabilis*: vt lector, veluti iudex, expenſis pro vtraque parte rationibus, placidè ab extremis, ideſt à contrarijs, ad medias, hoc eſt ad ſubcontrarias ab Ariſt. approbatas, deſcenderet: recipiendo iſtas cum Ariſt. *quædam forma ſubſtantialis eſt ſeparabilis ſimpliciter, quadã non*. Ex reſolutione agnoſcitur, quid velim conuincere, non ex dubitatione, vt alias dictũ. 3. met. 1.

Cumque aperuerim ex Ariſtotelis textibus, etiam luculentiſſimis (vti vos affirmatis) receptas eſſe duas particulares, quaſdam formas, ſubſtantiales videlicet, eſſe ſimpliciter ſeparabiles, quaſdam non; incaſſum proponentem accuſatis, ſicut fruſtrà propoſitam concluſionem impugnaſtis.

Num 67. *Inuenit hic Author effugium quoddam ad eludenda omnia Ariſtotelis teſtimonia, inquit enim ab initio capitis 2 poſſe quamlibet formam ſubſtantialem conſiderari dupliciter vel ſecundum eſſe perfectum; vel ſecundum eſſe præcisè; tunc forma dicitur habere eſſe perfectum, quando habet accidentia ſibi conuenientia, quæ ſunt eius inſtrumenta in agendo, & patiendo: forma verò ſecundum ſe conſideratur præcisè ſecundum eſſe ſuum ſubſtantiale, nullo ſpectato accidente.* Offenſio

Hinc poſtea in fine capitis, cum ei obijcitur Ariſtoteles 2. phyſ. & 2. de anima, & alibi aſſerens formas inſeparabiles, reſpondet, ſecundum eſſe perfectam inſeparabiles eſſe, ratione accidentis conſequentis:

tis : ſecundum ſe , & ſecundum eſſe imperfectum ſeparabiles , atque æternas fore.

XIX. 14. Defenſio. In hac poſtrema parte veſtræ offenſionis dicitis, *cum ei obijcitur :* quarè non ſcribitis, à quo obijcitur? Debebatis enim dicere à me obiectiones eſſe factas : vt inde cognoſceretur iſtos textus per vos fuiſſe ex meo libro tranſcriptos. Nam hæc eadem verba, & in meo, & in veſtro libro ſunt 2. *phyſicorum, & 2. de anima, & alibi.* Ex quo veſtrorum ſterilitas ingeniorum appareat, & ſinceritas in referendo authores, per quos proficitis.

Sed quia ego libros citaui, non textum : vos ex numero 21. apud me inueniſtis citari 2. phyſ. tex. 12. ideò adiunxiſtis numerum ipſius textus. Quia in Veſtig. 6. non citaui locum 2. de anima, vos illum inuenire non valuiſtis. Quoniam igitur indiligentes fuiſtis contra me, nolo ego eſſe diligens pro vobis. Tunc tex. ex 2. de anima ponderabo, quando illum deſignaueritis.

Illud moneo me Veſtigat. 6. num. 15. ad iſtas obiectiones propoſitione ibi probata duo dediſſe reſponſa.

Primum, formæ ſecundum eſſe perfectum ſunt inſeparabiles, ſecundum imperfectum, ſeparabiles.

Secundum, formæ ſubſtantiales ex ſui natura ſunt ſeparabiles, ex modo conſiderandi phyſicæ, inſeparabiles.

Neque ſine arte citaui librum, non citato textu : quoniam in 2. phyſ. tres ſunt loci contra illam vniuerſalem, omnis forma eſt ſeparabilis; primus in tex. 12. ſecundus in tex. 18. & 19. tertius in tex. 26. Et quamuis vtraque reſponſio ad omnia loca iſta valeat accommodari : prior tamen reſponſio reſpicit ſpecialiter duos priores locos : poſterior autem reſponſio reſpicit ſecundum, ac tertium locum, À qui tertius etiam ibidem expreſsè citatur Veſtigatione 6. num. 15.

CA-

CAPVT IV.

Declarantur duo Textus Ariſtotelis, emendicati ab Offenſoribus ex Ferchio.

VErum enim verò duos ex iſtis locis promiſi me conſideraturum. Producatur textus vltimus 1. phyſicorum. XX. *primo phy. vlt.*

De principio autem ſecundum formam, vtrum vnum, an plura, & quot, aut quæ cum diligentia 1. philoſophia opus eſt determinare: quapropter in illud tempus reponatur. De phyſicis autem, & corruptibilibus formis in poſterius demonſtrandis dicemus. Quòd igitur ſint principia, & quæ, & quot numero, determinatum ſic à nobis ſit. Rurſus autem autem aliud principium capientes dicamus. Hæc Ariſtoteles.

Primò probare volebatis, per iſtum textum non omnem formam ſubſtantialem eſſe ſeparabilem. Atqui neque vocabulum *ſeparabile*, aut *inſeparabile* in iſto textu adeſt.

Secundò in illa parte textus, quæ de formis eſt, ſunt duæ particulæ. In prima agitur de principio ſecundum formam: & hoc principium rerum naturalium eſt forma ſubſtantialis, cuius conſideratio ad primam philoſophiam reponitur. In ſecunda particula de formis naturalibus, & corruptibilibus, quæ quidem ſunt formæ accidentales illæ, de quibus demonſtrandum eſt in poſterioribus partibus phyſicorum.

Probo autem in hac 2. particula ſermonem eſſe de formis accidentalibus. Sit ratio. XX.I

Prima. Quod eſt reſeruatum primæ philoſophiæ in priori particula, hoc non eſt concedendum ſecundæ philoſophiæ in poſteriori particula. Sed conſideratio de formis ſubſtantialibus reſeruata eſt primæ philoſophiæ in priori particula: igitur in poſteriori particula non conceditur conſideratio de forma ſubſtantiali, quæ eſt vnum ex tribus principijs naturalium philoſophiæ ſecundæ. Igitur relinquitur conſideratio de formis accidentalibus philoſophiæ naturali.

Secun-

Secunda ex primo poſt. 57. Demonſtratio declarat per ſe accidentia, nam forma ſubſtantialis eſt principium demonſtrationis per 7. met. cap. vlt. Iam verò textus productus loquitur de formis demonſtrandis, ergo de accidentalibus.

Tertiò ex ſigno. Diuiſis libris octo phyſicorum in duos de principijs, & in ſex de rebus demonſtratis per principia; duo priores non ſunt verè pertinentes ad ſcientiam naturalem, quandoquidem nulla ſcientia particularis diſſerit de proprijs principijs ex 1. poſt. 70. & 4. met. 8. & 6. met. 1. At verò in ſex libris phyſicorum poſterioribus tractatur de motu, infinito, loco, tempore, continuo, perennitate: quæ ſunt accidentia naturalium, non formæ ſubſtantiales; ergo Philoſophus per formas phyſicæ aſſignatas intelligit formas accidentales.

XXII. Quartò natura, & naturale non ſunt idem: natura eſt principium; naturalia ſunt vel compoſita ex ipſa natura, vel per ſe accidentia, quæ ſecundum naturam inſunt, vt igni ferri ſurſum: quæ differentia colligitur à 2. phyſ. tex. 3. & 5. Ariſtoteles autem affirmat ſe locuturũ in poſterius demonſtrandis de formis naturalibus, non de natura, ideſt non de forma ſubſtantiali, quæ eſt natura; ſed de formis naturalibus ex natura principiatis.

Quintò ad agendum de formis naturalibus, & corruptibilibus in vltima parte textus Ariſtoteles indicat ſe velle facere nouum principium. Facit illud initio 2. libri dicens. *Eorum, quæ ſunt, alia natura conſtant, alia propter alias cauſas.* Natura conſtant, quæ habent in ſe principium motus, & ſtatus ſecundum locum, augmentum, alterationem; ideſt de vbi, quanto, quali, tanquam de formis terminantibus hoſce motus naturales, agendũ.

XXIII. Quocirca hic textus vltimus 1. phyſ. phyſicæ ſcientiæ concedit tractationem de formis accidentalibus, quæ ſunt termini motuum, ſunt naturales, & corruptibiles, atque adeò inſeparabiles. In prima parte textus ad metaphyſicam reducuntur formæ ſubſtantiales, ergo illæ ſunt ſeparabiles. Probatur conſequentia; metaphyſici proprium eſt conſiderare ſeparabilia re, & ratione iuxta 6. met. textibus 2. & 3. Item 11. met. ſumma 3. cap. 1. primo de anima 16. & 17. metaphyſicæ verò aſſignatur principium, quod eſt forma ſubſtantialis, ſiuè conſiderandũ

in genere, ſiuè in ſpecie, & quantum ad quantitatem, & quantum ad qualitatem ſpecificam; igitur principium, quod eſt forma ſubſtantialis vniuerſaliter, & in genere, & in ſpecie, eſt ſeparabile re, & ratione; quæ eſt poſitio, quam ego defendo ex iſto textu, ex quo vos eam impugnare credebatis.

Corollariũ, ſiue legamus cũ græco textu *De formis naturaliũ, & corruptibilium*, locutio eſt de formis accidentalibus, quæ præſupponunt naturalia tanquam ſubiecta in ſuo eſſe conſtituta; ſiuè legamus cum verſione latina. *De formis phyſicis* (ideſt naturalibus) *& corruptibilibus*, hoc non debet intelligi, niſi de formis accidentalibus, quæ ſunt corruptibiles, & ratione quarum, formæ ſubſtantiales ſecundum ſe incorruptibiles, dici poſſunt corruptibiles. Quapropter reſponſio data pro poſitione quòd formæ ſubſtantiales ſecundum ſe ſunt ſeparabiles, & incorruptibiles: ſecundum accidentia ſunt inſeparabiles, & corruptibiles appoſitè ad hunc textum accommodatur.

Locus 2. phyſ. 12. reuera tractat de ſeparabilitate, & inſeparabilitate formarum Platonica. Quoniam Ariſtoteles ita iacit fundamenta ſuæ philoſophiæ, vt eam diſtinguat à philoſophia Platonis. Plato ponebat formas naturalium ſeparabiles, ſeparabilitate illa ſua, quam Veſtigat. 6. cap. 5. expoſui. Quo pacto Ariſtoteles in 2. phyſ. 12. nec non in 18. & 19. nullam formam, quæ ſit natura, concedit eſſe ſeparabilem re, ſed ſolùm ratione ſeparabilem dicit, etiam loquendo de intellectiua. Reiecta verò à formis ſeparabilitate Platonica rei, & retenta ſeparabilitate rationis ſola, vt opponitur ſeparabilitati rei Platonicæ; quid in Ariſtotelis philoſophia ſit ſentiendum de ſeparabilitate formarum ſubſtantialium, in textibus iſtis non profertur. Proinde hic textus non citatur ad propoſitum. Si quis autem contendat eſſe ad propoſitum, ſolutio per vos relata ex mea Veſtig. 6. optima eſt, loqui Ariſtotelem de forma ſubſtantiali ſecundum eſſe perfectum; nam ſic res definiendæ ſunt 6. Top. loco 86. at ſecundum eſſe imperfectum, & præciſum omnis forma ſubſtantialis eſt ſeparabilis. Præterea proprius character ſubſtãtiæ, vt ab accidente diſtinguitur, eſt, quòd ſola ſubſtantia eſt ſeparabilis, nullũ accidens eſt ſeparabile: nimirũ re, nam ratio- XXIV. 2. Locus conſiderãdus.

ne ſolùm accidens eſt ſeparabile 1. phyſ. 14. 7. meth. 4. & 12. meth. 3. Ab hoc proprio charactere accidentis, pro vt à ſubſtantia diſtinguitur, denotat Philoſophus in 2. phyſ. 12. ſubſtantiam ibi non accipi ſecundum ſe, & ſecundum eſſe præciſum; ſed ſecundum eſſe perfectum. Nam ſecundum illud eſt ratione ſolùm ſeparabilis, & ſubſtantia omnis: & inter ſubſtantias forma ipſa ſubſtantialis. Hoc eſt effugium à me inuentum. Quam laudem inuentionis libentius vobis concederem, quàm à vobis reciperem. Quid vos contra hoc effugium?

CAPVT V.

Effugium Ferchij, vt Offenſores vocant, ab eis non præcludi.

Offenſio 15. Defenſio. *SAnè hæc eſt euidens teſtimoniorum Ariſtotelis eluſio.* Proponitis, & non probatis. Igitur iuxta officium reſpondentis dico illam reſponſionem non eſſe eluſionem; ſed veram ſolutionem veſtrarum obiectionum, ſi tamen veſtrarum. Meæ ſunt inuentione, veſtræ compilatione.

Offenſio *In conſultò nanque aſſeruiſſet toties quaſdam formas ſeparabiles eſſe, quaſdam non: quia ſecundum eſſe perfectum, omnes ſunt inſeparabiles, ſecundum eſſe imperfectum omnes ſeparabiles.*

XXV. 16. Defenſio. Si aduerto particulam, *nanque*, videtur hæc eſſe probatio præcedentis aſſumpti à vobis, quod tale erat; *hoc effugium Ferchij eſt euidens eluſio teſtimoniorum Ariſtotelis*. Quod ſi hoc proponatur nunc tanquam probatio, & nego antecedens aſſumptum, & nego conſequentiam. Nego conſequentiam. Dato enim, quòd Ariſtoteles inconſultò ſcripſiſſet, non ſequitur, ergo ſolutio Ferchij eſt eluſio; immò ſequitur, eſt conſultiſſima ſolutio eorum, quæ ab Ariſtotele inconſultò dicta ſunt. Conſultè enim reijciuntur dicta inconſultè. Nego tamen antecedens, quòd Ariſtoteles incōſultò aſſeruiſſet toties, quaſdā formas eſſe in ſeparabiles, quaſdam non. Vos pro more proponitis, non probatis, quarè principium petitis.

Interea quod ratione non probatis, ego ratione reprobabo.

Supponantur, vti vultis, illæ duæ vniuerſales, *omnes formæ ſecundum eſſe imperfectum ſunt ſeparabiles, nullæ ſecundum eſſe perfectum ſunt ſeparabiles*. Deinceps regredimini ad primum tractatum ſumularum. Lex, & natura ſubalternarum talis eſt, quòd ſi vniuerſalis eſt vera, particularis erit vera. Sunt veræ illæ duæ vniuerſales ſubalternantes præſuppoſitæ, ergo & particulares iſtæ duæ erunt veræ; quædam formæ ſecundum eſſe imperfectum ſunt ſeparabiles, quædam ſecundum eſſe perfectum non ſunt ſeparabiles. Nunc autem doctor veritatis conſultè facit, ſi poſt traditam veritatem de vniuerſalibus, cum opportunum fuerit, producat veritatem de particularibus. Conſultò igitur Ariſtoteles aliquoties dixit, quaſdam formas eſſe ſeparabiles, quaſdam non; nempè in ſenſu dato.

Si autem rem attendo, hæc veſtra offenſio non eſt probatio XXVI, præcedentis: quia nulla eſt connexio inter iſta, *Diſtinctio Ferchij eſt eluſio teſtimoniorum Ariſtotelis*: Probatur, quia *inconſultò Ariſtoteles ſcripſiſſet toties, quaſdam formas eſſe ſeparabiles, quaſdam non*. Tam ſunt iſta connexa, quàm delphinus cum boue, vt prouerbio dicitur.

Cæterùm veſtri officij erat ex textibus allegatis ſpecialiter, impugnare meam diſtinctionem tanquam non rectè ſoluentem. Sed defectu propriorum ad generalia tranſilijſtis. Nam iſto pacto ad omnia poteſt fieri obiectio Exemplum. Cum Scotus diſtinguit naturam, à qua motus naturalis dicitur, & naturam pro agente naturali; dicam eſſe eluſionem teſtimoniorũ Ariſtotelis ad defendendum, quòd natura ſit principium paſſiuum. Subiungam, quoniam inconſultò Ariſtoteles toties dixiſſet naturam eſſe principium motus, & quietis intrinſecum, ſicut eſſet ars, ſi eſſet principium intrinſecum. &c.

Accedit, quòd in ſententia docente potentias animæ eſſe accidentia, ſolutio nulla eſt: quia anima rationalis has ſecum defert, atque ideò etiam ſecundum eſſe perfectum eſt ſeparabilis. Offenſio

Non ſemel in hoc peccatum incidit is, vt velitis defenſorem 17. Defenſio. vnius contradictorij cogere ad defenſionem alterius contradictorij. An hoc ſit ingenij vigilantis, an dormitantis, vos videritis. Ego cum S. Bonau. in 1. diſt. 3. quæſt. 7. & 2. diſt. 24. quæſt. 3.

Nn nec

ne ſolùm accidens eſt ſeparabile 1. phyſ. 14. 7. meth. 4. & 12. meth. 3. Ab hoc proprio charactere accidentis, pro vt à ſubſtantia diſtinguitur, denotat Philoſophus in 2. phyſ. 12. ſubſtantiam ibi non accipi ſecundum ſe, & ſecundum eſſe præciſum; ſed ſecundum eſſe perfectum. Nam ſecundum illud eſt ratione ſolùm ſeparabilis, & ſubſtantia omnis: & inter ſubſtantias forma ipſa ſubſtantialis. Hoc eſt effugium à me inuentum. Quam laudem inuentionis libentius vobis concederem, quàm à vobis reciperem. Quid vos contra hoc effugium?

CAPVT V.

Effugium Ferchij, vt Offenſores vocant, ab eis non precludi.

Offenſio 15. Defenſio.

SAnè hæc eſt euidens teſtimoniorum Ariſtotelis eluſio. Proponitis, & non probatis. Igitur iuxta officium reſpondentis dico illam reſponſionem non eſſe eluſionem; ſed veram ſolutionem veſtrarum obiectionum, ſi tamen veſtrarum. Meæ ſunt inuentione, veſtræ compilatione.

Offenſio *In conſultò nanque aſſeruiſſet toties quaſdam formas ſeparabiles eſſe, quaſdam non: quia ſecundum eſſe perfectum, omnes ſunt inſeparabiles, ſecundum eſſe imperfectum omnes ſeparabiles.*

XXV. 16. Defenſio.

Si aduerto particulam, *nanque*, videtur hæc eſſe probatio precedentis aſſumpti à vobis, quod tale erat; *hoc effugium Ferchij eſt euidens eluſio teſtimoniorum Ariſtotelis*. Quod ſi hoc proponatur nunc tanquam probatio, & nego antecedens aſſumptum, & nego conſequentiam. Nego conſequentiam. Dato enim, quòd Ariſtoteles inconſultò ſcripſiſſet, non ſequitur, ergo ſolutio Ferchij eſt eluſio; immò ſequitur, eſt conſultiſſima ſolutio eorum, quæ ab Ariſtotele inconſultò dicta ſunt. Conſultè enim reijciuntur dicta inconſultè. Nego tamen antecedens, quòd Ariſtoteles incõſultò aſſeruiſſet toties, quaſdã formas eſſe in ſeparabiles, quaſdam non. Vos pro more proponitis, non probatis, quarè principium petitis.

Interea quod ratione non probatis, ego ratione reprobabo.

Sup-

Supponantur, vti vultis, illæ duæ vniuerſales, *omnes formæ ſecundum eſſe imperfectum ſunt ſeparabiles, nullæ ſecundum eſſe perfectum ſunt ſeparabiles*. Deinceps regredimini ad primum tractatum ſumularum. Lex, & natura ſubalternatum talis eſt, quòd ſi vniuerſalis eſt vera, particularis erit vera. Sunt veræ illæ duæ vniuerſales ſubalternantes præſuppoſitæ, ergo & particulares iſtæ duæ erunt veræ; quædam formæ ſecundum eſſe imperfectum ſunt ſeparabiles, quædam ſecundum eſſe perfectum non ſunt ſeparabiles. Nunc autem doctor veritatis conſultè facit, ſi poſt traditam veritatem de vniuerſalibus, cum opportunum fuerit, producat veritatem de particularibus. Conſultò igitur Ariſtoteles aliquoties dixit, quaſdam formas eſſe ſeparabiles, quaſdam non; nempè in ſenſu dato.

Si autem rem attendo, hæc veſtra offenſio non eſt probatio præcedentis: quia nulla eſt connexio inter iſta, *Diſtinctio Ferchy eſt eluſio teſtimoniorum Ariſtotelis*: Probatur, quia *inconſultò Ariſtoteles ſcripſiſſet toties, quaſdam formas eſſe ſeparabiles, quaſdam non*. Tam ſunt iſta connexa, quàm delphinus cum boue, vt prouerbio dicitur. XXVI.

Cæterùm veſtri officij erat ex textibus allegatis ſpecialiter, impugnare meam diſtinctionem tanquam non rectè ſoluentem. Sed defectu propriorum ad generalia tranſilijſtis. Nam iſto pacto ad omnia poteſt fieri obiectio Exemplum. Cum Scotus diſtinguit naturam, à qua motus naturalis dicitur, & naturam pro agente naturali; dicam eſſe eluſionem teſtimoniorũ Ariſtotelis ad defendendum, quòd natura ſit principium paſſiuum. Subiungam, quoniam inconſultò Ariſtoteles toties dixiſſet naturam eſſe principium motus, & quietis intrinſecum, ſicut eſſet ars, ſi eſſet principium intrinſecum. &c.

Accedit, quòd in ſententia docente potentias animæ eſſe accidentia, ſolutio nulla eſt: quia anima rationalis has ſecum defert, atque ideò etiam ſecundum eſſe perfectum eſt ſeparabilis. Offenſio

Non ſemel in hoc peccatum incidítis, vt velitis defenſorem vnius contradictorij cogere ad defenſionem alterius contradictorij. An hoc ſit ingenij vigilantis, an dormitantis, vos videritis. Ego cum S. Bonauen. 1. diſt. 3. quæſt. 7. & 2. diſt. 24. quæſt. 3. 17. Defenſio.

nec non cum Scoto in 2. diſt. 16. quæſt. 1. ſuſtineo potentias animę rationalis eſſe eaſdem ſubſtantialiter cum ipſamet anima.

In hac ſententia ſolutio data eſt validiſſima, præſertim cum S. Bonau. formarum inchoationes teneat, hoc eſt formas eſſe ingenerabiles, & incorruptibiles; quid oppoſitæ ſententiæ authores teneant, ſcire mea nihil refert.

At authores oppoſitæ ſententiæ hac veſtra inſtantia non læduntur, etiam ſi tenerent (quod non tenent) formas omnes eſſe ſeparabiles. Profectò Aquinas in 4. diſt. 43. art. 1. quæſtiuncula 1. ad 4. & lib. 4. contra gentes cap. 79. affirmat partem extra totum eſſe imperfectam. Et ſubtilis Doctor aſſentitur quodammodo in 4. di 3. quæſt. 4. litera Q. & quolib. 9. M. Capreolus proinde in 4. diſt. 43. quæſt. 1. egregiè, & accuratè collectis locis ex Doctore Angelico probat animam rationalem extra totum eſſe imperfectam. Quarè propter quædam accidentia ſecum allata, ommiſſis tamen multis, non eſſet ſeparata ſecundum eſſe perfectum.

XXVII. Animaduertitis ne vos ad hanc inſtantiam, quam facitis? ſuperius, vt in fine capitis primi retuli diſputatio eſt inſtituta de formis materialibus, quæ ſi auellantur à corpore, intereunt.

Nunc animã rationalem adducitis. Eſtis ne Alexandrei, etiam in Theologia, quam ſcribitis, & verè creditis animam rationalem eſſe mortalem, quando ſeparatur à corpore? Sed qui tenent rationes ſeminales dicunt intellectum extrinſecùs accedere, quia non continetur intra ſeminarium, ergo etiam hoc modo extra propoſitum adducitis animam rationalem.

Vt autem ſoluatur hoc veſtrum argumentum ſimpliciter, iuxta ſuppoſitionem opinionis a vobis impugnatæ; affero Ariſt. in 5. metaph. 21. dicentem. *Vnumquodque tunc perfectum* 5. met. t. 21. *eſt, cunctaque ſubſtantia tunc perfecta, cum ſecundum ſpeciem propriæ virtutis nulla deſit particula magnitudinis naturalis.* Cum igitur deſunt in materia prima ſeu mediatè, ſeu immediatè diſpoſitiones requiſitæ ad corpus humanum, ad vegetalem, & ſenſualem contentas in rationali vtcunque, cum deeſt facultas mouendi corpus humanum, memorandi, reminiſcendi, cogitandi, amandi, odiendi, quæ ſunt totius compoſiti humani: tunc

anima

anima rationalis, & ſi conſeruet intellectum, & voluntatem, quæ non ſunt actus alicuius partis corporis, magnam partem naturalis virtutis amiſit, & non eſt perfecta ſimpliciter. Tamet ſi etiam in illo erratis, quòd ſupponitis contra opinionem animam rationalem ſeparari à materia, & deferre ſecum potentias; quæ ſuppoſitio eſt mera petitio principij contra opinionem, quę ſuſtinet omnem formam eſſe ſeparabilem, nullam tamen ſeparari: qualis opinio explicata eſt cap. 2. Veſtig. 6.

Iuxtà hoc fundamentum, ſeruata prudenter proportione ad principia, Thomiſtæ dicent animam rationalem ſeparatam eſſe imperfectam, primò quia actu non informat materiam; ſecundò non largitur ei gradum corporeitatis, formæ elementaris, formæ mixti ſimilaris, formæ mixti diſſimilaris, vegetalis, ſenſualis, neque etiam gradum eſſentialem animæ intellectiuæ, neque accidentia iſtorum gradum, neque actiones, aut paſſiones competentes. Neque recipit à ſenſibus cognitionem, vel ſpeciem, vel affectus, & alia huiuſmodi multa. Quarè etiam ſi anima ſeparetur, imperfectiſſima eſt, quò ad accidentia ſibi conuenientia. Et iuxta poſitionem (quam defendo pro nunc) manet in eſſe imperfecto, quoniam nihil prorſus agit in corpus, aut recipit à corpore; ſed eſt ſicuti tabula raſa, vſquequo accidentia ſibi congruentia habeat. XXVIII

Dicet quiſpiam, ergo iuxtà iſtam poſitionem nulla erit differentia inter animam intellectiuam, & cæteras formas.

Reſpondeo; immò erit, quoniam per potentias, quæ non ſunt actus corporis, anima poterit agere, quod aliæ formæ non poterunt, quoniam tales potentias non habent. Intellectus ab extrinſeco efficiente vnietur corpori, vt per corpus agat, vel cum corpore: quæ vnio in alijs formis fieri poterit à ſecundis agentibus.

CAPVT VI.

Digreſſio ab Offenſoribus facta contra Ferchium proponentem, & conſequens defenſio.

Offenſio *SI dicat, ipſum non aſſeruiſſe illam vniuerſalem affirmatiuam, ſed probaſſe dumtaxat diſputatiuè procedendo.*

18. Defenſio. Locutio illa *Si dicat, ipſum non aſſeruiſſe*, latinè erat ſcribenda, *ſi dicat ſe non aſſeruiſſe*: ſolæciſmus vobis eruditiſſimis familiaris meam excuſabit ruditatem.

Sed quæ nunc ſcribitis, ego non dixi. Quis vobis hæc inſtillauit? Nimirum ipſa res, ipſa veritas vos compulit videre, hæc eſſe dicta diſputatiuè procedendo, non aſſertiuè. Veritas hoc exclamabat; ſed voluntas aure ſurda non audiebat.

Offenſio *Non ſufficit, quia ſoluit rationes pro vniuerſali negatiua, ergo etiam ſoluere debebat, quæ faciebant pro vniuerſali affirmatiua.*

19. Defenſio. Reſpondeo, concedo antecedens, nego conſequentiam: quam cum non probetis pro vobis, ergo contra vos reprobabo. Sed quis crederet vos tam crebrò petere principium?

XXXIV. 1. de part. cap. 1.] Nunc & ad hominẽ, & ad rem agã. Sit fundamentũ. *Finis imponit neceſſitatem ijs, quæ ſunt ad finem*: vnde qui habet aliquem finem ſibi præſtitutum, is debet adhibere neceſſaria, vel vtilia ad finem: & debet remouere aduerſantia ipſi fini. Quamobrem cum in 6. Veſtig. finis mihi propoſitus eſſet *forma ſeparabilis*, vt ex titulo patet; opinio Alexandreorum, ideſt Veſtratum, quæ tenet nullam formam eſſe ſeparabilem, directè aduerſatur meo fini. Ideò debui ſoluere, & prout debebam, ſolui argumenta pro Alexandreis. Non omnia: Nam hoc fuiſſet operis nimis magni, non tamen prolixi. Sed hoc exactiſſimè peregit Vir inter Peripateticos noſtri ſæculi præcellentiſſimus, & omni bonarum genere doctrinarum exculti ſſimus: operum admirabilitate, varietate, profunditate ſingulariſſimus Dominus Fortunius Licetus, qui in ſuo libro de animorum immortalitate, omnia, quæ ab Alexandreis prolata ſunt, vel proferri poſſunt, argumenta, non verborum multitudine, ſed virium, veritatum, rationum,

Licetus.

tionum,

tionum, pleniſſimè reſoluit. Ego quoſdam viros tantùm poſt ipſum conſiderandos aſſumpſi. Quæ autem opinio tenet omnẽ formam eſſe ſeparabilem, non aduerſatur formæ ſeparabili, immò coadiuuat finem meum; nam qui concedit vniuerſalem ſubalternantem, ſubalternatam particularem omninò concedit. Ergo ex iure finis non naſcitur debitum ſoluendi, quæ non ſunt contraria, vel contradictoria fini.

Volui deinde ità facere, vt oſtenderem ex Ariſtotele multò probabiliorem eſſe vniuerſalem affirmatiuam Alexandreis contrariam, quàm ſit vniuerſalis negatiua Alexandreorum. XXX.

Volui tertiò Ariſtoteli obtemperare in 2. ad Nicomachum cap. vlt. qui viam deueniendi ad medium virtutis, docuit eſſe ipſum deflectere ad extremum illius oppoſiti, ad quod inclinamur. Sic virgam, quæ ad ſiniſtram vergat, inclinamus ad dexteram, vt in medio recta conſiſtat. Sic monent D. Bonau. & Scot. in 2. diſt. 33. Videbam Alexandreos multos ad hoc malum inclinatos, vt crederent animam intellectiuam eſſe mortalem, & inſeparabilem, fundari in vniuerſali negatiua, *Nulla forma eſt ſeparabilis*. Quod quidem magnopere Ariſtoteli, & veritati aduerſatur. Vt ergo mentes Peripateticorum ad hanc veritatem *quædam forma ſubſtantialis eſt ſeparabilis ſimpliciter, & incorruptibilis*, adducerem, inclinaui ad extremum contrarium, & pro viribus oſtendi, omnem formam ſubſtantialem eſſe ingenerabilem, incorruptibilem, & ſeparabilem, vt mens lectoris grauata in hanc partem, longè facilius ad veritatem intentam, hoc eſt ad formam ſeparabilem cum Ariſtotele tenendam accederet. Proinde & facillimam dedi viam, effugium à vobis dictam, exoluendi ſe ab omnibus vinculis Alexandreorum: & viam inſtitui retinendi ſe in hac veritate, *anima rationalis eſt immortalis*; præter vias veras, & probandi, & defendendi iuxta veritatem in reſolutione Veſtigationis.

Denique Alexandreus quidam, nempè veſter Doctor, argumenta pro hac propoſitione negatiua, *anima nõ eſt mortalis*, omnia ſoluit. Argumenta pro hac affirmatiua, *anima eſt mortalis*, nulla ſoluere voluit: relinquens hoc negotium aduerſarijs. Par pari referre volui. Argumenta Alexandreorum, quæ probant

ani-

tis : ſecundum ſe , & ſecundum eſſe imperfectum ſeparabiles , atque æternas fore.

XIX. 14. Defenſio. In hac poſtrema parte veſtræ offenſionis dicitis, *cum ei obijcitur :* quarè non ſcribitis. à quo obijcitur ? Debebatis enim dicere à me obiectiones eſſe factas : vt inde cognoſceretur iſtos textus per vos fuiſſe ex meo libro tranſcriptos. Nam hæc eadem verba, & in meo, & in veſtro libro ſunt 2. *phyſicorum*, & 2. *de anima*, & *alibi*. Ex quo veſtrorum ſterilitas ingeniorum appareat, & ſinceritas in referendo authores, per quos proficitis.

Sed quia ego libros citaui, non textum : vos ex numero 21. apud me inueniſtis citari 2. phyſ. tex. 12. ideò adiunxiſtis numerum ipſius textus. Quia in Veſtig. 6. non citaui locum 2. de anima, vos illum inuenire non valuiſtis. Quoniam igitur indiligentes fuiſtis contra me, nolo ego eſſe diligens pro vobis. Tunc tex. ex 2. de anima ponderabo, quando illum deſignaueritis.

Illud moneo me Veſtigat. 6. num. 15. ad iſtas obiectiones propoſitione ibi probata duo dediſſe reſponſa.

Primum, formæ ſecundum eſſe perfectum ſunt inſeparabiles, ſecundum imperfectum, ſeparabiles.

Secundum, formæ ſubſtantiales ex ſui natura ſunt ſeparabiles, ex modo conſiderandi phyſicæ, inſeparabiles.

Neque ſine arte citaui librum, non citato textu : quoniam in 2. phyſ. tres ſunt loci contra illam vniuerſalem, omnis forma eſt ſeparabilis ; primus in tex. 12. ſecundus in tex. 18. & 19. tertius in tex. 26. Et quamuis vtraque reſponſio ad omnia loca iſta valeat accommodari : prior tamen reſponſio reſpicit ſpecialiter duos priores locos : poſterior autem reſponſio reſpicit ſecundum, ac tertium locum, qui tertius etiam ibidem expreſsè citatur Veſtigatione 6. num. 15.

CA-

CAPVT IV.

Declarantur duo Textus Ariſtotelis, emendicati ab Offenſoribus ex Ferchio.

VErum enim verò duos ex iſtis locis promiſi me conſideraturum. Producatur textus vltimus 1. phyſicorum. XX. *primo phy. vlt.*

De principio autem ſecundum formam, vtrum vnum, an plura, & quot, aut quæ cum diligentia 1. philoſophia opus eſt determinare: quapropter in illud tempus reponatur. De phyſicis autem, & corruptibilibus formis in poſterius demonſtrandis dicemus. Quòd igitur ſint principia, & quæ, & quot numero, determinatum ſic à nobis ſit. Rurſus autem autem aliud principium capientes dicamus. Hæc Ariſtoteles.

Primò probare volebatis, periſtum textum non omnem formam ſubſtantialem eſſe ſeparabilem. Atqui neque vocabulum *ſeparabile*, aut *inſeparabile* in iſto textu adeſt.

Secundò in illa parte textus, quæ de formis eſt, ſunt duæ particulæ. In prima agitur de principio ſecundum formam: & hoc principium rerum naturalium eſt forma ſubſtantialis, cuius conſideratio ad primam philoſophiam reponitur. In ſecunda particula de formis naturalibus, & corruptibilibus, quæ quidem ſunt formæ accidentales illæ, de quibus demonſtrandum eſt in poſterioribus partibus phyſicorum.

Probo autem in hac 2. particula ſermonem eſſe de formis accidentalibus. Sit ratio. XX.I

Prima. Quod eſt reſeruatum primæ philoſophiæ in priori particula, hoc non eſt concedendum ſecundæ philoſophiæ in poſteriori particula. Sed conſideratio de formis ſubſtantialibus reſeruata eſt primæ philoſophiæ in priori particula: igitur in poſteriori particula non conceditur conſideratio de forma ſubſtantiali, quæ eſt vnum ex tribus principijs naturalium philoſophiæ ſecundæ. Igitur relinquitur conſideratio de formis accidentalibus philoſophiæ naturali.

Secun-

Secunda ex primo poſt. 57. Demonſtratio declarat per ſe accidentia, nam forma ſubſtantialis eſt principium demonſtrationis per 7. met. cap. vlt. Iam verò textus productus loquitur de formis demonſtrandis, ergo de accidentalibus.

Tertiò ex ſigno. Diuiſis libris octo phyſicorum in duos de principijs, & in ſex de rebus demonſtratis per principia; duo priores non ſunt verè pertinentes ad ſcientiam naturalem, quandoquidem nulla ſcientia particularis diſſerit de proprijs principijs ex 1. poſt. 70. & 4. met. 8. & 6. met. 1. At verò in ſex libris phyſicorum poſterioribus tractatur de motu, infinito, loco, tempore, continuo, perennitate: quæ ſunt accidentia naturalium, non formæ ſubſtantiales; ergo Philoſophus per formas phyſicæ aſſignatas intelligit formas accidentales.

XXII. Quartò natura, & naturale non ſunt idem: natura eſt principium; naturalia ſunt vel compoſita ex ipſa natura, vel per ſe accidentia, quæ ſecundum naturam inſunt, vt igni ferri ſurſum: quæ differentia colligitur à 2. phyſ. tex. 3. & 5. Ariſtoteles autem affirmat ſe locuturũ in poſterius demonſtrandis de formis naturalibus, non de natura, ideſt non de forma ſubſtantiali, quæ eſt natura; ſed de formis naturalibus ex natura principiatis.

Quintò ad agendum de formis naturalibus, & corruptibilibus in vltima parte textus Ariſtoteles indicat ſe velle facere nouum principium. Facit illud initio 2. libri dicens. *Eorum, quæ ſunt, alia natura conſtant, alia propter alias cauſas*. Natura conſtant, quæ habent in ſe principium motus, & ſtatus ſecundum locum, augmentum, alterationem; ideſt de vbi, quanto, quali, tanquam de formis terminantibus hoſce motus naturales, agendũ.

XXIII. Quocirca hic textus vltimus 1. phyſ. phyſicæ ſcientiæ concedit tractationem de formis accidentalibus, quæ ſunt termini motuum, ſunt naturales, & corruptibiles, atque adeò inſeparabiles. In prima parte textus ad metaphyſicam reducuntur formæ ſubſtantiales, ergo illæ ſunt ſeparabiles. Probatur conſequentia; metaphyſici proprium eſt conſiderare ſeparabilia re, & ratione iuxta 6. met. textibus 2. & 3. Item 11. met. ſumma 3. cap. 1. primo de anima 16. & 17. metaphyſicæ verò aſſignatur principium, quod eſt forma ſubſtantialis, ſiuè conſiderandũ

in genere, ſiuè in ſpecie, & quantum ad quantitatem, & quantum ad qualitatem ſpecificam; igitur principium, quod eſt forma ſubſtantialis vniuerſaliter, & in genere, & in ſpecie, eſt ſeparabile re, & ratione; quæ eſt poſitio, quam ego defendo ex iſto textu, ex quo vos eam impugnare credebatis.

Corollariũ, ſiue legamus cũ græco textu *De formis naturaliũ, & corruptibilium*, locutio eſt de formis accidentalibus, quæ præſupponunt naturalia tanquam ſubiecta in ſuo eſſe conſtituta; ſiuè legamus cum verſione latina. *De formis phyſicis* (ideſt naturalibus) *& corruptibilibus*, hoc non debet intelligi, niſi de formis accidentalibus, quæ ſunt corruptibiles, & ratione quarum, formæ ſubſtantiales ſecundum ſe incorruptibiles, dici poſſunt corruptibiles. Quapropter reſponſio data pro poſitione quòd formæ ſubſtantiales ſecundum ſe ſunt ſeparabiles, & incorruptibiles: ſecundum accidentia ſunt inſeparabiles, & corruptibiles appoſitè ad hunc textum accommodatur.

Locus 2. phyſ 12. reuera tractat de ſeparabilitate, & inſeparabilitate formarum Platonica. Quoniam Ariſtoteles ita iacit fundamenta ſuæ philoſophiæ, vt eam diſtinguat à philoſophia Platonis. Plato ponebat formas naturalium ſeparabiles, ſeparabilitate illa ſua, quam Veſtigat. 6. cap. 5. expoſui. Quo pacto Ariſtoteles in 2. phyſ. 12. nec non in 18. & 19. nullam formam, quæ ſit natura, concedit eſſe ſeparabilem re, ſed ſolùm ratione ſeparabilem dicit, etiam loquendo de intellectiua. Reiecta verò à formis ſeparabilitate Platonica rei, & retenta ſeparabilitate rationis ſola, vt opponitur ſeparabilitati rei Platonicæ; quid in Ariſtotelis philoſophia ſit ſentiendum de ſeparabilitate formarum ſubſtantialium, in textibus iſtis non profertur. Proinde hic textus non citatur ad propoſitum. Si quis autem contendat eſſe ad propoſitum, ſolutio per vos relata ex mea Veſtig. 6. optima eſt, loqui Ariſtotelem de forma ſubſtantiali ſecundum eſſe perfectum; nam ſic res definiendæ ſunt 6. Top. loco 86. at ſecundum eſſe imperfectum, & præciſum omnis forma ſubſtantialis eſt ſeparabilis. Præterea proprius character ſubſtã tiæ, vt ab accidente diſtinguitur, eſt, quòd ſola ſubſtantia eſt ſeparabilis, nullũ accidens eſt ſeparabile: nimirũ re, nam ratio-

XXIV. 2. Locus conſiderãdus.

ne

ne ſolùm accidens eſt ſeparabile 1. phyſ. 14. 7. meth. 4. & 12. meth. 3. Ab hoc proprio charactere accidentis, pro vt à ſubſtantia diſtinguitur, denotat Philoſophus in 2. phyſ. 12. ſubſtantiam ibi non accipi ſecundum ſe, & ſecundum eſſe præciſum; ſed ſecundum eſſe perfectum. Nam ſecundum illud eſt ratione ſolùm ſeparabilis, & ſubſtantia omnis: & inter ſubſtantias forma ipſa ſubſtantialis. Hoc eſt effugium à me inuentum. Quam laudem inuentionis libentius vobis concederem, quàm à vobis reciperem. Quid vos contra hoc effugium?

CAPVT V.

Effugium Ferchij, vt Offenſores vocant, ab eis non precludi.

Offenſio *SAnè hæc eſt euidens teſtimoniorum Ariſtotelis eluſio.*

15. Defenſio. Proponitis, & non probatis. Igitur iuxta officium reſpondentis dico illam reſponſionem non eſſe eluſionem; ſed veram ſolutionem veſtrarum obiectionum, ſi tamen veſtrarum. Meæ ſunt inuentione, veſtræ compilatione.

Offenſio *In conſultò nanque aſſeruiſſet toties quaſdam formas ſeparabiles eſſe, quaſdam non: quia ſecundum eſſe perfectum, omnes ſunt inſeparabiles, ſecundum eſſe imperfectum omnes ſeparabiles.*

XXV. 16. Defenſio. Si aduerto particulam, *nanque*, videtur hæc eſſe probatio præcedentis aſſumpti à vobis, quod tale erat; *hoc effugium Ferchij eſt euidens eluſio teſtimoniorum Ariſtotelis*. Quod ſi hoc proponatur nunc tanquam probatio, & nego antecedens aſſumptum, & nego conſequentiam. Nego conſequentiam. Dato enim, quòd Ariſtoteles inconſultò ſcripſiſſet, non ſequitur, ergo ſolutio Ferchij eſt eluſio; immò ſequitur, eſt conſultiſſima ſolutio eorum, quæ ab Ariſtotele inconſultò dicta ſunt. Conſultè enim reijciuntur dicta inconſultò. Nego tamen antecedens, quòd Ariſtoteles incōſultò aſſeruiſſet toties, quaſdā formas eſſe in ſeparabiles, quaſdam non. Vos pro more proponitis, non probatis, quarè principium petitis.

Interea quod ratione non probatis, ego ratione reprobabo.

Sup-

Supponantur, vti vultis, illæ duæ vniuerſales, *omnes formæ ſecundum eſſe imperfectum ſunt ſeparabiles, nullæ ſecundum eſſe perfectum ſunt ſeparabiles.* Deinceps regredimini ad primum tractatum ſumularum. Lex, & natura ſubalternarum talis eſt, quòd ſi vniuerſalis eſt vera, particularis erit vera. Sunt veræ illæ duæ vniuerſales ſubalternantes præſuppoſitæ, ergo & particulares iſtæ duæ erunt veræ; quædam formæ ſecundum eſſe imperfectum ſunt ſeparabiles, quædam ſecundum eſſe perfectum non ſunt ſeparabiles. Nunc autem doctor veritatis conſultè facit, ſi poſt traditam veritatem de vniuerſalibus, cum opportunum fuerit, producat veritatem de particularibus. Conſultò igitur Ariſtoteles aliquoties dixit, quaſdam formas eſſe ſeparabiles, quaſdam non; nempè in ſenſu dato.

Si autem rem attendo, hæc veſtra offenſio non eſt probatio XXVI. præcedentis: quia nulla eſt connexio inter iſta, *Diſtinctio Ferchy eſt eluſio teſtimoniorum Ariſtotelis:* Probatur, quia *inconſultò Ariſtoteles ſcripſiſſet toties, quaſdam formas eſſe ſeparabiles, quaſdam non.* Tam ſunt iſta connexa, quàm delphinus cum boue, vt prouerbio dicitur.

Cæterùm veſtri officij erat ex textibus allegatis ſpecialiter, impugnare meam diſtinctionem tanquam non rectè ſoluentem. Sed defectu propriorum ad generalia tranſilijſtis. Nam iſto pacto ad omnia poteſt fieri obiectio Exemplum. Cum Scotus diſtinguit naturam, à qua motus naturalis dicitur, & naturam pro agente naturali; dicam eſſe eluſionem teſtimoniorũ Ariſtotelis ad defendendum, quòd natura ſit principium paſſiuum. Subiungam, quoniam inconſultò Ariſtoteles toties dixiſſet naturam eſſe principium motus, & quietis intrinſecum, ſicut eſſet ars, ſi eſſet principium intrinſecum. &c.

Accedit, quòd in ſententia docente potentias animæ eſſe accidentia, ſolutio nulla eſt; quia anima rationalis has ſecum defert, atque ideò etiam ſecundum eſſe perfectum eſt ſeparabilis. Offenſio

Non ſemel in hoc peccatum incidiſtis, vt velitis defenſorem 17. Defenſio.
vnius contradictorij cogere ad defenſionem alterius contradictorij. An hoc ſit ingenij vigilantis, an dormitantis, vos videritis. Ego cum S. Bonau. in 1. diſt. 3. quæſt. 7. & 2. diſt. 24. quæſt. 3.

nec non cum Scoto in 2. diſt. 16. quæſt. 1. ſuſtineo potentias animę rationalis eſſe eaſdem ſubſtantialiter cum ipſamet anima.

In hac ſententia ſolutio data eſt validiſſima, præſertim cum S. Bonau. formarum inchoationes teneat, hoc eſt formas eſſe ingenerabiles, & incorruptibiles; quid oppoſitæ ſententiæ authores teneant, ſcire mea nihil refert.

At authores oppoſitæ ſententiæ hac veſtra inſtantia non læduntur, etiam ſi tenerent (quod non tenent) formas omnes eſſe ſeparabiles. Profectò Aquinas in 4. diſt. 43. art. 1. quæſtiuncula 1. ad 4. & lib. 4. contra gentes cap. 79. affirmat partem extra totum eſſe imperfectam. Et ſubtilis Doctor aſſentitur quodammodo in 4. di 3. quæſt. 4. litera Q. & quolib. 9. M. Capreolus proinde in 4. diſt. 43. quæſt. 1. egregiè, & accuratè collectis locis ex Doctore Angelico probat animam rationalem extra totum eſſe imperfectam. Quarè propter quædam accidentia ſecum allata, ommiſſis tamen multis, non eſſet ſeparata ſecundum eſſe perfectum.

XXVII. Animaduertitis ne vos ad hanc inſtantiam, quam facitis? ſuperius, vt in fine capitis primi retuli diſputatio eſt inſtituta de formis materialibus, quæ ſi auellantur à corpore, intereunt.

Nunc animā rationalem adducitis. Eſtis ne Alexandrei, etiam in Theologia, quam ſcribitis, & verè creditis animam rationalem eſſe mortalem, quando ſeparatur à corpore? Sed qui tenent rationes ſeminales dicunt intellectum extrinſecus accedere, quia non continetur intra ſeminarium, ergo etiam hoc modo extra propoſitum adducitis animam rationalem.

Vt autem ſoluatur hoc veſtrum argumentum ſimpliciter, iuxta ſuppoſitionem opinionis a vobis impugnatæ; affero Ariſt. 5. met. 21. in 5. metaph 21. dicentem. *Vnumquodque tunc perfectum eſt, cunctaque ſubſtantia tunc perfecta, cum ſecundum ſpeciem propriæ virtutis nulla deſit particula magnitudinis naturalis.* Cum igitur deſunt in materia prima ſeu mediatè, ſeu immediatè diſpoſitiones requiſitæ ad corpus humanum, ad vegetalem, & ſenſualem contentas in rationali vtcunque, cum deeſt facultas mouendi corpus humanum, memorandi, reminiſcendi, cogitandi, amandi, odiendi, quæ ſunt totius compoſiti humani: tunc

anima

anima rationalis, & ſi conſeruet intellectum, & voluntatem, quæ non ſunt actus alicuius partis corporis, magnam partem naturalis virtutis amiſit, & non eſt perfecta ſimpliciter. Tamet ſi etiam in illo erratis, quòd ſupponitis contra opinionem animam rationalem ſeparari à materia, & deferre ſecum potentias; quæ ſuppoſitio eſt mera petitio principij contra opinionem, quæ ſuſtinet omnem formam eſſe ſeparabilem, nullam tamen ſeparari: qualis opinio explicata eſt cap. 2. Veſtig. 6.

Iuxtà hoc fundamentum, ſeruata prudenter proportione ad principia, Thomiſtæ dicent animam rationalem ſeparatam eſſe imperfectam, primò quia actu non informat materiam; ſecundò non largitur ei gradum corporeitatis, formæ elementaris, formæ mixti ſimilaris, formæ mixti diſſimilaris, vegetalis, ſenſualis, neque etiam gradum eſſentialem animæ intellectiuæ, neque accidentia iſtorum gradum, neque actiones, aut paſſiones competentes. Neque recipit à ſenſibus cognitionem, vel ſpeciem, vel affectus, & alia huiuſmodi multa. Quarè etiam ſi anima ſeparetur, imperfectiſſima eſt, quò ad accidentia ſibi conuenientia. Et iuxta poſitionem (quam defendo pro nunc) manet in eſſe imperfecto, quoniam nihil prorſus agit in corpus, aut recipit à corpore; ſed eſt ſicuti tabula raſa, vſquequo accidentia ſibi congruentia habeat. XXVIII

Dicet quiſpiam, ergo iuxtà iſtam poſitionem nulla erit differentia inter animam intellectiuam, & cæteras formas.

Reſpondeo; immò erit, quoniam per potentias, quæ non ſunt actus corporis, anima poterit agere, quod aliæ formæ non poterunt, quoniam tales potentias non habent. Intellectus ab extrinſeco efficiente vnietur corpori, vt per corpus agat, vel cum corpore: quæ vnio in alijs formis fieri poterit à ſecundis agentibus.

CAPVT VI.

Digreſsio ab Offenſoribus facta contra Ferchium proponentem, & conſequens defenſio.

Offenſio *S I dicat, ipſum non aſſeruiſſe illam vniuerſalem affirmatiuam, ſed probaſſe dumtaxat diſputatiuè procedendo.*

18. Defenſio. Locutio illa *Si dicat, ipſum non aſſeruiſſe*, latinè erat ſcribenda, *ſi dicat ſe non aſſeruiſſe*: ſoiæciſmus vobis eruditiſſimis familiaris meam excuſabit ruditatem.

Sed quæ nunc ſcribitis, egò non dixi. Quis vobis hæc inſtillauit? Nimirum ipſa res, ipſa veritas vos compulit videre, hæc eſſe dicta diſputatiuè procedendo, non aſſertiuè. Veritas hoc exclamabat; ſed voluntas aure ſurda non audiebat.

Offenſio *Non ſufficit, quia ſoluit rationes pro vniuerſali negatiua, ergo etiam ſoluere debebat, quæ faciebant pro vniuerſali affirmatiua.*

19. Defenſio. Reſpondeo, concedo antecedens, nego conſequentiam: quam cum non probetis pro vobis, ergo contra vos reprobabo. Sed quis crederet vos tam crebrò peterè principium?

XXXIV. 1. de part. cap. 1. Nunc & ad hominē, & ad rem agā. Sit fundamentū. *Finis imponit neceſsitatem ijs, quæ ſunt ad finem*: vnde qui habet aliquem finem ſibi præſtitutum, is debet adhibere neceſſaria, vel vtilia ad finem: & debet remouere aduerſantia ipſi fini. Quamobrem cum in 6. Veſtig. finis mihi propoſitus eſſet *forma ſeparabilis*, vt ex titulo patet; opinio Alexandreorum, ideſt Veſtratum, quæ tenet nullam formam eſſe ſeparabilem, directè aduerſatur meo fini. Ideò debui ſoluere, & prout debebam, ſolui argumenta pro Alexandreis. Non omnia: Nam hoc fuiſſet operis nimis magni, non tamen prolixi. Sed hoc exactiſſimè peregit Vir inter Peripateticos noſtri ſæculi præcellentiſſimus, & omni bonarum genere doctrinarum excultiſſimus: operum admirabilitate, varietate, profunditate ſingulariſſimus Dominus Fortunius

Licetus. Licetus, qui in ſuo libro de animorum immortalitate, omnia, quæ ab Alexandreis prolata ſunt, vel proferri poſſunt, argumenta, non verborum multitudine, ſed virium, veritatum, rationum,

tionum, pleniſſimè reſoluit. Ego quoſdam viros tantùm poſt ipſum conſiderandos aſſumpſi. Quæ autem opinio tenet omnẽ formam eſſe ſeparabilem, non aduerſatur formæ ſeparabili, immò coadiuuat finem meum: nam qui concedit vniuerſalem ſubalternantem, ſubalternatam particularem omninò concedit. Ergo ex iure finis non naſcitur debitum ſoluendi, quæ non ſunt contraria, vel contradictoria fini.

Volui deinde ità facere, vt oſtenderem ex Ariſtotele multò probabiliorem eſſe vniuerſalem affirmatiuam Alexandreis contrariam, quàm ſit vniuerſalis negatiua Alexandreorum. XXX.

Volui tertiò Ariſtoteli obtemperare in 2. ad Nicomachum cap. vlt. qui viam deueniendi ad medium virtutis, docuit eſſe ipſum deflectere ad extremum illius oppoſiti, ad quod inclinamur. Sic virgam, quæ ad ſiniſtram vergat, inclinamus ad dexteram, vt in medio recta conſiſtat. Sic monent D. Bonau. & Scot. in 2. diſt. 33. Videbam Alexandreos multos ad hoc malum inclinatos, vt crederent animam intellectiuam eſſe mortalem, & inſeparabilem, fundari in vniuerſali negatiua, *Nulla forma eſt ſeparabilis*. Quod quidem magnopere Ariſtoteli, & veritati aduerſatur. Vt ergo mentes Peripateticorum ad hanc veritatem *quædam forma ſubſtantialis eſt ſeparabilis ſimpliciter, & incorruptibilis*, adducerem, inclinaui ad extremum contrarium, & pro viribus oſtendi, omnem formam ſubſtantialem eſſe ingenerabilem, incorruptibilem, & ſeparabilem, vt mens lectoris grauata in hanc partem, longè facilius ad veritatem intentam, hoc eſt ad formam ſeparabilem cum Ariſtotele tenendam accederet. Proinde & facillimam dedi viam, effugium à vobis dictam, exoluendi ſe ab omnibus vinculis Alexandreorum: & viam inſtitui retinendi ſe in hac veritate, *anima rationalis eſt immortalis*: præter vias veras, & probandi, & defendendi iuxta veritatem in reſolutione Veſtigationis.

Denique Alexandreus quidam, nempè veſter Doctor, argumenta pro hac propoſitione negatiua, *anima nõ eſt mortalis*, omnia ſoluit. Argumenta pro hac affirmatiua, *anima eſt mortalis*, nulla ſoluere voluit: relinquens hoc negotium aduerſarijs. Par pari referre volui. Argumenta Alexandreorum, quæ probant

ani-

animam intellectiuam non eſſe ſeparabilem; aut nullam formam eſſe ſeparabilem, diſſolui pro poſſe. Hæc autem, quæ probant aut omnem, aut aliquam formam eſſe ſeparabilem, reliqui ſoluenda vobis Alexandreis, animæ intellectiuæ peremptoribus.

XXXI. Denique hæc ſententia, quæ tenet nullam formam generari, aut corrumpi, præclaros habet in re theologica, & philoſophica defenſores. Vnde illa opinio quantum ad iſtas duas partes prædicati *ingenerabile incorruptibile* certæ veritati non repugnat. Idcirco reliqui rationes inſolutas, & mihi reſeruans facultatem huius rei examinandæ, & illis obſequens in eorum ſententia probanda, quoniam non ſunt inimici meæ intentionis. Hucuſque ad rem dictum ſit. Vt omnes agnoſcant, ſi non ſolui rationes capitis ſecundi, hoc factum eſſe, quia non erant contra finem intentum principaliter, ſicut etiam dixi in mea Veſtigat. 6. & vos Offenſores referetis. Nolui enim, nec debui in ipſa controuerſia maximè neceſſaria, & maximè impedita, quæ neceſſaria non erant, tractare.

XXXII. Nunc ad hominem reſpondeo. Scotus in 4. diſt. 43. quæſt. 2. proponit iſtas duas: *anima intellectiua non eſt mortalis* quæ vera eſt: *& anima intellectiua eſt mortalis*, quæ falſa eſt. Omnes authoritates, & rationes pro veritate factas, ad vnam vſq; diligentiſſimè ſoluit; authoritates, vel rationes pro falſitate, nullatenus ſoluit. Arguite igitur ſic aduerſus Doctorem veſtrum: Scotus ſoluit rationes, & authoritates per negatiua propoſita; ergo ſoluere debebat etiam, quæ faciebant pro affirmatiua. At non ſoluit, ergo quod facere debuit, non fecit. Ego quidem malui ſequi exemplum Scoti, qui non putauit ſe debere pro negatiua ſoluere, quàm iudicium veſtrum, qui putatis me debuiſſe ſoluere.

Nonne & Scotus crebrò argumenta contra veritatem fecit, & inſoluta dimiſit? In 1. diſt. 2. quæſt. 7. N n. contra Trinitatem argumentatus eſt, nec ſoluit. In 2. diſt. 2. quæſt. 1. de æuo. In 3. diſt. 10. quæſt. 1. de Filiatione Chriſti. In 4. diſt. 10. quæſt. 2. Q. de duplici loco. Similiter Quolib. 1. C. Quol. 9. O. Quol. 11. C. Quol. 13. Q. Dum reprehenditis me non ſoluentem, nonne

ne & Scotum reprehenditis? An maunltis accuſari Scotum potius, quàm me excuſari; Quicquid tandem Scotiſtæ dixerint pro Scoto, pro me dictum putate.

Verùm, vt eò amplius excitemini ad Scoti defenſionem, dico Scotum debuiſſe, & iure philoſophico, & iure theologico ſoluere argumenta pro negatiua. Atque cum hoc non fecerit, nec boni Philoſophi, nec boni Theologi eſſe functum officio.

Non quidem Philoſophi, quoniam ſi voluit oſtendere Ariſtotelem eſſe dubium, debuit reſoluere argumenta relata pro vtraque parte, aut pro neutra: nam ſi mens Ariſtotelis non poterat ſe exoluere ab argumentis pro negatiua, ergo in iſta parte determinatè erat alligatus: quodquidem Scotus de Ariſtotele in 3. diſt. 27. G. tradit, ergo non erat dubius. Dubitatio enim eſt, quando argumenta pro vtraque parte ſunt ſoluta, aut non ſoluta.

Non boni Theologi, quoniam ex D. Auguſtino in 14. de Trinitate cap. 1. ſcientia theologica eſt, *qua fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur*: ergo Scotus in 4. ſententiarum theologicarum ex officio Theologi tenebatur roborare fidem illius negatiuæ: *anima intellectiua non eſt mortalis*: tenebatur defendere fidem illius negatiuæ: ſed nec roborauit, nec defendit. Debebat impugnare affirmatiuam: *anima eſt mortalis*. debebat ſoluere pro negatiua; quæ ſunt contra fidem, & pro hæreſi: ſed ipſe non impugnauit, non ſoluit, ergo & contra finẽ intentum à Theologo, & contra finem intentum à Philoſopho, quæ debuit ſoluere, non ſoluit: quæ debuit defendere, non defendit: quæ debuit probare, non probauit; quæ debuit non probare, probauit. Etenim debebat adhibere adiumenta, quæ eſſent ad finem oportuna, & impedimenta aduerſantia remouere. Non fecit.

Hinc, ſed præter intentionem pijſſimi Doctoris, duo mala ſecuta ſunt. XXXIII

Primum in Doctoribus: qui animaduertentes Scotum ſcripſiſſe contra fidem catholicam ſic, vt argumenta pro veritate deſtrueret: & argumenta contra veritatem catholicam conſtrueret, & cõſtructa relinqueret; ſed in fine quatuor verba bona proferret

ferret ad lectorem deliniendum: *Ex his apparet quanta ſint gratiæ referendæ miſericordiæ creatoris &c.* tale exemplum imitati ſunt ſcribunt enim quantis poſſunt ingenij viribus contra veritates creditas: rationes pro creditis omninò ſoluunt. Deinde dicunt, nos lumini ſupernaturali, & fidei credere debere, &c. Tales Achillinus, Piccolomineus, Gianninius, & alij quidam reperiuntur. Sic enim dicunt latenter. Credite, quod nulla ratione credi debet: quod nulla ratione fulcitur, quod omni ratione impugnatur, quod nulla ratione defenditur.

Secundum in plurimis, & doctoribus, & auditoribus malum ſecutum eſt. Cum enim omnes cognoſcant Ioannem Scotum eſſe ſubtiliſſimum Doctorem, in Ariſtotele exercitatiſſimũ, atq; in diſputationibus omninò ſublimem. Atterdunt autem à Scoto non eſſe ſoluta hæc argumenta, quæ probant animam intellectiuam eſſe mortalem; conſequenter credunt hæc argumenta eſſe inſolubilia, & hanc partem eſſe omninò in Ariſtotele retinendam, nec non & in philoſophia naturali; quidquid ſit de ſcientia ſupernaturali. Vnde obfirmant ſe in hac falſa opinione, Anima intellectiua eſt mortalis. Hæc ideò dico, non quia Doctor ſubtilis defendi non debeat, & poſſit. Defendi ego ipſum in publica cathedra Patauina: ſed a vobis Scotiſtarum ſupremis expecto defenſionem toti mundo notificandam. Ita tamen, ne clanculum ſolutionem à me publicè datam, per internuncios quæratis, & tanquam veſtram, vt prompti eſtis ſcribere, publicetis. Sed hoc, ſi vixero, non tacebo. Concludo nec Scotum debuiſſe ſoluere, quæ erant pro negatiua, nec me ſoluere debuiſſe. Idque probaui, & ad rem, & ad hominem. Videbimus, quid contra hæc replicare poſſitis.

Offenſio. *Eò vel maximè, quia hanc inquit eſſe melius probatam (vt potè proprio marte) quàm negatiuam, etiam ſi multis annorum centurijs, vt ait ipſe, alij conſumpſerint in ea probanda.*

XXXVI. 2a. Defenſio. 5. Top. lo. 5. Regulam iudicandi, quæ ſunt benè, aut malè probata vos accipitis ex amore proprio. Fortè in vobis verum eſt Ariſtotelis dictum in primo ad Nicomachum, Qualis quiſque eſt, talia loquitur, & iudicat. Ego verò accipio regulam iudicandi ex Ariſtotele in 5. Top. loco 5. Logicum eſſe problema, inquit, hæc

eſt

eſt probabile, ad quod *fiunt rationes & crebræ, & bonæ*. Crebræ ſunt rationes Veſtig.6.cap.2. allatæ: ſunt enim numero duodecim. Bonæ ſunt, quia optimis fundamentis ex optimo Philoſopho acceptis, nituntur. Quod in aduerſa vniuerſali negatiua non reperio. Hæc eſt ratio mei iudicij.

Sed quid ſibi vult pagana illa phraſis, *proprio Marte*? Scribitis ne Pagani, an de Pagano? Inore Chriſtiani de Chriſtiano, Theologi de Theologo adhuc reſonant Dij gentium? Adhuc inuocantur dæmonia? Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum, & terram, à quo lumen deſcendit, tùm ad cognoſcendam veritatem, tùm ad diſcernendam falſitatem: non à Marte.

At inquit pro ratione muneris inſtituti ad oſtendendam ſcilicet animæ ſeparabilitatem, aſtringi ſolum ad ſoluendas rationes pro negatiua. Offenſio

Sic eſt, vt dicitis, quæ contra concluſionem propoſitam erant. ſoluere debebam. Cætera minimè. 21. Defenſio.

At certè tenebatur, etiam ſoluere adductas pro affirmatiua, tùm ne faceret Ariſtotelem ſibi contradicentem, dum in quibuſdam locis eum adducit pro vniuerſali affirmatiua, in alijs eam negat per aſſertionem particularis negatiuæ, quod quædam formæ ſubſtantiales non ſunt ſeparabiles. Offenſio

Argumentor vobiſcum. At certè Scotus tenebatur ſoluere adductas pro affirmatiua, ne faceret Ariſtotelem ſibi contradicentem. Attamen Scotus non ſoluit rationes pro affirmatiua. Credidit ergo ſe non teneri veſtris legibus, ſicut neque ego teneor. Nego deinde conſequentiam veſtram. Tunc enim Ariſtotelem facerem contradicentem, cum dicerem Ariſtotelem aſſeruiſſe duas contradictorias. Dixi autem in reſolutione Veſtigationis ipſum aſſeruiſſe ſubcontrarias, quæ ſunt ſimul veræ. Non ergo ipſum in contradictione poſui. Sed hoc vos pungit, quia reliqui rationes contra vos inſolutas, quod & iure feci, & nunc perplacet non ſoluiſſe, vt vobis moleſtum ſit. XXXV. 21. Defenſio.

Deinde ex perſona reſpondentis dico, ſolutam eſſe contradictionem per effugium illud, nondum à vobis confutatum re, ſed verbis. Nimirum vniuerſalem affirmatiuam, omnis forma ſubſtantialis eſt ſeparabilis, accipe de formis in eſſe imperfecto,

Offenſio negatiuam particularem de formis in eſſe perfecto.

Tum quia ab initio Veſtigationis inueſtiganda animæ ſeparabilitatete pollicetur ſe velle ordinem ſeruare Ariſtotelis 1. poſt. vbi 1. repellit vniuerſales contrarias, omnium eſſe demonſtrationum, nullorum eſſe demonſtrationum, & recipit medias, quorundam eſſe, quorundam non eſſe.

Quod obſeruauit etiam 1. phyſ. vbi 1. reÿcit illas vniuerſales contrarias, omnia principia ſunt contraria, nulla principia ſunt contraria: ſtatuitque quadam eſſe contraria, quadam non eſſe.

Tenebaturque ergo & ipſe non ſolum vniuerſalem negatiuam deſtruere, ſed etiam affirmatiuam: vt inde particulares concluderet: quadam forma eſt ſeparabilis, quadam non ſeparabilis.

31. Defenſio. Textus iſtos afferre meum fuit, non veſtrum. Niſi enim ex alieno citaretis Ariſtotelem, non credo, bis in toto libro veſtro eſſet citatus. Ariſtoteles propoſuit contrarias in logica prædictas 1. poſt. cap. 3. & propoſuit rationes pro illis. Deinde conſtituit duas contradictorias, ideſt duas particulares medias, per quarum conſtructionem deſtruit illas vniueſales, ſi textũ legiſtis.

1. poſt. c. 3.

Etenim conſtruere vnam contradictoriam eſt deſtruere alteram. Conſtruit verò Ariſtoteles in tex. 21. particulares primam, *quorundam non eſt demonſtratio*, ſcilicet *immediatorum: quorundam eſt demonſtratio* ſcilicet *mediatorum*. Si quæras quomodo probet immediatorum non eſſe, mediatorum eſſe demonſtrationem, non inuenis: in alium locum id fortaſſe egit.

Siquæras vtrum ſoluerit argumenta pro contrarijs opinionibus. Reſpondeo argumentum ſecundæ viæ de circulari demonſtratione confutat, & per hoc ſoluit. Argumentum primæ viæ non ſoluit, niſi proponendo contradictoriam. Id ipſum ego feci argumenta primæ viæ non ſolui, niſi proponendo contradictoriam; ſed proponendo cum probationibus. Argumenta ſecundæ viæ, & ſolui proponendo contradictorium illud *quædam forma eſt ſeparabilis*, ac probando: & item ſpecialiter reſoluendo.

XXXVI. In 1. phyſ. quoque Ariſtoteles propoſuit duas particulares *quædam principia ſunt contraria, quædam non*; ſed vbi ſoluerit argumenta pro hac, vel illa parte, veſtrum erit quærere, ſed non inue-

inuenietis. Satis ergo erat Ariſtoteli, & mihi per inuentionem veritatis ſoluere dubitata iuxta 3. met. 1. Si autem in ſpeciali contra vniuerſalem negatiuam, nulla forma eſt ſoparabilis, laboraui; hoc feci, quia erat contradictoria meæ concluſioni intentæ, vt dictum eſt, & ſuperius, & in 6. veſtig.

Sed ex iſta veſtra offenſione, qua dixi me velle tenere ordinem Ariſtotelis, ſcilicet primò proponere contrarias cum ſuis fundamentis: ſecundò velle recipere medias particulares, *quædam forma eſt ſeparabilis, quædam non*, ſicut Ariſtoteles fecit. Impoſtura
Ex iſta, inquam, offenſione veſtra conſtat, vos falsò mihi impoſuiſſe, quòd vellem conuincere vniuerſalem affirmatiuam. Pollicitus ſum, vt confitemini, me velle recipere medias, ſicut Ariſtoteles fecit, & velle reijcere contrarias, ſicut Ariſtoteles reiecit, quod fideliter obſeruaui. Non ſum pollicitus ſoluere argumenta pro vniuerſali affirmatiua, immo bis dixi me id nolle facere, ſicut neque Scotus, neque Ariſtoteles fecit. Quare neque ex fine intento, neque ex mea promiſſione, neque ex Ariſtotelico exemplo tenebar, & nego conſequentiam veſtram.

Tum tandem quia non ſunt facienda mala, vt inde veniant bona: vt ergo oſtenderet veritatem illam, quòd anima rationalis eſt ſeparabilis, non debebat hanc falſitatem relinquere probatam, quòd omnis forma ſubſtantialis ſit ſeparabilis. Offenſio

Melius feciſſetis vos, ſi probauiſſetis concluſionem iſtam, 24. Defenſio.
quòd omnis forma ſubſtantialis ſit ſeparabilis eſſe falſam, quàm ſi contra proponentem feciſſetis inuectiuam. Illud propoſuiſtis probandum, ſed nunc extra propoſitum contra perſonam agitis, non contra concluſionem.

Deinde vos non attendiſtis ad Doctorem veſtrum, qui vt Ariſtotelis mentem aperiret, non debebat hanc falſitatem relinquere probatã, quòd *anima intellectiua ſit mortalis:* ſcilicet nõ debuit facere malũ, vt eueniret bonũ; & quidem falſitas iſta, quã Scotus probatam reliquit, eſt capitalis, in qua ſalus tùm cuiuſque hominis, tùm Chriſtianæ Eccleſiæ conſeruatio conſiſtit. Da enim, quòd anima ſit mortalis: iam Chriſtum Crucifixum, & Crucem ſepelire potes, totaque fides chriſtiana corruit. Illa verò propoſitio, omnis forma eſt ſeparabilis, non aduerſa-

uerſatur fidei chriſtianæ.

Ad Rom. 3. Tertiò maior propoſitio, *non ſunt facienda mala, vt veniant bona*, eſt Apoſtoli, & intelligenda de malo moris in ordine naturali, ac ſupernaturali. Sed ex D. Bonau. 4. diſt. 30. num. 2. *D. Bon.* cum dico aliquid ſecundum doctrinam ſupernaturalem, vel contra, occurrit ratio meriti, & demeriti. Dum dico cum Ariſtotele, nec eſt meritum, nec demeritum; vnde in hoc malum non feci. Sed vt oſtendam omnia hæc veſtra dicteria eſſe contra Scotum. Dico Scotum malè feciſſe, quia contra veritatem fidei catholicæ probauit hæreſim, & probationes non ſoluit.

Interea vos (tenerrimæ conſcientiæ homines) quando ab alijs benè dicta, & inuentionem, vt propriam publicatis, nonne eſtis raptores gloriẹ alienæ? Quando alios doctores contumelijs afficitis, eorumque famæ detrahitis, nonne hoc malum eſt inuidentiæ? Veſtram gloriam ſpiratis, & ex doctis obſcuratis, & ex doctrinis illorum ad vos attractis. Nonne ad bonum veſtræ laudis facitis plura mala? Non ſunt facienda mala, vt inde veniant bona. Hoc primum dicite vobis, quàm alijs. In hac longa digreſſione facta contra me, quid lucrati eſtis? Do vobis, me non feciſſe, quod debebam: an propter hoc concluſionem veſtram probaſtis? aut rationes meas ſoluiſtis? Non vtique, ſed voluiſtis detegere defectum proximi, improperia cõtra me ſcribere coram toto vniuerſo, veſtram ſapientiam ſupra meam iactare. Multa falſa mihi impoſuiſtis, multas fallacias de me lectori obieciſtis. Denique obſcurare me deſideratis, vt vos glorioſiores videamini. Iſta ſunt vera mala, homine, Chriſtiano, Franciſcano indigna: de quibus dixit Apoſtolus: *non ſunt facienda mala, vt veniant bona*.

Quia verò hucuſque contra propoſitam vniuerſalem affirmatiuam, nihil de veſtro attuliſtis, ſed ſolùm iurgia contra me: patet me non debuiſſe ad hæc reſpondere, quæ ſpectant ad iurgia.

Sed tamen, quia tranſitis ad alia, aliud capitulum inchoemus.

CA-

CAPVT VII.

Ponderantur offenſi, & Offenſorum rationes contra poſitionem de omnium formarum ſeparabilitate.

SEd accedamus ad rationes; Ferchius, cum quaſdam retuliſſet ex alijs, velut nimis fragiles, eas aſpernatur, & dioſſuit cap. 3: & in fine capitis licèt proteſtetur eius conſilium non eſſe, eam opinionem refellere ibi, duas tamen rationes inſinuat, quibus, inquit, poſſet robuſtius illa opinio impugnari. Offenſio.

Sunt vtique nimis fragiles illæ rationes, quas ego nullius frugis homo ſoluere potui. Vos ingeniorum Sanſones illas omninò contriuiſſetis. XXV. 25. Defenſio.

Proteſtatus item ſum, non eſſe mei conſilij refellere in præſentia opinionem de omnium formarum ſeparabilitate. Reſeruabam hoc in aliud tempus, ne vagarer in id, quod erat præter intentionem principalem, non contra. Nonne hæc mea proteſtatio ſatis erat, vt non tribueretis mihi illam opinionem, quã in aliud tempus remitto refellendam: quam etiam nunc duplici ratione Ariſtotelica reijcio? Cur ergo vos mihi tàm ſæpè, tàm falsò aſcribitis, quòd illam opinionem, vt veram reliquerim, & conuincere voluerim, & aſſeruerim? Tandem, quia rationes meas cribrare vultis, legamus eas apud vos.

Poſſet robuſtius illa opinio impugnari, quia nimirum opinio illa, quòd omnis forma ſubſtantialis ſit ſeparabilis, & æterna, omnem generationem, & corruptionem ſubſtantialem demolitur. Offenſio.

Et quoniam infinitæ formæ actu eſſent in materia.

Legantur iſtæ rationes in mea Veſtigat. 6. num 20.

Poſſet quis robuſtius pugnare, Ariſtotele Duce in 1. de generatione, & 1. met. quoniam videtur opinio prior omnem generationem, & corruptionem ſubſtantialem demoliri. Ex 3. phyſ. atque 11. met. quoniam infinitæ formæ eſſent actu in materia. 26. Defenſio.

Cur ommiſiſtis Offenſores, citationem Ariſtotelis, quam ego poſui? Vt meam præſumptionem ſugillare poſſetis; quaſi ego qui alienas rationes aſpernor, vt nimis fragiles, meas arrogan-

ter extollam, vt robuſtiores. Si autem recitauiſſetis, quòd ego de meo robore diffidens, robur rationum Ariſtotoli tribuam: non potuiſſet falli Lector. Comparatis enim rationibus Ariſtotelis, & rationibus aliorum contra illam: *omnis forma ſubſtantialis eſt ſeparabilis*: omnes Peripatetici facilè conſentirent rationes Ariſtotelis, eſſe robuſtiores. Præterquam quòd illæ rationes, quas vocaui fragiles, probant concluſionem falſam illam, *nulla forma ſubſtantialis eſt ſeparabilis*: vnde, & meritò falſæ ſunt dictæ, atque fragiles. Sed rationes Ariſtotelicæ impugnant vniuerſalem affirmatiuam falſam hanc: *omnis forma eſt ſeperabilis*: Quarè & ſunt rationes ad veram concluſionem, & firmæ, & infractæ; quæ ſapientum virorum iudicio tot ſæculorum voluminibus, inſolubiles iudicatæ ſunt.

Neque ego facio rationes; tantùm indico ſcopum, contra quem ſunt dirigendæ: & armamentum principis Peripateticorum, vnde ſunt eruendæ; quia tunc non poteram ego digredi extra propoſitum. Iam contra iſta mea, quid intorquetis.

Offenſio *Sed ſanè, aut iſtæ rationes ſunt cæteris fragiliores, aut earum robur aſſecuti non ſumus.*

27. Defenſio. Fortaſſe vtrumque eſt verum. Sed res ipſa hoc declarabit. Pergite.

Offenſio *Prior quidem non benè conſequentiam deducit, quia forma hominis eſt ſeparabilis, & æterna, & tamen homo generatur, & corrumpitur ſubſtantialiter: non ergo ad generationem, & corruptionem ſubſtantialem aſtruendam exigitur neceſſario, quòd forma ſubſtantialis ſit corruptibilis, & caduca, ſed ſufficit, quòd poſſit cum materia coniungi, & abiungi. Hæc ſiquidem ſola coniunctio, & abiunctio ſufficiens eſt ad generationem, & corruptionem compoſiti.*

XXXIX 28. Defenſio. Planè non eſtis aſſecuti, aut non voluiſtis aſſequi dicta in cap. 2. pro explicatu primæ opinionis. Reſcribo Veſtig. 6. num. 10. *De ſubiecto igitur pellitur, atque deſtruitur accidens à contrario, forma ſubſtantialis contrario vacat, ob id neque pellitur, neque deſtruitur, ſed ſecundum ſuum eſſe proprium ſemper eſt ſuperſtes.* Item num. 11. ſcripſi *Iam omne compoſitum* (ſcilicet ſubcæleſte) *quà ſubſtantiale eſt, ſemper erit, ſcilicet in eſſe imperfecto, & inchoato. Quod enim eſt indifferens ad ambo oppoſita recipienda, neutri oppo-*

nitur

nitur, & à neutro oppoſitorum læditur. Hæc ibi ſcripta. Vnde patet iuxtà illam poſitionem, quòd 1. Forma nunquam deſtruitur, nunquam pellitur à materia 2. Compoſitum ſubſtantiale ſemper manet ſecundum eſſe ſubſtantiale 3. Quamobrem iuxtà poſitionem, forma ſubſtantialis non fit ex nihilo, compoſitum ſubſtantiale non fit ex aliquo ſui 4. Compoſitum ſubſtantiale non deſtruitur in aliquid, forma ſubſtantialis non deſtruitur in nihil ſui 5. Amplius materia nunquam habet priuationem formæ ſubſtantialis, ſed ſemper eſt informata, & ſemper cum forma conſtituit compoſitum ſubſtantiale 6. Quocirca materia nunquam tranſit à priuatione formæ ſubſtantialis ad formam ſubſtantialem, neque à forma ad priuationem. Igitur iuxtà opinionem primam non datur mutatio ſubſtantialis materiæ à priuatione ad formam, vel è contra. Non datur factio formæ, vel compoſiti. Ergo iuxtà illam poſitionem primam, nec generatio mutatio, nec generatio productio datur. Iſta conſequentia vobis non videtur bona, quia non benè vidiſtis dicta in illa poſitione.

Hinc patet vos petere principium, quando poſtulatis concedi, quòd anima abiungitur, vel coniungitur de nouo cum materia. Nec enim poſſibilitas vel ſeparationis, vel cõiunctionis facit actualẽ generationẽ, aut corruptionẽ: ſed actualis cõiunctio, vel ſeparatio, quæ ſecundũ illã opinionẽ primã non conceditur.

Secundò, conditio animæ rationalis iuxta ponentes rationes ſeminales in materia coæuas, eſt, vt aliæ formæ ſubſtantiales ſint in ſeminario, intellectiua non ſit. Ergo inſtantia de anima rationali non eſt ad propoſitum; quia vos etiam propoſuiſtis dicere de formis materialibus; inter quas non ponitis (vt ego arbitror) animam intellectiuam, aut ſi ponitis, vt nunc facitis, ſuperius ad num. 15. vobiſcum non conuenitis. Nec igitur benè arguitis contra rationes ſeminales afferendo animam intellectiuam, omittendo alias formas, quæ ſunt coæuæ ipſi materiæ: neque benè arguitis contra poſitionem primam poſitam Veſtigatione 6. quæ ſecundum aliquid conuenit cum inchoationibus formarum.

Igitur, indicato ſcopo, in quem dirigere debet argumenta, XXXX.

is,

is, qui velit refellere primam opinionem; ego non argumentor contra opinionem: ſed indico primum de gener. & 1. met. Ariſtotelis, vt ex munitiſſimis locis, non modò robuſtiora, ſed robuſtiſſima promantur argumenta. Hæc circa primum modum impghnandi opinionem primam.

In ſecundò modo impugnandi, ſi ſupponamus mundum ab æterno, & in æternum, vti vos tenetis de Ariſtotele; & omnes formæ, quæ incipiunt, & definunt in tota æternitate, ſimul ponantur in materia, videntur mihi actu infinitæ. Quod vel de ſolis animabus rationalibus, & Auicennæ, & Liceto Viris clariſſimis viſum eſt. Sed æternitate tanquam falſa in Ariſtotele reiecta, materia prima poteſt recipere infinitas formas, putà formas ignis numero diuerſas. Infinitæ formæ ignis, eiuſdē ſpeciei ſcilicet, ſunt poſſibiles. Si ponantur in actu in materia prima erūt actu infinitæ. At opinio prima ponit omnes formas ex ſe ſeparabiles, ſed actu cōiunctas, & nunquā ſeparatas. Ponit cōpoſita ſubſtantialia omnia eſſe in rerū natura ſecundū eſſe ſubſtantiale præciſum; ergo infinitas formas actu in ſola ſpecie ignis reperimus. Si autem ponamus omnes formas, etiam ſpecificas in conſideratione, & omnia ſingularia cuiuſuis formæ ſpecificæ, habebimus, non dicā infinities infinitas formas; ſed cum veſtra hyperbole, habebimus ſexcenties infinitas.

Tunc rurſus non arguo, ſed indicato ſcopo infinitatis confutandæ; remitto lectorem ad armamentum principis Peripateticorum in 3. phyſ. & 11. met. vt inde argumenta inducat robuſtiora, & robuſtiſſima. Sint Ariſtotelis argumenta vobis fragiliora, mihi robuſtiora ſunt: ſemper quidem; ſed maximè, dum Ariſtotelis veſtigia ſequens, mentem Ariſtotelis perquiro.

Offenſio Non conſonant cū aſſenſione tertia. Impoſtura refutata num. 39.

Nec etiam alia ratio benè deducit, quod eſſent infinitæ formæ in materia, quia opinio illa non inquit, formas in compoſiti diſſolutione in materiam rurſus immergi, & velut in eius græmio abſcondi, & latere, quouſque rurſus ab agente extrinſeco foras extrahantur, ut aſſerebant Anaxagoriſtæ, & conſentire videntur aſſertores inchoationum, Immò docet formas à materia diuelli, & veluti loco diſſi-

tas.

tas in ſe, & per ſe conſeruari. Admiſſa ergo illa opinione, non ſequitur hæc infinitas formarum in materia, ſed potius in ſe ipſis.

Citò nimium obliti eſtis relatæ opinionis, quæ ponit formas perpetuò ſecundum eſſe ſubſtantiale in materia, quia nunquam pelluntur ex ea. Ponit compoſita perpetuo in eſſe ſubſtantiali, loca non refero amplius. Nam ſi vos immemores, lector non erit immemor. Relegatur defenſio 28. ad num. 39. Opinio non dicit formas immergi, abſcondi, latere in materia: ſed dicit, accidentibus deficientibus, formas non eſſe ſenſui peruias. Si hoc eſt abſcondi, falsò refertis opinionem. Falsò item dicitis ſecundum illam opinionem, formas à materia diuelli, ac veluti loco diſſitas eſſe. Hæc eſt veſtra impoſtura. Legite totum caput ſecundum Veſtig. 6. & videbitis dici, quòd formæ ſemper ſunt in materia, & compoſita ſemper ſunt in eſſe ſubſtantiali. XLI. 29. Defenſio. *impoſtura.*

Tertiò etiam falsò adiungitis, formas rurſus ab agente extrinſeco extrahi foras. Peripateticus non dicet hoc, qui formas accidentales ſemel deſtructas, ſcit nunquam redituras eaſdem numero, ſed ſpecie ſolùm. Si autem formæ generantur, & corrumpuntur, hoc non eſt quidem ratione ſui; ſed præciſè ratione accidentium proportionalium. Quia verò irremeabile eſt iter ad eadem accidentia numero, irremeabile quoque eſt ad eandem formam, & ad idem compoſitum numero. Productis ergo nouis accidentibus ſecundum numerum: noua forma, nouum compoſitum ſubſtantiale erit in actu perfecto: non autem idem compoſitum, aut eadem forma ſubſtantialis, quæ ſemel ad imperfectionem ſtatus rediit. *impoſtura.*

Quartò de Anaxagoriſtis affirmatis, quòd illi ſint opinati formas latere, & extrahi ab agente. Sed Ariſtoteles 1. phyſ. à tex. 34. tradit, Anaxagoram poſuiſſe infinita corpuſcula ſimilaria, quorum quodlibet eſſet in quolibet latens ſecundum infinitas particulas, & quodlibet ſegregaretur ex quolibet. At aliud eſt formam latere, vel extrahi: aliud corpus, vt aurum. Non enim idem ſunt aurum, & auri forma. *1. phyſ. 34.*

Denique ſiuè *infinitum formarum actu* ponatur in materia, ſiuè extra materiam: Ariſtoteli neutrum eſt placiturum, que-

madmodum in locis relatis conſtat, & à me oſtenſum eſt Veſtig. 6. num. 138. & ſequentibus, ergo benè ſequitur, infinitas eſſe formas vtrouis modo ponantur: ſecundum vos ſequitur infinitas eſſe formas extra materiam, ſecundum iudicium meum intra materiam. Iudicium meum nititur dictis in opinione, veſtrum nititur veſtra imaginatione.

Offenſio. *Potius ergo ex ea capite formarum materialium inſeparabilitas oſtendenda eſt.*

30. Defenſio. Poſtquam vobis rationes Ariſtotelicæ ſunt nimis fragilibus fragiliores. Agite vos aliquam inſuperabilem rationem afferte. Hoc certum mihi eſt, veſtram rationem in Ariſtotelis authoritate non fundari, atq; adeò in ſchola Ariſtotelis non receptum iri, ſed in veſtra. Singulas propoſitiones examinabo.

Offenſio Prima propoſitio. *Quòd ideò* (formæ materiales) *dicuntur materiales, quia ſuapte natura in ſuo eſſe, fieri, & conſeruari, materiæ ſunt immerſa, & alligata.*

XLIII. 31. Defenſio. Nihil hic ex Ariſtotele, cuius opinionem veſtigamus. Petitio hæc eſt, non propoſitio. Qui enim teneat omnem formam eſſe ſeparabilem, concedet formam eſſe coniunctam cum materia: ſed ei eſſe alligatam, & immerſam (immerſa, & alligata ſunt metaphoræ à diſputatione reijciendæ) ità vt exolui, aut emergere non poſſit, is negabit hanc propoſitionem. Quia dum dicitur, omnis forma eſſe ſeparabilis, dicitur non eſſe alligata: idem enim ſunt ſeparabile loquendo propriè, & non alligatum loquendo metaphoricè. Quarè hæc prima propoſitio eſt petitio ſtatim.

Duplex denominatio. Præterea duplex eſt denominatio. Altera formæ à ſubiecto, vt forma materialis denominatur à materia, quam eſt apta informare, aut informat; altera ſubiecti à forma, vt ſuperficies denominatur alba. Ita quoque anima rationalis à Doctore ſubtili dicitur materialis quolibeto 9. C. contra Aquinatem. Reponiturque hæc reſponſio pro Aquinate. *Diceretur, quòd benè potentia intellectiua eſt immaterialis, quia non eſt immerſa materiæ, &c.* Ergo hæc phraſis *eſt immerſa materiæ*, vel *alligata* in declarando formam materialem, eſt phraſis Thomiſtica, non Scotica. Ex terminis Thomiſticis propoſitiones, & ex propoſitionibus

bus concluſiones Thomiſticas pro Scoticis ſcribetis.

Ità quod fatali neceſſitate ruant, eo ipſo, quod ab ea diuellantur. Offenſio 2. propoſitio: 32. Defenſio.

Nihil ex Ariſtotele. Fatalis neceſſitas è ſchola Stoicorum eſt, quæ ruinam formis, & diuulſionem minatur. Metaphoræ rhetoricæ valdè crebræ. Sed duæ ſunt petitiones principij ſinè metaphora loquendo. Concluſio impugnanda ponit, quòd nullæ formæ ſeparantur à materia: hæc propoſitio petit, quòd formæ diuellantur. Concluſio ponit omnes formas æternas, etiam ſi ſepararentur: propoſitio petit, quòd formæ ruunt.

In quo ab anima rationali ſecernuntur, quæ ob ſui immaterialitatem independenter à materia ſit, & conſeruatur. Offenſio 3. propoſitio.

Nihil ex Ariſtotele. Si narratio veſtræ opinionis valet pro argumento ad refutandam primam opinionem vobis oppoſitã, viciſtis. Aduerſarius interim dicet vos tria falſa dicere in his paucis verbis. 33. Defenſio.

Primum falſum, quòd anima rationalis ſit immaterialis. Etenim (vt loquar ex me, non ſecundum poſitionem) anima rationalis eſt materialis, & per materiam, in qua, & per materiam, ex qua eſt, vti S. Bonau. in 2. diſt. 17. quæſt. 2. & Scotus quæſt. 15. in lib. de anima, & Hugo Cauellus ſuper illum lib. Titulus ille immaterialitatis datus animæ, non eſt Scoti, ſed Aquinatis. Nam Scotus tale facit argumentum contra Aquinatem quol. 9. *Si inſtetur, quòd ſimili ratione poſſet concludi per operationem, & vlterius per potentiam, quòd anima intellectiua eſt immaterialis, & tamen concluſio eſt falſa; hoc eſt, quòd non ſit perfectio materiæ*; licèt *ſecundum aliquos vera ſit de immateriali, hoc eſt non compoſita ex materia, & forma*; Anima ergo intellectiua eſt materialis, quia perfectio materiæ, & quia ex materia ſecundum Scotum; licèt ſecundum aliquos exiſtimetur immaterialis hoc ſecundo modo. Reſpondet ibi Doc. Sub. pro Aquinate; ſed illam reſponſionem duplici argumento reprobat, & relinquit inſtantiam tanquam benè probantem. XLIII.

Materialis formæ qual. Sco 4. d. 1. q. 1 G g. Vbi rationalis etiam continetur, vt nec ipſa creare poſſit.

Secundum falſum iuxta opinionem impugnandam eſt, quòd anima intellectiua differat ab alijs formis ſubſtantialibus ratione independentiæ. Nam omnis dependentia eſt imperfectio

formaliter, vel neceſſariò habet annexam imperfectionem. Sed forma ſubſtantialis non eſt imperfectior, quàm materia, immò eſt bonum diuinum, & appetibile: materia eſt fæx ſubſtantiarum, igitur forma nulla in fieri, eſſe, conſeruari, dependet à materia ex lib. 1. Defens num. 47. ad 50.

Tertiũ falſum, iuxtà poſitionem reſpondendo. Ponitis differentiam inter animam intellectiuam, & alias formas quò ad fieri, & conſeruari. Sed opinio aduerſa ponit omnes formas conformiter ſecundum eſſe ſubſtantiale ſemper eſſe in materia: ſemel reduci ab eſſe imperfecto ad perfectum, ſemel à perfecto ad imperfectum. Vos iſta duo diſcrimina in ratione & *dependentiæ* & ipſiùs *fieri*, & *conſeruari* probare, non proponere tantùm debebatis.

4. Offenſio. *Vnde etiam dum corpus informat, in ſuo eſſe ſubſiſtit.*

XLIV. Nihil cum Ariſtotele, ſed neque cum Scoto, qui reſolutè ne-
34. Defenſio. gat animam ſubſiſtere, quando eſt in corpore, quolib. 9

5. Offenſio. *Quæ de cauſa dum ab eo ſeiungitur, non ſtatim interit, ſed ſeparata ſeruatur.*

35. Defenſio. Iuxtà poſitionem prædictam petitis principium. Vult is enim, vt anima ſeiungatur actu, quod poſitio negat. Si enim loquamur de poſſibili, omnes formæ ſubſtantiales ſunt ſeparabiles: ſi de facto, nulla ſeiungitur, ne detur in æternum aliquid præter naturam: ideoque & natura, naturæque parens formas materiæ coæuas ſemper in materia relinquit.

Illa quoque cauſalis veſtra, falſa eſt, nempe iſta: *quæ de cauſa*, ſcilicet *independentiæ à materia*, & *immaterialitatis forma ſeiuncta ſeruatur*. Fallacia non cauſæ, vt cauſæ eſt. Immaterialitas falsò in anima ponitur: non ergo poteſt eſſe cauſa alicuius proprietatis in anima intellectiua. Independentia à materia eſt communis omnibus ſubſtantialibus formis, quarè non poteſt eſſe cauſa vllius proprietatis in anima intellectiua.

CA-

CAPVT VIII.

Formæ educibiles, & eductio earum ab Offenſoribus propoſita expenditur.

QVia ergo omnes formæ materiales ſunt ex materia educibiles, vt fuit diſput. 2. phyſ. quæſt. 7. arti. 2. & 3. ideò nulla prorſus eſt à materia ſeparabilis, & æterna.* 6. Offenſio.

Nihil citatis ex Ariſtotele antiquo. Antiquata ſunt apud vos eius dogmata. Citatis vos ipſos nouellos Ariſtoteles. Sed Ariſtotelici defendentes poſitionem, vos non recipient. Negabunt enim antecedens de omni forma ſubſtantiali, quoniam ex 1. phyſ. nulla forma fit ex materia. 36. Defenſio. 1. phyſ.

Deinde hoc vocabulum, *educibiles*, eſt obſcurum. Dicam cum Gabriele Biel theologo, ac philoſopho præcellenti, me ignorare ſignificatum huius vocabuli. Declarate igitur, atque docete Gabrielem, & me. Sed in diſput. 2. phyſ. quæſt. 7. ante primum arti. cart. 225. ſic à vobis eſt ſcriptum. *Sed quia ſit formam educi de potentia materiæ, & quid ad veram eductionis rationem requiratur, quot capita, tot ſententiæ.* Si ità eſt, vt circa rationem eductionis, quot ſunt capita, tot ſententiæ ſint. Vos duo capita eſtis, ergo duo diuerſa ſentitis: & vobis non credo, quia veritas vna eſt. Si ſentitis idem, ergo non quot capita, tot ſententiæ, & rurſus vobis non credo. XLV. Gal. Biel. 4. d. 1. q. 1

Refertis illic omnium ſententias, & omnes tanquam ignorantes refutatis. Deinde aſſertis veſtram eductionis definitionem.

Primam, *Educi formam de potentia materiæ ſignificat formaliter, quod in ſuo eſſe, fieri, & conſeruari à materia dependeat.*

Secundam, *Eductio propriè eſt productio formæ in ſubiecto, cum dependentia ab eo.*

Tertiam, *Formam educi de potentia materiæ formaliter, nil aliud eſt, quàm ſuum fieri neceſſariò eſſe fieri in materia, & quod ſuum eſſe, neceſſario eſt eſſe in materia, ità quod &c.* Nam hæc tertia definitio magnam columnam implet. Ergo eductio ipſa incerta eſt

ta eſt valdè: probatis eam ex omnibus locis Scoti citatis. Allegatur Scotus 4. diſt. 1. quæſt. 1. ante H h. Sed ibi Scotus loquitur de forma materiali, & eam deſcribit: eductionis nõ meminit.

Citatio alſa.

Citatis Ex Fuentes q. 1. & 4. d. 43. q. 2. M. at ibi Scotus nõ meminit eductionis; ſed ait omnem formam, etiam rationalem cum Ariſtotele produci productione compoſiti, non propria.

Citatur denique 4. diſt. 13. quæſt. 1. §. ex dictis. Scotus hoc loco nominat eductionem, & inductionem. Cito & ego 4. diſt. 12. quæſt. 3. I. & vtroque in loco comparat formam inductam, vel eductam ad efficiens inducens, vel educens; quid autem ſit inductio, vel eductio, & quomodo diſcernantur, Scotus non dicit. Concludo rationem eductionis eſſe incertam, & ex incertis, atque ignotis nihil probari.

Reſpondebitis: Omnes alij malè aſſignauerunt definitionem huius termini *eductio*, nos ſoli benè; noſtrum ſignificatum eſt certum, & verum. Sed reſpondebunt alij contra vos, ſe benè definiuiſſe, vos autem malè. Ite igitur, & concordate cum alijs in ſignificato vocis; & item probate nobis tale ſignificatum ex Ariſtotele, & tunc audiemus. Plura etiam de eductione di-

XLV. cta ſunt, defenſione 1. num. 52. quia illic iterum ignorantiam eductionis obiecistis.

Interea ſumma veſtri argumenti in eo conſiſtit: omnes formæ ſubſtantiales materiales dependent in fieri, eſſe, & conſeruari à materia: ergo non poſſunt ab illa ſeparari.

Reſpondeo pro poſitione oppoſita, negando antecedens omninò: nam formæ ſubſtantiales non dependent à materia aſſertore Scoto quol. 9. ſed ſolæ accidentales.

Offenſio

Accedit, quod ſi ponantur ſeparabiles, tunc edocendum erit ab hac ſententia, quò diuertat forma in actu diuiſionis à materia, & quo loco conſeruetur, quod adeò difficile eſt edocere, etiam de ipſa anima rationali apud Ariſtotelem. Vt Ferchius ipſe poſt longam rei diſcuſſionem, in eam venerit opinionem lib. 2. cap. 14. vt Ariſtoteli concedenda fuerit circulatio animarum rationalium in corpora humana, quod an ritè dictum ſit, & correſpondenter ad Ariſtotelis principia, & fidei noſtræ candorem, num potius fabuloſè, dicemus in lib. de Anima. Si ergo de anima rationali ita ſentit in via Peripatetica, quid di-

cet

& et de alijs ſubſtantialibus formis, ſi ipſæ quoque ſeparabiles ſunt, ac ſuapte natura ſubſiſtentes? Migrabunt ne de vna materia in aliam, an potius inſinitæ in concauo Orbis lunæ manebunt.

Secundum poſitionem vobis oppoſitam formæ realiter manebunt ſemper in materia, vt, ſæpè repetitum eſt contra vos, ſed ſemper diſſimulatū à vobis. Sed ſecundum fictionem veſtrā non manebunt in concauo orbis lunæ, ſed in cerebris veſtris lunaticis. 37. Defenſio.

Quod dicitis eſſe difficile in Ariſtotele docere de anima ſeparata, quo loco conſiſtat, & quò diuertat. Dico eſſe facile, nam in 4. phyſ. 45. & 1. animæ 38. nullus eſt locus ipſius animæ: quia corpora ſunt per ſe in loco, formæ autem non ſunt in loco, niſi per accidens ratione corporis. Vndè qui concipiunt formas eſſe in loco, non poſſunt abſtrahere ab imaginatione.

Tertiò additis, Ferchium poſt longam rei diſcuſſionem, quærendo ſcilicet de loco animæ rationalis, poſuiſſe circulationem animarum. Hoc eſt falsò mihi impoſitum. In Veſtigat. 6. de loco animæ non quæſiui: neque ex loco deduxi circulationem animarum, ſed ex æternitate motus; ſic in cap. 14. num. 143. ſcribo. *Dum Bononiæ naturalem ſcientiam docerem, creberrimè à diſcipulis inſtigatus, vt hoc argumentum ab æternitate motus petitum ſoluerem, anno 1614. in eam veni opinionem, vt Ariſtoteli fuerit concedenda circulatio animarum in corpora humana tantùm.* De qua re, etiam tractaui eadem 6. Veſtigat. num. 135. Itaque impoſtura veſtra eſt, quòd circulationem deduxerim ex diſcuſſione de loco animarum. Deduxi enim ex æternitate motus: quæ valde diuerſa eſt à loco. *Impoſtura.*

Denique qualiacunque ſint hæc veſtra argumenta ex dependentia formarum à materia, & ex loco formarum ſeparatarum: extra propoſitum ſunt dicta. Cum enim Ariſtotelis veſtigatur ſententia, ipſa ex dictis Ariſtotelis, non ex dictis veſtris eſt demonſtranda. At vos nihil ex Ariſtotele; ergo nihil ad rem. XLVII.

Quæ cōminamini vos acturos in libro de Anima, vtrum circulatio ſit conſentanea principijs Ariſtotelis; non timeo. Legi enim, dùm hæc imprimuntur, amico ſuggerente, librum veſtrum de Anima in ea parte, qua de circulatione animarum agitis, ex indice veſtro deductus ad locum illius tractationis. Illic præter

nouam

nouam irriſionem circulationis, nihil eſt. Irriſio certè non eſt ratio.

Quod proponitis examinaturos, an opinio de circulatione cum fidei candore conſiſtat; non eſt, quod à vobis diſcamus, vti dicam defenſionis libro vltimo.

CAPVT IX.

Offendentium *Reſponſiones ad argumenta Ferchij refelluntur.*

Offenſio *num.* 69. *AT videamus, quibus rationibus ex Ariſtotele probet hic Author hoc ſuum problema.*

38. Defenſio. *impoſtura.* Omnem formam ſubſtantialem eſſe ſeparabilem, eſſe meum problema: falſum veſtrum eſt. Tam ſæpè fallitis lectorem referendo mea.

Offenſio *Primo probat quia Ariſtoteles 5. met. 15. ait formam ſubſtantialem eſſe ſeparabilem & 7. met. 8. & 12. met. 26. idem habet. Quibus ex locis colligit hoc ab Ariſt. poni diſcrimen inter formam ſubſtantialem, & accidentalem: quod illa eſt ſeparabilis, hac non.*

93. Defenſio. *Confirmat hoc in 2. ratione ex 7. met. 4. & 12. met. 3.*

Quando concluſio eſt falſa, neceſſariò, vel aliqua propoſitio eſt falſa, vel forma ſyllogiſmi eſt fallax. Sed argumenta, quibus probatur vniuerſalis affirmatiua, *omnis forma ſubſtantialis eſt ſeparabilis*, ſunt pro concluſione falſa: ſicuti etiam, quæ probant *nullam eſſe ſeparabilem*, ſunt pro concluſione falſa. Si ergo argumenta pro parte falſa ſoluantur, nihil mea refert; immò ſi rectè ſoluantur gratum fuerit.

Quia tamen Offenſores antea geſſerunt perſonam arguentis, & ego reſpondentis, non ad ſenſum meum; ſed ad poſitionem Peripateticè tractatam cap. 2. Veſtigat. 6. atq; hactenus patuit Offenſores nihil arguendo feciſſe ex Ariſtotele, nihil ex ſe. Placet, quando mutant perſonam, & accipiunt onus reſpondentis, mutare etiam perſonam meam in perſonam arguentis, vt appareat à meis Offenſoribus nec fallacia argumenta ſolui poſſe.

Primo igitur obſeruo Ad verſarios noluiſſe citare Ariſtotelis

verba;

verba; nam ex eis lector protinus cognouiſſet reſponſionum imbecillitatem, & falſitatem. XLVIII

Secundò non retuliſſe fideliter meas ſuper textibus obſeruationes, in quibus vis argumenti conſiſtit; vt ſic reſponderent ad relata propria, non ad argumenta mea.

Tertiò, Moleſtum eſſe referre omnia ex Veſtigat. 6. cap. 2. & ſingillatim conferre cum dictis aduerſariorum. Faciam tamen hoc, quàm breuiſſime fieri poterit.

In referendo primo argumento ex tribus textibus citatis fallunt lectorem, quia non colligo ex illis differentiam inter formam ſubſtantialem, & accidentalem; ſed inter materiam, & formam. Vnde in 3. obſeruatione dico. *Quia ponitur differentia inter materiam, & formam: atque ſeparabilitas magis attribuitur formæ. Sanè materia ratione, & re, eſt à ſingulis formis ſeparabilis, ergo & forma omnis hoc pacto erit ſeparabilis.* Sed audiamus, quid reſpondeant.

Reſpondetur Ariſt. locis allegatis, præſertim in ſecunda ratione non ponere illam differentiam inter formam ſubſtantialem, & accidentalem, quòd illa ſit ſeparabilis à materia, non iſta. Sed ponit illam differentiam inter ſubſtantiam ex vna parte, & accidens ex alia in hoc ſenſu, quod ſubſtantia eſt per ſe exiſtens, & ſeparabilis ab accidentibus, accidentia verò non habent eſſe per ſe, nec poſſunt ſeparari à ſubſtantia. Offenſio §. 1.

Ità exponunt ibi omnes, præſertim Scotus in expoſitione illorum textorum, & quolib. 2. ab initio, & *textus de ſe patet.* §. 2.

Ex eo autem, quòd ſubſtantia ſeparabilis eſt ab accidente; non è contra, ſanè non videmus, quomodo ritè hinc inferatur omnem formam ſubſtantialem eſſe ſeparabilem à materia, potius enim inferri deberet eſſe ſeparabilem à ſuis accidentibus. §. 3.

In duabus rationibus primis attendendum eſt prædicatum principale, quod eſt *ſeparabilitas rei, & rationis*: & ſubiectum principale, quod eſt *omnis forma*, vt ſcilicet vniuerſalis ſit propoſitio; & ad hoc intentum principale duo ſunt argumenta. 40. Defenſio.

Argumentum ſecundum (quod ab iſtis primo loco ſoluitur) ex 7. met. 4. & 12. met. 3. in duos ſyllogiſmos reſoluitur ſic. Omnis ſubſtantia eſt ſeparabilis, nullum accidens eſt ſeparabile: ſed IL.

omnis forma ſubſtantialis eſt ſubſtantia: ergo omnis forma ſubſtantialis eſt ſeparabilis. Hucuſque ſeparabilitas eſt probata de omni forma, vt ſit vniuerſalitas ex parte ſubiecti.

Secundus ſyllogiſmus. Nullus ponens differentiam inter aliqua duo, ponit differentiam in eo, quod ambobus conuenit: ſed in eo, quod conuenit vni, non alteri. At ſeparabilitas rationis conuenit ſubſtantiæ, & accidenti, ergo Ariſtoteles per ſeparabile non ponit differentiam, intelligens ſeparabile ratione, ſed re: quarè omnis ſubſtantia eſt re ſeparabilis, nullum accidens eſt re ſeparabile. In quo argumento nihil aliud concluditur, niſi modus ſeparabilitatis de omni forma. Vt intelligatur eſſe locutio de ſeparabilitate metaphyſica, quæ eſt rei, & rationis. Offenſores non reſpondent ad medium terminum, non ad prædicatum, non ad ſubiectum concluſionis: non ad materiam, non ad formam: ſed dicunt concludi ſeparabilitatem ſubſtantiæ ab accidente. Verum dicunt: ſed non ad propoſitum. Aliud enim eſt quærere quid à quo ſit ſeparabile, quod in nullo termino ſyllogiſmi continetur: aliud eſt quærere, qualis ſeparabilitas, cui conueniat, quod eſt concluſum, & ad quod non reſpondent. Ergo ad argumentum non reſpondent: ſed ad propriam imaginationem.

Quando in 3. §. dicunt ſe non videre, quomodo ex ſeparabilitate probata inferatur ſeparatio materiæ à forma. Mirabile eſſet, ſi hoc ipſi viderent in argumento ſecundo, quod in eo nō eſt à me ſcriptum. Ego non ſcripſi iſtam conſequentiam. Quarè videre non potuerunt ipſam: Liber Veſtigationum eſt impreſſus, legi poteſt.

Tunc arguo. Illa ſolutio non eſt bona, quæ non eſt ad medium terminum, nec ad propoſitiones neq; ad terminos concluſionis. Talis eſt, ò mei Offenſores, veſtra ſolutio ad ſecundum.

1. Primum argumentum meum habet duas partes, in prima probatur, quòd forma ſit ſeparabilis à materia, & in iſta parte conſideratur, quid à quo ſit ſeparabile. In alia parte principale prædicatum, quod eſt ſeparabilitas rei, & rationis, concluditur de omni forma, vt ſcilicet prædicatum principale de principali

ſubiecto

ſubiecto probetur. Prima ergo ratio fundatur ſuper tribus authoritatibus 5. met. 15. & 7. met. 8. & 12. met. 26. quibus locis dicitur forma eſſe ſeparabilis, & arguo ſic.

Ariſtoteles loquitur de forma, non ſpecialiſſima, ſed vniuerſaliſſima ritu metaphyſico: quia metaphyſica eſt ſcientia vniuerſaliſſima; atqui Ariſtoteles docet formam ſubſtantialem eſſe ſeparabilem, ergo omnis forma ſubſtantialis vniuerſaliſſimè ſumpta eſt ſeparabilis. Sic probata eſt vniuerſalitas ex parte ſubiecti. Rurſus ex differentia mathematicæ, & metaphyſicæ colligitur modus ſeparabilitatis: ſed mathematicus conſiderat ſeparabilia ratione ſolùm, metaphyſicus ſeparabilia re, & ratione. Atqui in citatis textibus Ariſtoteles vt metaphyſicus, & metaphyſicè loquitur, ergo loquitur de ſeparabilitate rei, & rationis, quam illam attribuit omni formæ. Hoc modo probatum manet principale prædicatũ de principali ſubiecto; & hinc numeratæ ſunt duæ rationes ex probatione duplici principalis prædicati.

Nec tamen omiſi conſiderationem ſecundariam oſtendendo, quòd forma ſubſtantialis ſit ſeparabilis à materia ſubſtantiali, immò hoc eſt fundatum in primis tribus authoritatibus.

Prima ex 7. met. 15. *Accidit igitur duobus modis dici ſubſtantiam, & ipſum vltimum ſubiectum, quod non dicitur de alio: & id, quod, cum quod quid ſit, etiam ſeparabile fuerit, tale verò cuiuſque forma, & ſpecies.* Significata per vocabula *ſubſtantia*, ſunt duo; vnum eſt, *vltimum ſubiectum*, quod 7. met. 7. diuiditur in materiam, formam, & compoſitum. Reliquum ſignificatũ eſt vnum ex iſtis tribus, ſcilicet *forma*, quæ habet duas conditiones, *quidditatem* & *ſeparabilitatem*. Quæ ſuſpicio eſt in hac definitione ſignificati ſecundi, vt ſit comparatio ad accidens? Sola reſtrictio eſt, nam primum ſignificatum tres ſubſtantias cõprehendit. Secundum ſignificatum accipit vnam ſubſtantiam ex tribus: & comparat formam cum eo, cuius eſt; eſt autem forma materiæ tanquam correlatiuum, & eſt compoſiti tanquam cauſa conſtituens: an magis ſit dicenda forma materiæ, an compoſiti, nil refert. Satis eſt, quod comparando inter ſubſtantias diſtinguitur ab eis per *ſeparabile*, & *per quid*. Atque Aphrodiſeus

cum pluribus modis declaret particulam *ſeparabile*, ad materiam tantùm comparat; ſicut & Philoponus: neque textus aliter permittit.

LI. Secunda authoritas ex 7. met. 8. Vbi ſcribitur. *Ex his itaq; ſpeculantibus, accidit ſubſtantiam eſſe materiam; at impoſsibile eſt, etenim ſeparabile, & quod quid videntur maximè ineſſe ſubſtantia; propter quòd forma, & quod ex ambobus ſubſtantia videtur eſſe magis, quàm materia.*

Text. 9. *At illa ſubſtantia, quæ ex ambobus, dico autem, quæ ex materia, & forma eſt, omittenda eſt, poſterior enim & manifeſta eſt manifeſta verò quodammodo etiam ipſa materia, at de tertia conſiderandum eſt &c.* Liquidò conſtat in textu præcisè comparari tres ſubſtantias inter ſe, & non ad accidens, de quo nec verbum habetur. Probat verò Ariſtoteles, quòd forma ſit magis ſubſtantia, quàm materia, & quàm compoſitum iuxta verſionem, qua vtebatur Scotus. Qui quolib. 9. H. arguit contra ſe *Septimo met. 8. forma eſt magis ens, quàm compoſitum, ergo illa non ordinatur ad eſſe totius tanquam ad compoſitum.*

Scotus.

Reſpondet. *Ad primum: Non intelligitur prius & maius ſecundum perfectionem, ſed ſecundum principalitatem & independentiam; quia eſſe principij principalioris eſt independens reſpectu principiati, & reſpectu principij minus principalis.*

forma independens à materia.

Quamuis Veſtigatio 6. n õſit cum Scoto, ſed in multis contra ipſum: vt propter hoc citare Scotum contra me non ſit, niſi petere principium: quemadmodum peteret principium contra Scotiſtam, qui citaret authoritatem S. Th. aut S. Bonau. Tamen quoad vtile eſt, recipiatur, & primo ex iſto loco quolibeti colligo, quòd forma in ſuo eſſe eſt independens à materia, cui contradicunt Offenſores. Secũdò, quòd expoſitio Scoto attributa ſuper metaphyſicam, Scoti non eſt; quia neque textus, neque expoſitio conſonant cum lectione per Scotum citata in quolib. 9. & in 7. met. quæſt. 6. Tertio, quòd comparatio fit inter ſubſtantias: & forma habet rationem principij principalioris; nempè quià dicit quidditatem ſpecificam, & partem quidditatis actualem. Rurſus eſt ſeparabilis à materia, quia independens à materia. Si autem Antonius Andreas (cujus eſt ille Commentarius,

Commentarius metaphyſ. falsò ſcribitur Scoto.

pag. 312

rius,

rius, falsò attributus Ioanni Scoto) comparat ſubſtantiam ad accidens, contra quàm Scotus fecerit, non eſt nouum; tranſcripſit enim expoſitionem ab Aquinate, vt plerunque facit, quemadmodum in 1. diſcuſſione Scotica per me edita pateſeci. Atq; vtinam haberem Scoti expoſitionem veram: ſed eam deſiderare licet, adhuc tamen haberi non potuit.

Deinde Ariſtoteles per *quidditatem*, & *ſeparabilitatem* probat formam eſſe magis ſubſtantiam, quàm ſit materia; ſi loqueretur de ſeparabilitate ab accidente, hoc eſt commune tribus ſubſtantijs comparatis, non proprium formæ, ergo nihil concluderet. Rurſus magis eſt ſeparabilis materia, quæ poteſt ab omnibus accidentibus ſeparari, cum forma omnis requirat determinata accidentia, quibus ſublatis, ſecundum Scotum forma deſtruitur 4. diſt. 12. quæſt. 3 & 2. diſt. 37. quæſt. 1. ante A.

Pręterea quidditas cōpetit ſoli formæ; ſed in ordine ad materiã, quam ſpecificat, & ad compoſitum, quod conſtituit. Ergo & ſeparabilitas conuenit ſoli formæ in ordine ad compoſitum, ſine quo poteſt eſſe, quantum eſt ex ſe, ſicut prius realiter poteſt eſſe ſine poſteriori: ergo & ſimiliter habet ſeparabilitatem à materia. Comparatio enim inter ſubſtantias eſt in vtroque prædicato formæ.

Tertia authoritas ex 12. met. 26. ſimiliter ponit formam ſeparabilem eſſe comparando ad ſubſtantias, non ad accidens. Quærit Philoſophus, an omnium principia ſint eadem? Reſpondet eſſe eadem ſecundum proportionem, quia in omnibus eſt actus, & potentia: ſicut affirmauerat eſſe eadem ſecundum proportionem in ratione formæ, materiæ, priuationis: atq; actum, & potentiam reducit ad materiam, & formam dicens. *Cadunt autem hæc in prædictas cauſas. Actus nanque forma eſt, ſi ſeparabilis ſit, & quod ex ambobus: priuatio etiam vt tenebræ, aut ægrotans; potentia autem materia, hæc nanque eſt, quod ambo fieri poteſt.* Comparatur actus ad potentiam, & ad compoſitum. Comparatio eſt inter ſubſtantias, vt conſtat: atque actus dicitur eſſe forma, ſi ſeparabilis eſt; vbi ſeparabile ſoli actui datur, non cōpoſito, quia compoſitum non poteſt ſeparari à partibus: non materiæ in ratione potentiæ, quia potentia non eſt ſeparabilis LIII.

ab

ab actu menſurante: ſicuti in ijs, quæ ſunt ad aliquid ſcriptum
5. met. c. 4. ad aliquid. eſt de ſenſatione, & de ſcientia. Si autem ſeparabile reſpectu accidentium diceretur, eſſet commune tribus ſubſtantijs, & non proprium ipſius actus.

Reſpondent ad iſtos textus.

Offenſio *Iuxtà hanc phraſim loquitur (Ariſtoteles) in alijs locis, cum dicit ſubſtantiam eſſe ſeparabilem; vult enim poſſe quantum eſt ex ſe ab accidentibus ſeparari.*

41. Defenſio. Reſponſio hæc eſt inermis. Verba veſtra, ſed nulla authoritate, nulla ratione fulta. Iam verò ex ponderatione trium textuum probaui in illis textibus formam dici ſeparabilem in comparatione ad ſubſtantias alias, non ad accidens.

Offenſio *In quibus etiam aduertendum eſt hoc prædicatum, ſeparabile de composito, & prima ſubſtantia, inquantum eſt illa, quæ per ſe ſubſiſtit, præcipuè enunciari; forma verò participatiuè, inquantum ſcilicet magis participat de actualitate compoſiti, quàm materia. Videatur Doctor ſuper illos textus, quia verba cuiuslibet textus referre, atque Doctoris explanationem, longum eſt.*

LIII. 42. Defenſio. Hæc verba ſunt prorſus falſa. Quia in ratione ipſius *quid* compoſitum participat quidditatem beneficio formæ, & non è contra; quarè & ſeparabile ineſt compoſito ex participatione formæ, & non è contra: vnde Ariſtoteles per *ſeparabile*, & *per quidditatem*, tanquam per proprios characteres formam ſecernit à compoſito & à materia: & per iſtos characteres, teſte etiam ipſomet Scoto, probat Ariſtoteles, quòd forma eſt magis ens, & magis ſubſtantia, quam ſit materia, & quàm ſit compoſitum. Longum verò eſt vobis, Offenſores mei, legere textus Ariſtotelis, & expoſitores: quia volando legitis, & ſcribitis; ſed Ariſtoteles admodum moroſè, & circumſpectè eſt legendus. Exerite mihi textum Ariſt. & ex ipſo textu ponderato, probate fieri cōparationem formæ ad accidens. Hoc non probaſtis, & ſine dubio eſt contra textum.

Offenſio *Tandem ſi unquam Ariſt. loc. cit. vel alibi docet formam ſubſtantialem eſſe ſeparabilem in ſenſu arguentis, accipienda eſt indefinitè illa propoſitio eius, non autem vniuerſaliter, ſicut accipitur illa 1. phyſ. prima principia ſunt contraria.*

Verè

Verè Ariſt. in tribus textibus citatis loquitur in ſenſu arguentis : ponit enim differentiam inter formam ex vna parte, materiam, & compoſitum ex altera per illos duos characteres, *ſeparabile*, & *quid*; & per eoſdem ponit præeminentiam formæ ſuper materia, atque etiam compoſito ſecundum lectionem antiquam, à Scoto probatam. Verùm nunc citatis primum phyſicorum à me Veſtig. 6. num. 32. citatũ. Ego textum nõ deſignaui, quarè neque vos potuiſtis numeratò ponere textum, quia neque ego numeratò poſui. 45. Defenſio.

Falsò tamen ſcribitis indefinitè, & non vniuerſaliter dici formam ſeparabilem à materia textibus citatis, quoniam Ariſtoteles loquitur de omni forma vniuerſaliſſime diſtinguendo à materia, & à compoſito. *Formam eſſe ſeparabilem vniuerſaliter.*

Item vniuerſaliſſimè diſtinguendo ſubſtantiam ab accidente.

Expendatur locus citatus 5. met. 15. illa ſubſtantia dicitur LIV. propriè in 2. ſignificato, quæ eſt *quid* & *ſeparabilis*. Eſt ne aliqua forma ſubſtantialis, quæ non ſit quid? Quæ non ſit ſeparabilis? Ergo aliqua forma ſubſtantialis non continebitur in illo ſignificato, quod eſt abſurdum. Definitio eſt vniuerſalis, etiam ſi ei non addatur ſignum vniuerſale; ſed aſſignata eſt in illo textu definitio ſubſtantiæ in 2. ſignificato, ergo eſt vniuerſalis. *Definitio eſt vniuerſalis.*

Expendatur tex. 7. met. 8. Si aliqua forma non eſt ſeparabilis à materia, & a compoſito; ergo illa forma non erit magis ens, & magis ſubſtantia, quàm compoſitum, & quàm materia.

Expendatur tex. 26. duodecimi met. forma, ſi eſt ſeparabilis, dicitur eſſe actus: ſi aliqua forma non ſit ſeparbilis; ergo non erit actus. Facilè reſpondetis, propoſitiones eſſe indefinitas in Ariſtotele; ſed ponderato textu apparent vniuerſales. Omnis forma eſt actus, omnis forma eſt magis ſubſtantia, quàm materia, omnis forma eſt *quid* reſpectu materiæ.

Et animaduerſione digniſſimũ eſt in omnibus his locis Ariſt. commemorauiſſe *ſeparabilitatem*, non tamen in omnibus *quidditatem*; vt magis vniuerſaliter dignitas formæ accipiatur ex *ſeparabilitate*, quàm ex *quidditate*. *Forma ſeparabilis magis, quã quid.*

Quamquam ergo Ariſtoteles in 1. phyſ. poſuerit illam indefinitam *Soluitur aduerſariorũ conſequentia*

finitam, *principia ſunt contraria:* non ſequitur, quòd omnes aliæ propoſitiones in quibuſuis alijs libris ſint indefinitæ. Hæc reſponſio generalis veſtra, eſt cum fallacia conſequentis: ſi in vna propoſitione eſt ità, ergo & in cæteris: veluti ſi vnus homo eſt doctus, ergo omnis homo eſt doctus.

Tertium Argumentum Ferchij.

Offenſio Num. 70. *SEcundo arguit ex 8. met. tex. 8. Vbi Ariſtoteles facit hanc diſiunctiuam, loquens de forma ſubſtantiali. Neceſſa eſt aut ſempiternam hanc eſſe, aut corruptibilem abſque eo, quod corrumpatur, & factam eſſe abſque eo, quod fiat. Sed pars ſecunda huius diſiunctiuæ eſt ſimpliciter falſa, nempe vt aliquid ſit factum abſque fieri, & corruptum abſque corrumpi; ergo prima pars eſt vera dicens, omnem formam ſubſtantialem eſſe ſempiternam.*

LV. 44. Defenſio. Hoc argumentum meum eſt. Sed magnam partem textus omiſiſtis, ex qua veſtra reſponſio refellitur.

Offenſio *Reſp. immò Scotum exponere, quòd prima pars diſiunctiuæ eſt falſa, quia eſt ſecundum opinionem Platonis ponentis formas ſeparatas; & 2. eſt vera, ac de mente Ariſtotelis, qui ponit formas in materia generabiles, & corruptibiles non per ſe, ſed per accidens, vt oſtendit in 7. met. & hac de cauſa inquit eſſe corruptibilem abſque eo, quod corrumpatur, & factam eſſe abſque eo, quod fiat; nempe per ſe & immediatè, ſic enim ſolum compoſitum generatur, & corrumpitur.*

45. Defenſio. Poſſem ego reſponſionem hanc pſeudo Scoti, id eſt Antonij Andreæ recipere, quia non eſt veſtra, ſed viri ſpectatiſſimi. Veruntamen, quoniam Antonius Andreas illam expoſitionem ab Aquinate accepit, non eſt cum Scoto accipienda. Scoti expoſitionem non habemus, vt dixi. Habemus tamen librum, cui titulus eſt, *Concluſiones metaphyſicæ.* In octauo libro eſt. (Scotus.) (ant. 306)

Octaua Concluſio ibi. Non videtur itaque quærentibus T. com. 8. *eſt, quod forma eſt aliquid aliud, præter partes materiales. Medium eſt, quià non eſt elementum, nec ex elementis, vt pat. 46. 7. huius, & hic repetitur.*

Nona Concluſio ibi. Neceſſarium itaque T. com. 8. *eſt, quòd forma non ſit, neq; generatur, vt pat. ex 21. 7. & hic etiam repetitur.*

Decima

Decima Concluſio, quam videtur intendere ibi, ſi autem ſunt corruptibilium ſubſtantiæ 5. com. 8. *eſt, quòd ſi formæ ſunt ſeparatæ à materia, vt Platonici poſuerunt, non erunt definibiles.*

Ex iſta Scoti doctrina, noto Scotum ponere concluſionem de formis in materia exiſtentibus, habere principium in illis verbis: *Neceſſarium itaque:* ſicut & ego poſui in meo argumento. Deinde in verbis poſitis à me, ſed à vobis ommiſſis, illis. *Si verò corruptibilium ſubſtantiæ ſunt ſeparatæ,* ponit Scotus ſermonem eſſe de formis ſeparatis contra Platonem; quarè vel Scotus ſibi contradicit, ponens illam particulam: *Neceſſarium itaque eſt, aut ſempiternam hanc,* eſſe intelligendam de formis ſeparatis à materia vna vice: de formis non ſeparatis à materia altera vice; vel quod verum eſt, Scotus verus mecum eſt: Scotus falſus vobiſcum. Et cum Scoto vero militant Aphrodiſeus, Philoponus, Auerroes, Sueſſanus, Scainus, & alij. Et ipſa quoque textura Ariſtotelis id oſtendit. Quod placet latius expendere.

Ariſtoteles de forma ſubſtantiali agit, & primo ait, quòd forma non eſt ex materia, ſed eſt aliquid præter materiam. LVI. 8 met. 8.

Et hoc rectè: compoſitio enim, & mixtio non eſt ex his, quorũ eſt compoſitio, aut mixtio: ſimiliter nec aliorum, vt putà limen poſitione, non ex limine poſitio, ſed magis iſtud ex illo.

OBSERVATIO.

DOcet, quòd forma non eſt ex materia, vt compoſitio non eſt ex componibilibus, veluti forma domus non eſt ex lapidibus, vel cæmento. Mixtio non eſt ex miſcibilibus, vt forma mulſi non eſt ex melle, & aqua mixtis. Ità ſi limen informatur poſitione, poſitio non eſt ex limine; ſed potius limen ex poſitione.

TEXTVS.

NEc homo eſt ipſum animal, & bipes, ſed aliquid eſſe oportet præter hæc, ſi hæc materia ſunt: ſed nec elementum, nec ex elementis, ſed ſubſtantia, quod materiam auferentes dicunt.

OBSERVATIO.

SVpponit, quòd animal, & bipes ſint materia hominis. Poſthac affirmat, quòd homo non eſt ipſa materia ſola, ſed præter materiam, & partes eius oportet in homine eſſe aliquid aliud, videlicèt formam. Item, illud aliud non eſt elementum, nec ex elementis, ſed eſt ſubſtantia, ſeu eſſentia ipſius hominis: quam eſſentiam dicunt auferentes materiam.

forma nõ eſt ex materia. Hic obiter noto, quòd forma non eſt ex materia, neque ex partibus materiæ, vt Ariſtoteles, & Scotus notant. Hoc tamen eſt contra Offenſores meos, qui contendebant in offenſione præcedente, & lib. 2. formam fieri, & eſſe ex materia, quorum vtrunque eſt contra Ariſtotelem: putabant enim ſic, ſe poſſe effugere factionem formæ ex nihilo.

Deinde obſeruo illam particulam, *auferentes materiam* bifariam exponi ab Aphrodiſeo, primò de ſeparabilitate rationis; nam forma ratione eſt ſeparabilis à materia 8. met. 3. quando ſcilicet intellectu conſideramus formam non eſſe materiam. 2. de ſeparabilitate rei, vt idearum authores poſuerunt formas ſeparatas a materia, & à compoſito.

TEXTVS.

SI itaque hoc ipſius eſſe cauſa, & hoc ſubſtantia, ipſam ſubſtantiam vtique non dicerent.

OBSERVATIO.

HAEc ſecunda particula legitur negatiuè ab Interprete Arabo, & Beſſarione, ſic *ipſam ſubſtantiam non dicerent.* Legitur affirmatiuè ab Aphrodiſeo, Philopono, Alberto, Scaino.

Si legamus affirmatiuè, ſenſus erit. Si iſtud ens aliud præter materiam eſt principium ipſius eſſe, & iſtud eſt ſubſtantia; qui dicent iſtud ens, ſcilicet formam, dicent ipſam ſubſtantiam rei; ſi quidem forma eſt ipſa ſubſtantia, & eſſentia rei, quemadmodum in homine diximus.

Si

Si legatur negatiuè, vt Albertus, Aquinas, Ant. And. poteſt exponi ſic, vt ſit locutio contra Platonicos, vel Stoicos. Si forma eſt principium ipſius eſſe, & eſt ſubſtantia ipſius rei: qui dicunt formas à materia ſeparatas, non dicunt vtique ipſam ſubſtantiam rei. Conſequentia eſt conſpicua, quoniam ipſa ſubſtantia rei eſt interna ipſi compoſito cuius, eſt eſſentia, vt homini: & internè informat ipſam materiam, vt animal, & bipes. Sed forma ſeparata, nec informat materiam, nec eſt interna cõpoſitio, ergo cum quæritur eſſentia rei ſenſibilis, qui reſpondet formam ſeparatam, non dicit eſſentiam rei.

TEXTVS.

Neceſſe autem eſt, aut ſempiternam hanc eſſe, aut corruptibilem abſque eo, quòd corrumpatur, & factam eſſe abſq; eo, quòd fiat. Oſtenſum autem eſt, & declaratum in alijs, quòd formam nullus facit, neque generatur, ſed efficitur hoc: fit autem, quod ex his.

OBSERVATIO.

Hic textus eſt, in quo reſidet vis argumenti tertij mei. Pronomen *Hanc* quid demonſtrat? Non aliud certè in præcedenti clauſula, niſi *ipſam ſubſtantiam*: ſed ipſa ſubſtantia rei non eſt, niſi ipſa forma interna compoſito, quam Ariſtoteles diceret, & authores formarum ſeparatarum non dicerent. Ergo pronomen demonſtratiuum *Hanc* præcisè denotat formam informatricem materiæ, & compoſito internam, vti Scotus explicat, & authores antea citati. De hac ergo ſubſtantia à Platonicis non explicata, ſed ab Ariſtotele explicata, inquit Philoſophus: *hanc formam* neceſſe eſt, aut ſempiternam eſſe, aut eſſe corruptibilem abſque eo, quòd corrumpatur, & factam eſſe abſque eo, quòd fiat: ergo non benè Offenſores aſſerunt *Hanc* demonſtrare formam Platonicam ſeparatam in prima parte diſiunctiuæ. LVII. *in cõcluſ. 8. met. 9.*

Deinde per pronomen, *Hanc* vel demonſtrat Platonicam formam, vel Peripateticam, vel commune ad ambas. Si primum detur, ergo vtrunque membrum diuiſionis eſt ſub forma

Platonica, quia diuiſum vtrique membro diuidenti conuenit? quarè etiam forma ſeparata Platonis generabitur, & corrumpetur, quod eſt ridiculum. Hoc idem eſt contra Offenſores, qui accipiunt ſecundam partem diſiunctiuæ de forma coniuncta cū materia. Si tertium detur, nihil eſt commune ad formam Platonicam, & Peripateticam, quia nihil eſt commune ad poſſibile, & impoſſibile per ſecundum poſteriorum 32. Inſuper ſi primum membrum eſt de Platonica, de illa verum erit, quod eſt ſempiterna. Si ſecundum de Peripatetica, per aduerſarios verum eſt, quòd forma iſta eſt generabilis ſine generatione; ergo vtraque pars diſiunctiuæ eſt vera. Si detur ſecundum, vt pronomen *Hanc*, demonſtret formam Peripateticam, ergo vtraque pars diſiunctiuæ continetur ſub forma Peripatetica, & prima pars non rectè exponitur de Platonica.

Præterea, quando fit ſyllogiſmus hypotheticus diſiunctiuus, probatio fit contra partem falſam vnam, vt altera pars relinquatur tanquam vera. Ariſtoteles autem facit ſyllogiſmum hypotheticum diſiunctiuum neceſſe eſt, *hanc*, ſcilicet formam eſſe, aut ſempiternam, aut factam eſſe ſine fieri: & nihil probat contra primam partem, ſed ex probatis in 7. met. 26. & 32. arguit contra ſecundam partem, dicens, quòd nullus facit formam, neç forma generatur; ſed materia efficitur hoc, vel talis, vt homo fit muſicus: fit autem compoſitum ex his, ideſt ex materia, & forma; ergo in textu Ariſtotelis ſecunda pars eſt falſa, prima pars diſiunctiuæ non impugnata eſt vera.

Amplius, ſi Ariſtoteles in prima parte diſiunctiuæ ponit cōfeſsè falſum, quòd forma non eſt ſeparata, nec ſempiterna; cur infra ſubdit, hoc non eſſe manifeſtum, ſcribens. *Si verò corruptibilium ſubſtantiæ ſunt ſeparatæ, nondum eſt manifeſtum?*

LVIII. Hæc ſint obſeruata circa textum. Ex quibus conſtat hoc tertium argumentum non ſolui. Quoniam prima pars diſiunctiuæ ab Ariſtotele non impugnatur, ſed ſecunda.

Secundò, per vos Offenſores, neque ſecundam partem diſiunctiuæ impugnat: ergo neutram, quod eſt contra naturam ſyllogiſmi diſiunctiui.

Tertiò, quia pronomen *Hanc* demonſtrat illam formam, quā Plato-

Platonici non dicerent. Sed forma talis eſt forma coniuncta cum materia.

Quartò, quia in prima parte diſiunctiuæ per vos ponitur falſum manifeſtum; at infrà Ariſtoteles dicit non eſſe manifeſtum.

Quintò, vtraque pars diſiunctiuæ debet contineri ſub eodem communi diſiuncto, vbi commune diſtinguitur; ſed forma ſubſtantialis coniuncta, per vos non continetur in prima parte. Forma ſeparata Platonis non continetur in ſecunda, ergo non eſſet benè conſtructa diſiunctio.

Sextò, nulla eſt neceſſitas, vt quod eſt impoſſibile eſſe, ſit ſempiternum. Sed forma Platonica eſt impoſſibilis eſſe ſecundum Ariſtotelem, ergo non eſt neceſſe, vt ſit ſempiterna. Sed neque eſt corruptibilis, aut generabilis: nam quod eſt impoſſibile eſſe, non poteſt generari, aut corrumpi, ergo forma Platonica ſub neutra parte diſiuncti continetur.

Cum reſpondetis ad abſurdum illatum, *forma eſſet facta ſine fieri, corrupta ſine corrumpi*: dicentes formam generari, & corrumpi mediatè, & per accidens, ſcilicet mediante compoſito, quod per ſe, & immediatè generatur, & corrumpitur, ſed formam per ſe nec generari, nec corrumpi. Dicerem & ego hanc veſtram ſolutionem eſſe eluſionem authoritatum Ariſtotelis, quando demonſtrat, quòd materia, & forma nec fiunt, nec intereunt. LIX.

Ariſtoteles quippè arguit. Neceſſarium eſt, vt forma, vel ſit ſempiterna, vel facta ſit abſque eo, quod fiat. In 2. parte diſiunctiuæ ſunt duo probanda. Primum, quòd forma ſit facta. Secundum, quòd non fiat.

Primum probatur ex negatione primæ partis diſiunctiuæ. Quod enim eſt in rerum natura, nec eſt ſempiternum, illud neceſſariò eſt factum ab aliquo efficiente actu exiſtente: ſed forma eſt in rerum natura, pro vt probatum eſt in præcedente parte textus 8. Atque ex hypotheſi ſecundæ partis diſiunctiuæ, forma negatur eſſe ſempiterna: igitur optimè concluditur, quòd forma ſit facta.

Secundum probatur, vt aduerſum primo probato, ſicut conſtat per particulam aduerſatiuam *autem*. Oſtenſum eſt autem

in 7.met. 26. 27. 32. quòd nullus facit formam; quarè & oſtenſum eſt, quòd forma non fit: igitur forma erit facta abſque eo, quòd fiat. Iſtud, quod Ariſtoteles infert, vt abſurdum, & ad verſum priori membro probato, Vos ponitis tanquam conuenieris,& ambo membra oppoſita, *fit*, & *non fit* recipitis, vnum per ſe, alteram per accidens, totamque rationem Ariſtotelis eluditis.

Addo, ab Ariſtotele nunc tria dici ex lib. 7. metaph. Compoſitum fieri, vt homo muſicus fit abſolutè: materiam fieri hoc, vt homo ſit muſicus, formam non fieri abſolutè; neque ſcilicet primo neq; ſecundo modo. Quia verò in 7. metaph. 26. conceſſit formam fieri per accidens, nempè quia ænea ſphæra fit per ſe, ſphera per accidens fieri dicitur. Noto, ne contradictio in poſitione 2. capitis Veſtigat. 6. concedatur; poſſe nos conſiderare materiam, formam, compoſitum ratione propria, vel ratione accidentis, quod ſit inſtrumentum ſubſtantiæ. Primo modo, nec materia, nec forma, nec compoſitum fit. Secundò modo compoſitum immediatè, & per ſemet ipſum recipit accidentia talia: materia immediatè non recipit, ſed eſt ratio receptiua; forma neutro modo recipit: propterea in 8. metaph. 8. ipſum fieri, & mediatè, & immediatè remouetur à forma. At in 7. metaph. 26. conſideratur forma, vt quodammodo in ipſam redundat accidens ipſius compoſiti, nam quia compoſitum fit ratione accidentium, forma quodammodo dicitur fieri per accidens, quia eſt ratio eſſendi ipſi compoſito.

Quartum Argumentum Ferchij, quod Offenſores dicunt eſſe tertium.

LX. Quod nec fit, nec interit, ſed eſt, ingenerabile, & incorruptibile, illud eſt ſempiternum; ſed forma, & materia non fit ex 12. met. 12. ac 7. met. 26. 27. 32. ergo forma eſt ſempiterna.

Probatur maior, nam ex 1. phyſ. 82. quia concluſum eſt materia primam eſſe ingenerabilem, & incorruptibilem, concedunt eam eſſe ſempiternam. Quod idem probatur de forma, &

eadem

eadem demonſtratione: nam 12. met. 12. & alijs locis citatis probatur, quòd forma non fit, ſicut & probatur de materia; omne enim, quod fit, fit ex materia, & forma. Ergo ſi forma fit, fit ex alia forma priori, ſi materia fit, erit ex alia materia in infinitum.

Reſponſio. *Si hæc ratio concludit incorruptibilitatem de forma ſubſtantiali, etiam de accidentali oſtendit non per ſe fieri, quia fit in alio.* Offenſio

Primò arguitis contra argumentum, quòd non ſolùm forma ſubſtantialis, ſed etiam accidentalis non fit per ſe, quia fit in alio. 46. Defenſio.

Conuerto me in reſpondentem, & nego conſequentiam: Ariſtoteles quippè aſſerit formam ſubſtantialem non fieri per ſe, & ratione ſui: ſed per accidens, & ratione accidentis, quod fit in alio ratione ſui, quoniam accidens non fit per aliud accidens, ne ad infinita ruamus.

Deinde illa cauſalis. Accidens non fit per ſe, quia fit in alio, non eſt in textu, ſed à vobis in textum intruſa.

Præterea in textibus à me citatis, medius terminus argumenti eſt *fieri ex*: mutauiſtis authoritate veſtra cum *fieri in*. Si quid igitur falſi concluditis ex veſtra falſificatione concluditis.

Non ergo negat ibi abſolutè formam fieri, immò docet fieri in alio, ſcilicet in materia. Sed negat fieri per ſe, & veluti ſeparatam, ac per ſe ſubſiſtentem, & reddit rationem, quia quod hoc modo fit, fit ex materia, & forma, unde per hanc rationem concludit nequit omnimoda ingenerabilitas formæ; ſed tantum ingenerabilitas per ſe. Offenſio

Hoc eſt quod opto: formam ſubſtantialem eſſe ingenerabilem per ſe, generabilem per accidens, nempè ratione accidentis: ergo non ſoluitis, ſed conceditis, quod argumentum deſiderat. 47. Defenſio.

Inſuper, quando verbum *fit* prædicatur ſecundum adiacens, ſignificat fieri ſimpliciter; quando tertium adiacens, ſignificat fieri tale, vel tantum, vel aliud iuxta exigentiam tertij adiuncti, per Scotum 3. diſt. 7 quæſt. 2. A. & 1. diſt. 30. quæſt. 2. L. Sed in 12. met. 12. in textu ponitur *fit* ſecundum adiacens. *Poſthæc, quòd neque materia fit, neque forma*. Igitur forma non LXI.

fit

ſit ſimpliciter ſecundum ſuum proprium eſſe, ſed ſecundũ, quid ſit in alio, nempè ratione ſui accidentis, quod ſit in alio.

De illo veſtro ſubſiſtere attributo formis, non litigo: veſtrum eſt litigare contra Scotum.

Offenſio 48. Defenſio. *Cum autem in 1 phyſ. 82. demonſtrat &c. Vſque ad num. 70.*

In vanum diſtinguitis materiam primam à ſubiecto primo realiter: vt oſtendatis demonſtrationem primi Phyſic. eſſe diuerſam à demonſtratione 12. metaphyſ. Idem eſt prædicatum *Non ſit*. Idem eſt medium, quia materia, ex qua fieret, eſſet, antequam ſit materia facta: quia ante formam factam, eſſet alia forma ex qua. Solùm ſubiecta diſtinguuntur, quia in 1. Phyſ. 82. demonſtratio eſt de ſola materia; in 12. metaphyſ. 12. & 7. metaphyſ. 26. & 32. eſt ſimul de materia, & forma. Cum igitur ſit idem medium, & idem prædicatum, eſt eadem demonſtratio multiplicata *in ſub*, ſi ambo ſemel, ſemel vnum ex illis ſubiectis in concluſione ſumatur. Ex quibus conſtat dirui veſtram reſponſionem ab argumento, non argumentum à reſponſione.

Quintum Argumentum Ferchij Offenſoribus quartum.

LXII. ARgumentum formetur ſic: quæcunque forma habet proprium opus, in quo non communicat cum materia ſubiecta habente, talis forma poteſt ſeparari à materia per primum de anima 12. & 13. Sed omnis forma ſubſtantialis habet proprium opus, in quo non communicat cum materia, prima ſcilicet: ergo omnis forma ſubſtantialis eſt ſeparabilis. Probatur minor cum 2. de generat. 53. *materiæ eſt pati, & recipere, facere alterius potentiæ.* Et 1. meta. ſumma 2. cap. 2. materia non poteſt ſe tranſmutare ad formam, ergo in actione forma ſubſtantialis nullo modo communicat materiæ.

Offenſio Reſp. *Hoc argumentum plus probare, quàm eius auctor velit, probat enim non ſolum ... etiam formã accidentalem eſſe ſeparabilem, quia ipſa quoque habet in hoc ſuum proprium opus, in quo non communicat cum materia. Calor enim in aqua non communicat in calefaciendo cum ipſa.*

Omnia

Omnia, Offenſores mei dicitis ex veſtra ſapientiſſima ſapientia: nihil ex illo tetro Ariſtotele. Cauete, ne textus Ariſtotelicus oculos vobis effodiat, ſi legeritis, vel manus comburat, ſi ſcripſeritis. 49. Defenſio.

Quando arguitis, meum argumentum concludere, quòd forma accidentalis etiam ſit ſeparabilis, nego iſtud ſequi. Cum probatis, quia forma accidentalis habet proprium opus, in quo non communicat cum materia: ſimpliciter hoc nego. Quoniam ex fundamentis capite ſecundo Veſtigtaione ſexta poſitis accidens eſt inſtrumentum formæ ſubſtantialis in agendo. Quamobrem in omni actione accidentis, vt inſtrumenti, forma ſubſtantialis, vel compoſitum eſt agens principale. Cum autem forma ſubſtantialis agit, dicetis ne materiam primam eſſe agens principale reſpectu actionis elicitæ à forma ſubſtantiali? Non ne hoc eſt monſtrum in philoſophia Ariſtotelis? in qua ex 1. de generatione 59. *materia, ſecundum quod materia, paſſiuum*, & in 1. phyſ. 56. & in citatis arguendo. Accidens à ſua materia, *in qua* accipit eſſe, & agere 7. met. 2. accidentia ſunt entis, &c. Sed forma ſubſtantialis dat eſſe ipſi materiæ, at agere illi non communicat; materia verò neque eſſe neque agere dat formæ ſubſtantiali: non ergo eſt par ratio de forma ſubſtantiali, & accidentali. *1 gen. t. 55.*

Cum autem probatis, quòd aqua non communicat cum actione caloris. Petitis principium, quoniam calor in materia receptus non eſt inſtrumentum formæ aquæ, ſed formæ ignis, prius exiſtentis in materia. LXIIII.

Quin & Antonius And. (qui Scotus eſt veſter) ſuper prædicamentum ſubſtantiæ, tractans, vtrum forma ſubſtantialis ſuſcipiat magis, & minus; docet, quando aqua fit calida, calorem non recipi in ſubſtantia aquæ; ſed in ſubſtantia ignis retineri, quæ in aquam ſe ſe inſinuat. Neque hoc Aragonius ex ſe, ſed promplſit ex Scoto in 8. met. quæſt. 3. num. 28. in Cauelli impreſſione. Non ergo probatio aliquid conficit contra poſitionē, vel ſi facit, contra Doctores veſtros facit.

Sed probat etiam formam ſeparatam non futuram otioſam, cuius oppoſitum docet Auctor idem eodem cap. Offenſio

Ità quidem dico formam ſeparabilem eſſe, non ſeparatam; ſi
50. Defenſio. tamen eſſet ſeparata, non eſſet otioſa, iuxta principia lib. 1. de generatione 53. & 55. de arte medica, & de caliditate ſeparata.

impoſtura. Confingitis me oppoſitum docuiſſe eodem capite. Parcite quæſo: hoc in veſtro capite legi, non in meo.

Offenſio *Dicimus ergo omnes formas materiales in ſuis operationibus communicare cum materia, quia cum ſint extenſa non poſſunt modo inextenſo operari, non habent autem talem modum, niſi in materia; vnde etiam ſi formæ proprium ſit agere, tamen non eſt in potentia proxima ad agendum, niſi in materia.*

51. Defenſio. Argumentum meum dicit, formam non communicare cum materia propriam operationem. Extenſio autem non eſt materia prima, ſed accidens quoddam, & inſtrumentum formæ operantis, ergo nil ad rem. Si etiam principalis cauſa communicat operationem inſtrumentali cauſæ, non ſequitur, ergo communicat ipſi materiæ operationem.

Deinde, communicare proprium opus cum materia, eſſet, ſi materia eſſet inſtrumentum cooperans formæ, ſicut pedes cooperantur potentiæ motiuæ in ipſo ambulare 2. de gener. animal. cap. 3. ſicut pupilla cooperatur viſui in efficienda ſenſatione 2. de anim. 9. & patet in 1. de anima, 12. & 13. citatis. Sed vos loco ipſius cooperari inſtrumentaliter, vultis, quòd ex eo operatio communicetur materiæ, quia forma in materia operatur. Non ne & anima rationalis in materia operatur intelligendo, & volendo? An propterea communicat operationes has ipſi corpori, & materiæ? Non vtique. Quæ de potentia proxima dicitis non ſunt ad propoſitum. Agimus de communicatione operationis formæ cum materia: vos de conditione conſtituente principium operatiuum in potentia proxima.

Sextum Argumentum Ferchij. Aduerſarijs ſextum.

LXIV. VNum contrarium non poteſt recipere, vel afficere alterum. 1. phyſ. 51. & 12. met. 6. ac 2. de gener. & corrupt. 5. corruptibile, & incorruptibile ſunt contraria 10. met. cap. vlt.

ergo

ergo ſi materia eſt incorruptibilis, forma corruptibilis, vnum contrarium reciperet alterum, & duo contraria ſimul manerent.

Hoc item argumentum plus probat, quàm velit. Sic enim probaret, quòd anima rationalis recipi nequit in corpore, quod corruptibile eſt in ſubſtantia. Offenſio

Nec lumen, & motum in cælo.

Intellectiones, & volitiones in Angelis.

Accidentia quædam in materia. Hæc enim omnia ſunt formæ corruptibiles in ſubiectis incorruptibilibus receptæ.

Quanquam adducere inconueniens non ſit ſoluere, quod erat dicendum etiam ad duas præcedentes reſponſiones veſtras. 51. Defenſio.
Interea dico, vos ſponte oblitos eſſe, quòd ex poſitione in cap. 2. dicta, formæ ſubſtantiales, & compoſita ſubſtantialia ſunt incorruptibilia ſecundum eſſe præciſe ſubſtantiale, corruptibilia ſecundum eſſe accidentale. Igitur niſi petatis principium, anima veluti forma ſubſtantialis eſt in materia ſubſtantiali, tanquam incorruptibile in ſubiecto incorruptibili. Veſtra ergo inſtantia vobis negotium facit, non poſitioni dictæ.

Secundò. Dixi formam ſubſtantialem *eſſe in ſubiecto incorruptibili*: non dixi eam recipi; quoniam, & ſi forma ſubſtantialis ſit ſeparabilis, quoniam non eget materia ad ſui eſſe, immò potius continet, terminat, perficit dat eſſe ipſi materiæ; quia tamen forma ſubſtantialis nil habet eam pellens, nulla forma ſubſtantialis ſecundum ſe à materia ſeparatur, niſi ſecundum accidens; quarè neq; recipitur in materia niſi ſecundum accidens.

Tertiò, vos maximè iſtius argumenti vi impugnamini, qui teneretis illam opinionem, quòd anima intellectiua ſit mortalis, in Ariſtotele. Si igitur & forma corporeitatis, & anima rationalis ſunt corruptibiles in materia incorruptibili: iam contra vos infero, vnum contrarium recipi in alio per ſe contrario, & duo contraria ſimul manere. lib. 4.

Reliquæ inſtantiæ veſtræ vnam propoſitionem vobis memorare debent. Contraria ſunt ſub eodem prædicamento: quæ autem ſunt in vno, non habent contrarietatem cum ijs, quæ in altero. In ſummulis hoc diſcere poteratis tractatu 3. *Contraria* LXV.

ſunt, quæ ſub eodem genere poſita, à ſe inuicem maximè diſtant. Sed & Ariſtoteles in prædicamento de quali, hoc aſſeueraui t in 10. met. 14. in 1. de gener 50. 51. Generabile igitur, & ingenerabile in eodem genere ſubſtantiæ ſunt contraria, ità quoque corruptibile, & incorruptibile. Sed accidens corruptibile, & ſubſtantia incorruptibilis non ſunt in eodem prædicamento: quare neque accidens & ſubſtantia ſunt contraria: & inſtantiæ non ſunt ad propoſitum.

In ſpeciali tamen, de intellectione, & volitione angelorum, quòd ſint accidentia corruptibilia; conſonat ne cum doctrina Ariſtotelis? Quid angeli cum Ariſtotele? Quid ſupernaturalia cum naturali lumine? Si prædicata eſſentialia, quæ Ariſtoteles intelligentijs affixit, conſiderentur, eſſentialiter differunt intelligentiæ ab angelis. Nam intelligentiæ ſunt formaliter *neceſſe eſſe, actus puri, æternæ, immutabiles, immultiplicabiles numero, impeccabiles, ſe ipſis beatæ.* Sed vos terminos ſcientiarum frequenter confunditis.

Offenſio *Dicendum igitur corruptibile, & incorruptibile non eſſe contraria propriè dicta, vt notat Zerbus 10. met. quæſt. vlt. in ſolutione ad primum princ. quod eo præſertim verum eſt, ſi genere logico differre dicantur, quia contraria propriè accepta conueniunt in genere, & differunt ſpecie, vt ex eorum conſtat definitione; ſed contraria dicuntur, quatenus ſunt valdè diuerſa, & habent oppoſitas quodammodo rationes, & differunt ſecundum potentiam & impotentiam, vt ibi explicant Alenſis, & Scotus, quo quidem ſenſu actus, & potentia dicerentur opponi, & contrariari, & nihilominus vnum recipitur in alio, æquiuocat itaque ratio de contrarijs fusè, & rigorosè ſumptis.*

531 Defenſio. Si diſtinctionem de contrarijs propriè, & fusè ſumptis ad textum Ariſtotelis applicauiſſetis: fortaſſe imbecillitatem ſolutionis veſtræ potuiſſetis deprehendere.

LXVI. 10. met. 9 Ariſtoteles in 1. phyſ. 51. loquitur de duobus contrarijs, vt raritate, & denſitate, amicitia, & lite: in tex. 56. ait, in vno genere ſemper eſſe vnam contrarietatem, ſic & in tex. 50. eiuſdem libri; ſed iſta contrarietas eſt formæ, & priuationis; & in tex. 42. & 43. omnia fiunt ex contrarijs. Quibus locis contrarium accipitur fusè pro oppoſitis poſitiuo, & priuatiuo, atque

pro

pro poſitiuo, & poſitiuo. Verùm de iſtis contrarijs fusè acceptis Ariſtoteles ait, quòd vnum non afficit alterum, nec alterum recipit; ergo non ſolum in contrarijs propriè acceptis, ſed etiam in contrarijs fusè acceptis verum eſt, quòd vnum non recipit alterum; corruptibile, & incorruptibile per vos ſunt contraria fusè, igitur & in iſtis verum eſt, quòd vnum non recipit alterũ; quarè argumentum adhuc viget contra vos.

Quæ dicitis de actu, & potentia, falsò dicitis: nam illa opponuntur relatiuè, non contrariè. Sed tamen aliqua non poſſunt ſe habere vt actus, & potẽtia, ſi vnum eſt mortale, alterum immortale. Patet in 1. de cælo 22. Dij, & cœlum ſunt coaptata tanquam immortale immortali; nec enim poſſibile aliter; ergo cum alterum iſtorum habeat rationem actus, alterum potentiæ (licèt non per informationem) non poterit actus mortalis, & potentia immortalis coniungi; nam vbi eſt maior coniunctio contrariorum, eſt maior repugnantia illa coniungi: maior autem eſt coniunctio per informationem, quàm per aſſiſtentiam.

Vlterius corruptibile, & incorruptibile ſunt in eodem genere, quod legere noluiſtis in 10. met. cap. vlt. ſunt *per ſe* contraria, non per accidens: & ex rationibus eorum conſequitur poſſibilitas, vel impoſſibilitas, quam adducitis. Poſſem ergo per 10. met. vlt. ex iſtis oſtendere, quòd corruptibile, & incorruptibile ſunt contraria propriè, quia ſunt per ſe contraria, ſunt diuerſa ſpecie, ſunt ſub eodem genere: nec eidem inſunt propter determinationem internæ naturæ. Verùm propter reuerentiam trium Doctorum, quos citaſtis, hoc tranſilio; ſolùm oſtendi ſolutionem veſtram non ſoluere; & aſſumere, quòd corruptibile, & incorruptibile non ſint ſub eodem genere, quod eſt contra textum.

Argumentum Septimum.

OMne, quod corrumpitur, corrumpitur à contrario 1. phyſ. 47. & 1. de cælo 20. 1. de generat. 52. & 1. de gener. 49. *Non enim excludunt ſeipſa à natura, quæcunque neque contraria ſunt, neque ex contrarijs ſunt.* Forma ſubſtantialis non habet LXVII.

contra-

contrariũ nam ex cap. de ſubſtantia, ſubſtantiæ nihil eſt contrarium, ergo forma ſubſtantialis non corrumpitur.

Reſponderi poteſt, accidens connexum cum ſubſtantia perire, & eo pereunte, perire formam ſubſtantialem.

Contra hoc dico 1. contrariũ accidens præualeus eſt contrariũ accidentibus diſponentibus, non eſt contrarium ſubſtantiali formæ; vnum enim vni contrarium per 1. de cælo, & 10. met. 14. ergo pereunte accidente, forma ſubſtantialis non peribit.

Secundò, quia ſubſtantia eſt valentior accidente, ergo accidens contrarium in ſubſtantia oppugnanda præualere non poteſt.

Offenſio. *Reſp. vt ibi. Formas materiales ideò eſſe corruptibiles, quia vt materiam informent, certas requirunt diſpoſitiones, quibus omiſſis ſeruari in ea amplius non poſſint. Cumque extra materiam nequeant conſiſtere, quia ab illa quò ad ſuum eſſe dependent, non ſecus, ac lumen à corpore luminoſo in genere cauſæ efficientis, ideò extrà illam ſtatim pereunt.*

54. Defenſio. Reſponſionem à me relatam recipitis. Sed impugnationem reſponſionis non ſoluitis. Ergo argumentum non eſt ſolutum. Multa dicitis; nihil probatis. In reſponſione ad primum, & ſecundum conuicti authoritatibus Ariſtotelis conceſſiſtis, ſubſtantiam eſſe ſeparabilem ab accidentibus: adiungo, ab omnibus accidentibus, ſic enim textus comparat ſubſtantiam vt primum omnium in 7. met. 4. Nunc oppoſitum dicitis, formam ſubſtantialem, & per conſequens compoſitum ſubſtantiale ſine accidentibus eſſe non poſſe. Ergo ſubſtantia, quæ eſt ſeparabilis, iam non eſt ſeparabilis. Contradicitis vobis, & Ariſtoteli. De vobis nulla mihi cura eſt; de Ariſtotele eſt, vt eius mentem aſſequar.

LXVIII. Adiungitis formam ſubſtantialem non poſſe extra materiam conſiſtere, quia à materia dependet. Petitio eſt contra poſitionem impugnatam à vobis. Multoties repetiſtis formam dependere à materiã, ſed nulla authoritate, nulla ratione. Nunc autem ad cumulum adiungitis, quòd forma dependeat à materia in genere cauſæ efficientis, ſicut lumen à luminoſo. Tantum ne monſtrum? Ad hanc miſeriam redigor, vt legam, & reſcribam

tàm

tàm tetras falſitates ? Materia, cuius præcisè eſt pati, vobis eſt cauſa efficiens ?

Probaui formam ſubſtantialem non dependere à materia.

Nunc fiat argumentum, nullum per ſe principium dependet eſſentialiter à principiato, ſed è contra: ſed forma eſt per ſe principium ipſius materiæ, atque ipſius eſſe reperti in materia, ergo forma non poteſt dependere eſſentialiter à materia. Minor in 2. phyſ. cap. vlt. probatur ab Ariſt. videlicet, formam eſſe principium finale materiei.

Et hac de cauſa Tataret. cap. de ſubſtantia quæſt. 2. in ſol. ad 3. inter formas ſubſtantiales admittit contrarietatem virtualem ratione diſpoſitionum contrariarum, quas efflagitant, & Antonius Andreas 20. met. quæſt. 5. & Faber ibidem diſput. 8. admittunt contrarietatem; ſi non omni rigore ſumatur, quantum nempè ſufficiat, vt vna dicatur alteri incompoſsibilis in eodem ſubiecto, quæ ſanè repugnantia ſufficit, vt vna alteram deſtruere dicatur, & in hoc ſenſu omne, quod corrumpitur, à contrario corrumpitur, non verò à contrario rigorosè ſumpto. Immò Mayro paſſu 16. in prædicamenta veram contrarietatem admittit inter formas ſubſtantiales, quod abſque dubio conſultius aſſereretur, quàm earum incorruptibilitas. Offenſio

Ariſtoteles aſſerit *ſubſtantiæ nihil eſſe contrarium, quantitati nihil eſſe contrarium:* Vos citatis authores contra Ariſtotelem, qui nullius ſunt authoritatis. Pluris eſt vnus Ariſtoteles in propria mente declaranda, quàm decem Mayrones: nam de vobis nulla ratio eſt habenda, cum iudicatis conſultius eſſe ponere contrarietatem veram, quàm formarum incorruptibilitatem. Quòd enim Ariſtoteles neget contrarietatem à ſubſtantia, eſt certiſſimum: quòd formæ ſubſtantiales ſint corruptibiles, eſt in magna controuerſia inter veſtros iſtos authores, & maximos defenſores rationum ſeminalium. Negare ergo certum propter incertum, ſit veſtræ conſultationis, non meæ. LXIX. 55. Defenſio.

Secundò, vlterius, vos contra Cremoninum diſput. 1. quæſt. 2. tenetis firmiter, quòd nulli ſubſtantiæ, & ſpecialiter quòd formæ ſubſtantiali nihil eſt contrarium. Nunc contrarium & virtualiter, & verè opponitis formæ ſubſtantiali, & ſubſtantiæ.

Conueniet nulli, qui ſecum diſsidet ipſe;

Tertiò

Tertiò, Si autē contrarietas non rigoroſè ſumpta ſufficit ad incompoſſibilitatem, vt nunc dicitis, & in reſponſione ad quintum inter materiam, & formam conceditis contrarietatem iſtam; iam poteſtis etiam concedere, quòd materia, & forma ſint incompoſſibiles; & quòd materia deſtruitur à forma, atque è contra:

Dico autē, quòd cōtrarietas virtualis ſatis eſt ad hoc, vt ipſi effectus virtualiter contenti corrumpantur: non autem ad hoc, vt cauſæ virtualiter continentes ſe inuicem corrumpant. Saturno accedente ad zenith alicuius regionis, frigus producitur: Marte accedente, calor. Si cauſæ iſtæ virtualiter ſunt contrariæ, an propter hoc deſtruentur à ſe inuicem? Primum efficiens omnia contraria facit, num quia virtualiter continet calorem, deſtruet ſe quatenus continet frigus?

LXX. 4. Contrarietas fusè vt eſt formæ, & priuationis poteſt con-
1.phyſ.50 cedi in ſubſtantia, dum id rectè declaretur ex 1.phyſ.50. & 56. Contrarietas poſitiua materiæ, & formæ negatur expreſsè ab Ariſtotele in 1. phyſ. 52. probando materiam non eſſe contrariam formæ, quia ſubſtantia ſubſtanriæ non eſt contraria. Contra-
11. met. rietas formæ, & formæ negatur in 11. met. ſumma vlt. cap. 3.
5 phyſ. & 5. phyſ. tex. 10. negat enim Ariſt. motum eſſe in ſubſtantia, quia ſubſtantiæ non eſt contrarium: vt ſcilicet tranſeatur à forma ad formam contrariam. Negat à compoſitis præſertim pri-
2. degen. mis contrarietatem, vt 2. de gener. 24. ignem aquæ, aerem terræ ponit eſſe contrarium ſecundum qualitates, & in tex. 49. repetit hæc elementa eſſe contraria, *vt contingit ſubſtantiam ſub-*
de ſenſ & ſenſ. *ſtantiæ eſſe contrariam*. Propter hoc in lib. de ſenſu, & ſenſil. cap. 4. ſcribit. *Qua igitur ignis, & qua terra nihil natum eſt agere, vel pati, nec aliud quicquam; qua autem ineſt contrarietas in eis, hæc omnia agunt, & patiuntur*. Sic in via Ariſtoteles tenet poſitio propoſita Veſtig. 6. cap. 2. ſubſtantiam ſecundum eſſe ſubſtantiale non habere contrarietatem, non agere, non pati, corrumpere, aut corrumpi: ſed ſecundum accidentia conuenientia ſubſtantiæ. Nec vnquam concedere debemus in via Ariſtotelis ſubſtantiam facere contraria, vel pati, niſi afficiatur acciden-
2. degen. te contrario: ſic in 2. de gener. 56. ſol cauſat generationem, &

cor-

ruptionem ; ſed contrario motu diſpoſitus, acceſſu nimirum, & receſſu. Idem de cælo toto dicitur in 12. met. 34. Sed quid ago? Ariſtotelem cito contra contemptores Ariſtotelis, qui audent opponere dictis Ariſtotelicis, citatos illos authores? Argumentum meum habet maiorem Ariſtotelis, minorem Ariſtotelis, ergo & concluſio eſt Ariſtotelis. Talis etiam eſt impugnatio. Vos reſponſionem inermem affertis, ſine ratione, ſine authoritate, niſi petendo, vt accipiamus auctores nobis contrarios, quæ eſt petitio principij. Vah. Euigilo tandem, vos mihi omnino vultis eſſe contrarij: ergo & in hoc. Ego ſemper ex Ariſtotele loquor, vos nunquam. Egregiè, mirificè, glorioſè. Viciſtis. Cedo; nam ità Ariſtotelis mentem ſine Ariſtotele veſtigaſtis.

Octauum Argumentum Ferchij Offenſoribus ſeptimum.

QVia materia nulli eſt contraria, ideò materia non deſtruitur vnquam; forma quoque ſubſtantialis nulli eſt contraria, ergo nec forma deſtruetur vnquam. LXXI.

Item omne compoſitum, quà ſubſtantiale eſt, ſemper erit, ſcilicèt in eſſe imperfecto, & inchoato. Quod enim eſt indifferens ad ambo oppoſita recipienda, neutri opponitur, & à neutro oppoſitorũ læditur, vt patet ex 1. phyſ. de materia prima. Sed quælibet prima ſubſtantia, cum ſit vna, & eadem numero eſt contrariorum ſuſceptiua cum ſui mutatione ex cap. de ſubſtantia, ergo neutri contrario opponitur, & à neutro læditur.

Si dicas formam interire, quando interit accidens connexum, quoniam omnis forma flagitat certa accidentia, quibus deſinentibus deſinit.

Reſp. vt ibi. Formas materiales ideò eſſe corruptibiles, quia vt materiam informent, certas requirunt diſpoſitiones. Offenſio

Non movò gratis, ſed & gratiſſimè hoc dicitis; nec tamen argumentum ſoluitis, nihil enim ad propoſitiones. Sed cur dicitis? *Reſpondetur vt ibi*, & non dicitis, *reſpondetur vt Ferchius reſpondet?* Fortè quia nihil, quod vobis placeat, vultis, vt meum 56. Defenſio.

recognoſcere; ſi quid fuiſſet impugnandum, nomen meum plenis buccis clangere voluiſſetis.

LXXII. Deinde iſtam reſponſionem veſtram impugnaui eò quod forma ſecundum ſe non poſtulet aliquod accidens ad ſuum eſſe ſubſtantiale, & prima impugnatio eſt, quia ſubſtantia eſt ſeparabilis ſupplè ab accidentibus omnibus. Non citaui textum in octauo argumento, quoniam in 2. argumento citaueram 7. met. 4. & 12. met. 3. Nunc vt omnes agnoſcant meum argumentum eſſe cum Ariſtotele, veſtram reſponſionem contra Ariſtotelem, aſcribo textum ex 7. met. 4. *Multis igitur modis primum* Sco. 4. d. 1 q. 1. li. *dicitur, attamen ſubſtantia, & ratione, & cognitione, & tempore omnium primum eſt; aliorum enim, quæ prædicantur, nullum eſt ſeparabile, ſed hæc ſola.* Probat primitatem temporis reſpectu omnium accidentium, quia ſola ſubſtantia, eſt ſeparabilis. Ergo ſubſtantia quantum eſt ex ſe poteſt eſſe ſine omnibus accidentibus. Falſa eſt ergo veſtra reſponſio, quæ dicit ſubſtantiam non poſſe ſeparari ab aliquo accidente.

Ad hanc impugnationem tacuiſtis.

Impugnaui præterea reſponſionem eandem tribus rationibus alijs.

Secundò, quia omne abſolutum prius eſſentialiter independens à poſteriori poteſt eſſe ſine poſteriori: talis verò eſt ſubſtantia ad quodcunque accidens.

Tertiò, ad deſtructionem minus neceſſarij non deſtruitur magis neceſſarium; at forma ſubſtantialis eſt magis neceſſaria, quàm forma accidentalis, cum accidens pendeat in eſſendo à ſubſtantia, non è contra.

Quartò, prius eſſentialiter ad ſui eſſe nõ poſcit poſterius eſſentialiter, alioqui nulla cauſa eſſet prior tempore effectu, quod repugnat Ariſtoteli 2. poſt. 48.

Ad hæc tria reſpondetis ſimul.

Offenſio *Ad alias tres vnica ſolutione ſatisfit, probare de potentia Dei abſoluta, non autem ſecundum communem naturæ curſum: iuxtà quem experimento conſtat, ſubſtantiam quamlibet certa ſibi poſcere accidentia pro eius conſeruatione, à quibus in ſuo eſſe pendet, vt aiunt à poſteriori, velut à conditione concomitante: Sic ignis pendet à calore,*

aqua

aqua à frigore &c. vnde his rationibus probabat Doctor 2. diſt. 12. quaſt. 2. contra D. Th. materiam poſſe de potentia Dei abſoluta exiſtere ſine omni forma, quæ ideò minus conſultò nunc afferuntur, vt probantes ſecundum naturæ curſum ſeparationem ſubſtantiæ ab accidentibus.

Diſtinctio de potentia Dei abſoluta, & ordinata iuxtà com- 57. Defenſio.
munem naturæ curſum: vnde irrumpit in ſcholam Ariſtotelis? Extranea eſt, & peregrina ab Ariſtotele, ſicut & vos eſtis. Ità ſoletis, quando deſunt rationes naturales, confugere ad Sacramentum Euchariſtiæ, ad ſacramentũ Baptiſmi ad ſacra ſcripturas contra fas, & ius.

Sanctus Bernard. ſermone 5. in Cantica, cum feciſſet ſibi LXXIII
obiectionem de paruulis regeneratis, ſcribit. *Breuiter reſpondeo,* S. Bernar.
hoc illis conferre gratiam, non naturam. Et quid ad me de miraculo Dei, qui de naturalibus diſſero? Philoſophia naturali lumine innixa eſt: Theologia, ſupernaturali; quid ad me de ſupernaturalibus, qui de naturalibus diſſero? Quid ad me de diuinis reuelationibus, qui Ariſtotelica veſtigo? Nunquid Ariſtoteles eſt Deus? Magna cum iniuria ſupernarum veritatum Chriſti ſacramenta, & dogmata inducuntur tanquam Ariſtotelis dogmata, vel inuenta. Nam aut afferuntur, tanquam naturaliter nota, aut velut ignota naturaliter. Si velut ignota. Ex ignotis nihil probatur, nihil ſoluitur. Si tanquam naturaliter nota, id hæreſim ſapit, vel etiam eſt hæreticum. Certè cum naturalis veritas quæritur in philoſophia, proponitur tanquam naturaliter notum id, quod proponitur, ne ſcilicet fruſtrà proponatur. Scribantur ergo ſacra in Theologia, & ibi potentia abſoluta conſideretur.

Nota rationem Sco. 4. col. later. prol. E. in omni ſcientia alia à Theologia ſtatur ad naturaliter nota.

Sanè Scotus in loco à vobis citato 2. diſt. 12. quæſt. 2. F. tribuit Ariſtoteli, quòd poſuerit neceſſariam connexionem cauſarum, ità quòd impoſſibile eſt ſecundum eum primam cauſam agere ſine ſecundis; ergo veſtri atteſtatione Doctoris, veſtra ſolutio non eſt ad mentem Ariſtotelis, quam mentem quærebamus.

Affirmatis has tres rationes à me ſumptas ex dicta quæſtione LXXIV.
Scoti. Falsò citatis. Liber Scoti omnibus eſt ad manum. Si tres maiores illæ ſunt in dicta quæſtione, pignus deſero. Sed vos

 decepit

decepit ſimilitudo maioris primæ rationis, quæ ibi habetur quantum ad ſenſum, non ad verbum. Non negabo me aliquando legiſſe Scotum,& voluiſſe diſcere. Non dicam me profeciſſe ex eius doctrina,ne hic faciatis apparatum ingentiſſimum contra me, quod præſumam me profeciſſe; ſicut feciſtis propter duas voculas *ignotam peregrinitatem*, quas non aſſerui, ſed mihi obieci. Non dabo vobis occaſionem faciendi tragœdiam ex mimo. Nunc ex vobis mihi præparo defenſionem. Quarè hoc in loco D. Th. grauiſſimum Doctorem in re philoſophica atque Theologica optimè meritum, non recipitis, atque approbatis? Cur licet vobis reijcere authoritatem ſapientiſſimi hominis, & non licebit mihi negare illos veſtros Scotiſtas,qui claſſici non ſunt, ſed ſeruiles?

Præterea ſi accepiſſem aliquam propoſitionem ex Scoto, id non feciſſem, quia Scoti eſt, ſed quia ex eodem fonte accepi, ex quo Scotus accepit, nempè ex Ariſtotele.

Prima maior ex iſtis tribus in ſuo ſenſu accepta eſt ex 5. met. cap. de priori tex. 16. *Prius ſecundum naturam, & ſubſtantiam eſt illud, quod poteſt ſine alio eſſe, & non è contra*. Sub hac propoſitione adiunxi prius eſſentialiter reſpectu poſterioris eſſentialiter: accepi independens, vt prius dependente (quamuis vos nouum genus dependentiæ à poſteriori inuexeritis: quæ doctrina veſtra ſit) Adiunxi abſolutum reſpectu accidentium relatiuorum propter quaſdam inſtantias ſophiſtarum. Sed argumentum nitidum ſit. Prius eſt, quod poteſt eſſe ſine poſteriori, & non è contra; ſubſtantia autem eſt per ſe prior omnibus accidentibus 7. met. 4. ergo poteſt eſſe ſine eis.

Secundam propoſitionem elicui ex 1. poſt. 49. 50. 51. quia *deſtructo contingente, non deſtruitur neceſſarium*. Minus autem neceſſarium reſpectu magis neceſſarij habet rationem contingentis.

Tertiam excerpſi loco citato in 2. poſt. 68. Hæc Ariſtotelis loca erant protrita in Peripato ante natiuitatem Scoti, & Scotiſtarum.

7. met. 47 Non ne Ariſtoteles in 7. met. 47. probat, quòd paſſiones non ſunt priores ſubſtantijs, quia tunc paſſiones eſſent ſeparabiles à ſubſtantia?

For-

Formetur argumentum. Omne per ſe prius, ſiuè omne prius eſſentialiter eſt ſeparabile à poſteriore. Sed paſſiones per Aduerſarium ſunt priores eſſentialiter, quàm ſubſtantia, ergo paſſiones ſunt ſeparabiles à ſubſtantia, quod eſt abſurdum. Maior Ariſtotelis iſta, & ſuperiores, ſunt ne veræ de potentia abſoluta? ſunt ne à Scoto natæ? Non vtique, ſed vos neque in Scoto, neque in Ariſtotele ſoluiſtis argumentum.

Interim rurſus aduerte hoc argumentum plus probare, quàm velit Auther: probat enim non ſolum formam ſubſtantialem corrumpi non poſſe; ſed nec etiam à materia pelli, ſed perpetuò manere in ea, quia non habet contrarium à quo pellatur: & ſic non tantum formæ, ſed compoſita quoque erunt æterna. Offenſio.

Falsò dicitis hoc argumentum probare pluſquàm volui, immò prorſus volui probare, & probaui, quòd formæ non poſſunt corrumpi. neque pelli de materia: quodque compoſita ſecundum eſſe ſubſtantiale ſunt æterna. Verba ex Veſt. 6. num. 10. & 11. relata ſunt in hoc lib. defenſ. 3. relegantur, ſi placet. LXXV. 58. Defenſio.

Argumentum Ferchij Nonum Offenſoribus ſeptimum.

Materia prima eſt æterna, ergo & omnis forma ſubſtantialis. Probatur conſequentia. Quod magis accedit ad eſſe diuinum, magis de illo participat; ſed eſſe diuinum eſt eſſe viuens optimum, & ſempiternum 12. met. 39. forma verò ex 1. phyſ. 81. eſt bonum diuinum, & appetibile: materia eſt indiga ipſius eſſe diuini, & appetit illud, ſcilicet formam, ergo forma magis participat de ipſo eſſe ſempiterno, quàm materia.

Secundò quod habet rationem finis intenti ab omni agente ſubcęleſti, hoc magis eſt in ipſomet agente appetente, vel in effectu intento ab agente eodem. Sed 2. de anima 34. & 37. omnia agunt, vt ipſo eſſe ſemper, & diuino participent, illiuſque cauſa agunt, quæcunque agunt ſecundum naturam, ergo forma actiua in agente appetit ipſum ſemper eſſe, & communicat effectui ipſi ſemper eſſe, ergo forma eſt ſempiterna.

Tertiò, quod eſt perfectiori propinquius, & ſimilius, eſt me-

lius

lius per tertium Top. loco 32. & 33. ſed forma eſt magis propinqua Deo, & ipſi fini intento ab omnibus agentibus, qui eſt æternitas, ergo forma eſt magis ponenda æterna, quàm materia: alioquin materia magis participaret fine intento, quàm forma, ſi materia eadem numero ſemper eſſet, forma non ſemper eſſet.

Argumentum Decimum.

IN tertio Top. loco primo, quod eſt diuturnius, & ſtabilius, hoc melius. At ex Ariſt. 2. de gener. animal. eſſe, quàm non eſſe, & viuere, quàm non viuere melius, ergo ſemper eſſe, melius, quàm non ſemper eſſe. Nemoque eſt, qui cæteris paribus, non velit magis mille annos viuere, quàm cum piſce ephemero ex 1. de hiſtor. animal. cap. 5. aut cum auibus ad Hipanim ex 5. de hiſt. cap. 19. viuere vnum diem.

Offenſio *Reſp. Ad hoc ſatis dixiſſe diſput. 2. phyſica quæſt. 8. art. 2. in fine. Quarè locus ille Topicus intelligi debet cum cætera ſunt paria; vide ibi auream regulam à Scoto traditam 1. diſt. 8. quæſt. 1. quam etiam fuſius declarat in 4. diſt. 12. quæſt. 2. §. Hic ſunt duæ opiniones.*

LXXVI. 59. Defenſio. Reſpondetis ad argumentum decimum (nonum ſupprimitis) locum Topicum intelligi cum cætera ſunt paria: hoc ego in argumento dixi, *nemo eſt qui cæteris paribus*. Debebatis oſtendedere, in quo ſit imparitas, vel paritas in habendo ipſo eſſe æterno inter materiam, & formam. Hoc non feciſtis, ergo non ſoluiſtis. Loca Scoti ego antea vidi, quàm vos abecedarium diſceretis. Propterea dixi in argumento inſtantias in 2. Top. loco 32. & 33. factas non videri obſtare. Scotus illinc accepit ſuam auream regulam, quam ſui profunditate ingenij dilatauit. Poteram referre inſtantias, & refellere: Nolui, ne prolixior eſſem.

2. Top. loco 33.

Actualitas eſſendi & conformandi Nunc autē duplex actualitas cōſideretur, actualitas *eſſendi*, & eſt ipſum eſſe, ſiuè actualis exiſtentia, & *actualitas informationis*, ſicut forma eſt actus informans materiam.

Prima actualitas tantæ dignitatis eſt, vt ſit de quidditate Dei, immò ſi Scoto credimus quolibet 6. ipſa vita Dei, quæ ponitur in

in definitione æternitatis à Boetio,eſt actualis exiſteutia. Quarè actualis exiſtentia eſt perfectio ſimpliciter. Sic etiam æternitas eſt perfectio ſimpliciter, & vtraque ponitur in definitione, vel quaſi definitione Dei ab Ariſtotele. Secũda actualitas informationis non eſt perfectio ſimpliciter, ſed neceſſariò habet annexam imperfectionem partis,taliſque actualitas Deo repugnat. Ergo in actualitate eſſendi, materia, & forma conueniunt: ſi materia habet actualitatem eſſendi ſempiternam, forma non; ergo plus accedit ad Deum materia, in eſſe diuino,in eſſe finis, in participatione Dei, in ſtabilitate. Adde, quòd materia per vos eſt independens ab omni cauſa ſecunda, etiam à forma:ſed forma dependet à cauſa ſecunda effectrice in eſſendo, dependet à materia per vos, & non è conuerſo, dependet ab accidentibus à poſteriori, vt vultis.Ergo etiam in ratione independentiæ magis accedit materia ad Deum, à quo cælum, & natura dependet 12. maph. 38.

Denique duo hæc argumenta mea nituntur in ipſo *eſſe ſemper*, quæ duo ſunt in ipſa quidditate Dei: vnum, ideſt *eſſe* conuenit materiæ, & formæ; de ipſo *ſemper* eſt controuerſia; parificantur in eſſe. Sed finis optatus ab omni agente ſecundo, eſt ipſum *eſſe ſemper*, ideſt finis continet ambas conditiones; hæ ſunt in materia, ſi etiam ſunt in forma, benè concludo propoſitum; ſi non ſunt in forma,ſequuntur abſurda in argumentis illata, à vobis non ſublata.

Vndecimum Argumentum. Offenſoribus Octauum.

SI forma ſubſtantialis accedit, & recedit à materia, abſque ortu, & interitu materiæ, cum ortu, & interitu ipſiuſmet formæ: ergo forma accidentalis, & ſubſtantialis ſunt idem re, & ratione, ſolùm nomine diſcernuntur. LXXVII

Probatur cõſequẽtia ex Ariſt.& Porphyrio.Porphyrius dicit: Accidens eſt, quod adeſt, & abeſt ſubiecto præter ſubiecti corruptionem. Ariſtoteles 1.Top.cap. 4. *Accidens eſt, quod contingit eidem ineſſe, & non ineſſe.*

Ad

Addunt quidam nouas conditiones voluntariè. Quando enim premuntur difficultatibus, quas non poſſunt ſoluere, per cautelam ſophiſticam nouas conditiones in definitione imponunt, & faciunt, vt definitio ſit infinitio. Vide reliqua in Veſtigat. 6. num. 14. quoniam ad ea non reſpondent.

Offenſio. *Reſp. Ad hoc quoque abundanter dixiſſe diſput. 2. phyſ. quæſt. 1. art. 1. in ſolutione ad ſecundum, & diſput. 5. phyſ. quæſt. 11. art. 3. nam his in locis vbere differentia aſsignatur formæ ſubſtantialis ab accidentali.*

60. Defenſio. Oportebat hic ſoluere, non fugere. Si citauiſſetis Ariſt. non vos ipſos, melius feciſſetis. Sed in diſput. 5. phyſ. quæſt. 11. non ſunt niſi duo articuli: expectabo, donec ſcribatis tertium. In diſput. 2. phyſ. quæſt. 1. ad 2. multa confertis ad oſtendendum formam ſubſtantialem dari, quæ à primo ad vltimũ in illa quæſtione poſita, ſunt petitiones principij contra negantes formam ſubſtantialem dari. Quæ dicitis ex Scoto in Quolib. 9. nituntur vocabulo, in hærere. Declarat Scotus per duas conditiones *dare actum ſecundum quid ſubiecto, & non conſtituere vnum per ſe cum ſubiecto*. Et ſunt petitiones principij apud negantes formam ſubſtantialem; illi enim omnem actum dicunt eſſe ſecundum quid, omne compoſitum eſſe vnum per accidẽns. Apud concedentes formam ſubſtantialẽ, à poſteriori diſtinguunt formam accidentalem à ſubſtantiali; ſed ex natura rei nihil dicunt à priori; neque intrinſecum formæ huic, & illi. Vel enim *inhærere* idem eſt, quod *ineſſe*, & vocabulum fruſtra multiplicatur; vel eſt aliquid aliud formaliter, & noua conditio voluntariè ponitur in definitione accidentis. Stent igitur definitiones datæ iuxta regulam Scoti de non innouandis rationibus terminorum 4. diſt. 11. quæſt. 1. & diſt. 49. quæſt. 2. & argumentum non eſt ſolutum.

quol. 3. Inhærere quid?

Offenſio *Interim neque adhuc argumentum concludit intentum, ſi totum illi concedatur. Si enim dicat ex hoc differre, quòd forma accidentalis, dum à ſubiecto diuellitur, ſtatim interit, ſecus ſubſtantialis; non ſatisfacit, quia, & nos dicemus, vt ipſe obijcit alijs, hoc eſſe voluntarie dictum, nec in definitione accidentis eam conditionem reponi, atque ideò totam ex integro conuenire formæ ſubſtantiali, etiam ſi ſe*

parabilis ponatur, & incorruptibilis.

Sæpius tentaſtis arguendo contra me, exprimere à me ſolutionem argumentorum; ſed fruſtra. Non ſoluam. Dico igitur me nullam conditionem ponere in definitione accidentis Ariſtotelica: ſed quoniam particula illa, *ineſſe eidem*, nempè ſubiecto, vobis obſcura eſt; iuxtà regulam Ariſtotelis in 2. Top. loco 3. procedam. Sic iubet Philoſophus, *ſumere pro ijs, quæ in definitionibus ſunt, nominibus definitiones, & non deſiſtere, donec ad notum deuentum ſit. nàm ſæpè cum tota quidem definitio aſſignata ſit, non manifeſtum eſt, quod quæritur: pro aliquo autem eorum, quæ in definitione ſunt nominum, definitione dicta, manifeſtum ſit*. Propter hoc iuxtà 7. metaph. 43. idem eſt dicere genus proximum cum differentia vna, & genus remotum cum differentijs ſubordinatis, quia in genere proximo ſuperiores differentiæ, & genera inſunt. Dicat ergo nobis Ariſtoteles, quid ſit *ineſſe ſubiecto* In cap. 2. ante prædicamenta ſcribit. *In ſubiecto verò eſſe dico, quòd cum in aliquo ſit, non ſicut quædam pars, impoſsibile eſt eſſe ſine eo, in quo eſt; vt quædam grammatica in ſubiecto quidem eſt in anima*. Ex iſtis conditionibus duæ, *eſſe in ſubiecto*, & *non eſſe partem ſubiecti*, conueniunt omni formæ: ſed accidentalis forma *non poteſt eſſe ſine ſubiecto*; ex hoc ſi ſeiungatur à ſubiecto, neceſſariò interit. Quarè ſi ita deſcripſi accidens, vt adueniat ſine ortu ſubiecti, cum ortu ſui: & recedat ſine interitu ſubiecti, at cum interitu ſui; in hac ſecunda parte explicaui particulam *ineſſe ſubiecto*, nouam conditionem non poſui. Non voluntatem meam ſum executus, ſed Ariſtotelis intentionem proſecutus ſum; non ergo voluntariè ego, ſicuti vos. Credendumque eſt Porphyrium idem intellexiſſe per vocabula abeſſe, & adeſſe, quod Ariſtoteles intellexit per ineſſe, & non ineſſe.

LXVIII. 61. Defenſio.

Definitio accidentis illuſtratur.

2. Top. 63

7. met. 43

Antepræ dic.

Ineſſe quid?

Poteſt etiam ponderari ad principale propoſitum argumenti particula, *contingit*; quoniam formam accidentalem *contingit ineſſe & non ineſſe*; ergo ex oppoſito formam ſubſtantialem non contingit ineſſe, & non ineſſe, ſed neceſſariò ineſt ſubiecto, & nunquam non ineſt; ergo ſeparabilis eſt, quia per hoc diſtinguitur ab accidente, quòd forma accidentalis non poteſt eſſe ſine ſubiecto, ſubſtantialis poteſt. Non ſeparatur tamen, ſub-

Vu ſtan-

ſtantialis, quoniam non contingit non ineſſe. Ergo ex hoc argumento adhuc probatur poſitio ſecundi capitis in Veſtigatione ſexta.

Argumentum duodecimum ex relatu aduerſariorum.

Offenſio num. 76. *POſtremò, perfectum eſt prius imperfecto, etiam tempore 1. de cælo 12 forma eſt materia perfectior, & antiquior in rerum natura, ſi ergo materia ſuæ exiſtentiæ neſcit exordium, tanto magis forma nec ortum, aut interitum patietur.*

LXXIX. 62. Defenſio. Et ſi in præcedentibus argumentis non pauca referendo peccaſtis, quæ conſultò prætermiſi. In hoc argumento prætermittere non potui, in quo referendo planè apparet, quàm fallaces ſitis, vt me falsò accuſare poſſitis, & apud proximos infamare. Tranſcribo argumentũ ex Veſtigat. 6. num. 15. & confero cum veſtra relatione.

Maior cũ probatione. Duodecimo, & poſtremò. Perfectum eſt prius imperfecto iuxta primum de cælo tex. 12. Qua propoſitione princeps Peripateticorum probat motum circularem eſſe prius natura recto, & naturalem priorem eo, qui eſt præter naturam.

Minor cũ probatione. Perpende materiam, & formam informatricem, forma eſt vtique perfectior, & perfectio, nam endelechia eſt.

Concluſio. Ergo forma eſt prior, & antiquior, quàm materia in rerum natura.

Si ergo materia ſuæ exiſtentiæ neſcit exordium, aut epilogũ.

Subſumptum antecedens. Neque forma ortum, aut interitum patietur: ſed ſiuè ſeparetur, ſiuè aliter, ſatis, ſuperque oſtenſa eſt ſeparabilis.

Cõſequẽs. Conferendo argumentum meum cum veſtro relato, inuenio quatuor à vobis falſata.

Prima fallacia eſt, quia ego fideliter textum citaui, in quo non eſt illa particula, *etiam tempore,* quam vos ſpuriam infideliter incluſiſtis: vt lector me infidæ citationis propter vos inſimularet. Triplex ergo eſt offenſio, vna contra Ariſtotelem, cuius textum violaſtis: ſecunda contra me, cuius argumentum mala fide corrupiſtis, tertia contra lectorem, quem decepiſtis & ad iudicandum de me prauè concitaſtis.

Secun

Secunda fallacia eſt, quia reliquiſtis adiunctam particulam ſequentem. Etenim in demonſtratione propoſitiones ſunt vniuerſales; Ariſtoteles verò, vt ſcripſi vtitur illa propoſitione in demonſtratione, qua demonſtrat motum circularem eſſe recto natura priorem & naturalem motum eo, qui præter naturam; atque tandem dari quintum corpus, quod ſit prius elementis. Quo fit, vt illa propoſitio ſit vniuerſalis; *omne perfectum eſt prius natura imperfecto*. Hanc particulam cautè omiſiſtis, quia refutat veſtram reſponſionem, contenditis enim illam propoſitionem eſſe indefinitam.

Tertia fallacia, quia ſcribo. *Perpende materiam, & formam informatricem, forma eſt vtique perfectior, & perfectio; nam Endelechia eſt.* Hæc eſt mea minor, cum ſua probatione cognita Peripateticis ex 2. de anima 2. 6. & 7. Vos loco minoris poſuiſtis concluſionem in minori ſic. *Forma eſt materia perfectior, & antiquior in rerum natura*, talis arguendi forma vobis eſto familiaris, non mihi. Poſt ambas propoſitiones ſequitur in mea Veſtigatione concluſio talis. *Ergo forma eſt prior, & antiquior, quàm materia in rerum natura.* LXXX.

Quarta fallacia, nam ſubſumo conditionalem in 12. argumento. *Si ergo materia ſuæ exiſtentiæ neſcit exordium, aut epilogum, neque forma ortum, aut interitum patietur; ſed ſiuè ſeparetur, ſiuè aliter, ſatis, ſuperque oſtenſa eſt ſeparabilis.* Vos verò in antecedente omiſiſtis particulam de interitu, ſcilicet *epilogum*; & contra regulas grammaticæ conſtructionis ſcripſiſtis, *tanto magis forma, nec ortum, aut interitum patietur*, vbi ſolæciſmus eſt, nam particula comparatiua *tantò magis*, ponitur, & terminus comparationis non ponitur. Sic voluiſtis apud Lectorem traducere meam imperitiam grammaticæ, logicæ, philoſophiæ. Quid iam ad vltimum reſpondetis?

Reſp. Hoc etiam plus æquo probare. Si enim materia eſt æterna, & forma eſt antiquior materia, ac prior, nedum perfectione; ſed etiam duratione, profectò pluſquàm æterna erit, & ante æternitatem. Offenſio

Ratio mea probat, quod intendit. Ratio veſtra deducit abſurdum, non propter textũ Ariſtotelis per me citatũ; ſed propter veſtrã particulam adulterinam, *etiam tempore*; ſicut, & in veſtra 63. Defenſio.

reſponſione falsò poſuiſtis, *etiam duratione*. Sequitur ergo abſurdum ex veſtro adiuncto, non ex meo textu; vnde fallaciam non cauſæ, vt cauſæ committitis; quia prioritatem naturæ ab Ariſtotele poſitam in prioritatem durationis transformaſtis.

Offenſio *Iam igitur diſput. 1. de cælo quæſt. 5. ab initio contra eundem authorem, cui propoſitio illa eſt valdè familiaris, diximus non eſſe vniuerſaliter, ſed indefinitè accipiendam.*

LXXXI. 64. Defenſio. Idcirco ſuppreſſiſtis appendicem additam in mea maiore probanda: ne reſponſio veſtra prius eſſet à me reiecta, quàm à vobis ſcripta, vt monui in ſecunda fallacia.

An & in 3. met. 11. non eſt vniuerſalis illa, *Vbicunque aliud melius, aliud deterius eſt, prius eſt, quod melius eſt?* Perfectum autem eſt melius.

Si autem illa propoſitio eſt mihi familiaris, non me pœnitet: nam principijs neceſſarium eſt frequenter vti. Sic in grammatica frequentiſſimè vtimur literis vocalibus. Sic in Mathematicâ vel millies repetitur principium illud, à puncto ad punctum rectam lineam ducere. Qui rectè vult philoſophari, ſemper virtute principiorum philoſophetur. Qui deſerit principium, in errorem labitur, ſicut deſerens filum in labirintho.

Offenſio *Et præſertim in propoſito veritatem habere non poteſt, quia potius materia præcedit formam prioritate originis, vt Doctor docet 2. diſt. 12. quæſt. 1. & 2. ex D. Aug. quo autem ſenſu forma ſit prior materia; vide Doct. in 7. met. quæſt. 6. Antonium Andream, & Zerbum ibidem.*

65. Defenſio. Reſponſio præſens. & immediatè præcedens, oſtendunt vos extra ſcholam Peripateticam vagari. Primo Ariſtotelicæ propoſitioni negaſtis vniuerſalitatem nunc negatis veritatem. Terminus Auguſtini acceptus à Doctore ſubtili conſideretur in Theologia, non habet locum in philoſophia Ariſtotelis. Scotus, Aragonius, Zerbus ſunt Ariſtotelis diſcipuli, qui ſi negant doctrinam preceptoris, mali diſcipuli ſunt, & à ſchola excludendi. Si cum Ariſtotele ſunt, confitebuntur, perfectum eſſe prius imperfecto ordine naturæ.

Offenſio. *Accedit ex ea maiore abſolutè prolata æquè benè inferri poſſe compoſitum, etiam tempore præire materiam, & formam, quia eſt perfectius*

Vide Magat. pag 261.

ambo-

ambobus. Vide quæ conſequentia deducantur ex quibuſdam propoſitionibus, quas indefinitè protulit Ariſtoteles.

Non ſequitur ex Ariſtotelis vniuerſali prioritas temporis; ſed ex corruptela per vos indita in Ariſtotelis propoſitionem. Vos vtique dixiſtis *etiam tempore*, non Ariſtoteles, non ego. LXXXII 66. Defenſio.

De partibus autem, ac toto diſcuſſio eſt prolixior propoſito. Scotus quolib. 9. H. docuit formam ſecundum principalitatem, & independentiam eſſe priorem, & magis ens, tùm materia; tùm compoſito. Et in Theorem. 20. principali, concl. 5. cart. 338. Cauellana.

Vlterius ſi totum eſt ſuæ partes, tunc duæ partes ſunt pluſquàm totum. 10. Nicom. cap. 2. bonum vnum cum altero magis expetendum, quàm ſolum. Et in hoc ſenſu totum eſt perfectius, dummodo partes ambæ ſint bonæ, & perfectæ, ſicut Ariſtoteles limitat 6. topic. Nunc autem forma eſt bonum, & perfectio: materia eſt indiga boni, & imperfecta: vnde dubium eſt, an duæ ſimul debeant dici perfectius, & melius, quàm forma ſola.

Si autem totum ſit à partibus diuerſum, fortaſſe totum eſt ſimpliciter imperfectius, quàm forma, ſecundum quid perfectius. Totum quippe eſt cauſatum realiter à forma, dependens eſſentialiter, poſterius naturaliter ipſa. Habet in ſe defectum primæ vnitatis, perfectæ ſimplicitatis, quiditatis ſpecificantis, & actualitatem emendicat à forma. Propter hos defectus repugnat toti eſſe prius, quàm materia, vel forma. Formæ non repugnat, imò eſt independens, & prior, & magis ens quàm materia, & quàm totum. Non igitur ex maiore primi de cælo 12. concluditur de toto, quòd efficaciter concluditur de forma.

Vide quæ conſequentiæ deducantur ex quibuſdam propoſitionibus, quas indefinitite protulit Ariſtoteles, & hi laterones eius accipiunt pro vniuerſaliſsimis quaſi propoſitiones omnes ſint vniuerſaliter veræ. Offenſio

Mirandum fuiſſet, ſi abſque iniurijs abſoluiſſetis has reſponſiones. Laterones, vel blaterones Ariſtotelis ſumus nos, vos Scoti. Certè longè dignior, quem ſequamur, eſt Ariſtoteles, quàm Scotus in philoſophia. Nam ſi à Scoti libris auferatur 67. Defenſio

Ariſt.

Ariſtoteles, nihil Scoto remaneret in philoſophia. In Theologia ex decem partibus vix remanerent tres. Plures enim textus Ariſtotelis, quàm ſacræ ſcripturæ expendit, & exponit. Prolixiores diſputationes ex Ariſtotelis philoſophia, quàm ex doctrina Chriſti agitat.

Offenſio *Sanè aliam aſſeruit propoſitionem 9. metaphyſica 15. huic ex Diametro oppoſitam. Priora generatione ſunt poſteriora perfectione. Quomodo ergo ambæ erunt vniuerſaliter veræ? Irrationabilis hic philoſophandi nonnullorum modus, inde traxit originem, quod iſti ſimpliciſſimè, & ieiunè Ariſtotelis authoritati nimium fidunt, nec niſi ſolis authoritatibus ſua aſſerta probant, quod quàm Virum Philoſophum dedeceat, diximus ſupra diſput. 1. quæſt. 1. art. 1.*

Finis ad cartam 258.

68. Defenſio. Non venit ex veſtro ſacco hæc adnotatio propoſitionis ex 9. met. *priora generatione, ſunt poſteriora perfectione.* In mea Veſtigat. 10. num. 69. illam propoſitionem pro Caietano poſui, & cum Ariſtotele limitaui ex 2. de generat. animal. cap. 6. Eiq; propoſitioni quinq; limitationes adiunxi. Cernitis, opinor, in me qualécunque Peripateticum, Ariſtotelis propoſitiones à Peripateticis non ſimpliciſſimè, non ieiunè, non inconſideratè blaterari, ſed inſpici, an ſint vniuerſales, an indefinitæ. Cæterùm nemo eſt in Peripato, qui propoſitionem illam. *Perfectum eſt prius imperfecto*, non malit ieiunam, quàm ſaturatam veſtra corruptela illa, *etiam tempore*. Ex qua corruptela veſtra hæc abſurda deducitis.

LXXXIII. Quia verò calumniamini, & Ariſtotelem, & Ariſtotelicos: pauca dicam circa propoſitionem ex 1. de Cælo 12. *Perfectum prius natura eſt imperfecto.* Secundò loquar de propoſitione 8. phyſ. 75. dicente *Prius, & natura, & ratione, & tempore, quod perfectum quidem eſt imperfecto eſt.* Tertiò indicabo Ariſtotelis loca, quibus declarauit mentem ſuam circa illam propoſitionem, quam dicitis è diametro oppoſitam iſtis. Quartò de Peripateticis.

Primò dico illam propoſitionem. Perfectum prius natura eſt imperfecto, eſſe de ordine naturalis exiſtentiæ, non de ordine generationis in generabilibus, neq; de ordine durationis, vel tem-

temporis. Sed eſt tamen vniuerſalis, quod probo, quoniam ſyllogiſmus in 1. figura directus, ſi maiorem non habeat vniuerſalem, continet fallaciam conſequentis, & non eſt in modo. Ariſtoteles autem in prima figura ſyllogiſmũ facit talẽ: Perfectum prius natura eſt imperfecto; ſed circulus eſt perfectus, recta linea verò nulla: ergo circulus eſt prior natura, quàm linea recta. Si maior eſt vniuerſalis, probaui, quòd optabam, & vos malè dicitis eam eſſe indefinitam: Si non eſt vniuerſalis, ergo impingitis Ariſtoteli fallaciam conſequentis, quod eſt abſurdum. Siuè igitur conſideremus materiam, quæ ſpectat ad demonſtrationem vt ſupra num. 73. ſiuè formam, quę ſpectat ad ſyllogiſmum, & ex ratione materiæ, & ex ratione formæ, propoſitio illa in 12. argumento à me poſita, eſt vniuerſalis.

Secundò iſtud ipſum dico de propoſitione accepta ex 8. phyſ. 75. nam ſic demonſtrat Philoſophus.

Perfectum imperfecto eſt prius tempore;
Motus circularis eſt perfectus, motus rectus eſt imperfectus,
Ergo motus circularis recto eſt tempore prior.

Et rurſus tàm ex ratione materiæ, quàm ex ratione formę apertum eſt propoſitionem hanc eſſe vniuerſalem.

Tertiò citatis 9. met. 15. propoſitionem illam; *priora generatione ſunt poſteriora perfectione* (ſed in textu Ariſt. eſt, *quæ generatione poſteriora, forma, & ſubſtantia priora ſunt, vt Vir puero* & 8. phyſ. 58. quod generatione poſterius eſt, natura prius. Apud vos nihil refert propoſitiones inuertere) cuius ſenſum ſciretis ſi tex. 13. noni præcedentem legiſſetis. In eodem genito numero, potentiam præcedere dicitur: ſimpliciter tamen actum eſſe priorem potentia, & perfectum imperfecto, vt generans genito. concluditurque tex. 17. noni, *& quemadmodum diximus tempore ſemper præcedit actus, alius ante alium vſq; ad eum, qui eſt primo mouentis*. Notate particulam, *ſemper*; nam mihi videtur vniuerſalis, non indefinita. Idem educite ex 12. met. 40. ex 14. met. cap. 6. ex 3. de anima 19. & 27. LXXXIV.

Scotus cum Ariſtotele eſt, nam quol. 13. C. affert ex 9. met. 13. textum ſic. Actus eſt prior potentia, non ſolùm tempore, & ratione, ſed etiam ſubſtantia. Hanc propoſitionem, vt maiorem

rem in ſyllogiſmo ponit Scotus, ergo tanquam vniuerſalem ponit.

Neque intelligitur Ariſt. aut Scotus, quòd actus tempore prior ſit, vel perfectum ante totam æternitatem, vt vos intorquetis, ſed in tota æternitate, ſi illa ſupponatur. Verùm ſi Ariſtoteles agit pro æternitate populariter, vt 1. de cælo 12. ſolùm prioritatem naturæ dat perfecto. Vbi ſubruit æternitatem, perfecto largitur prioritatem & naturæ, & temporis. Sic in 8. phyſ. 75. in 9. met. 13. in 7. met. 4. &c.

Quartò Ariſtotelicos traducitis tanquam *irrationabiles*, & *irrationabili* modo philoſophantes, quoniam nimium fidunt Ariſtoteli, & ſolum ex eius authoritate procedunt. Ex veſtra vrbanitate verba tàm ciuilia procedunt; fortaſſe ruri, non in ciuitate loqui didiciſtis. Si Ariſtoteles abſque ratione eſſet locutus; ſine ratione Ariſtotelici loquerentur; ſed nec ante, nec poſt Ariſtotelem aliquis philoſophus repertus eſt, qui tàm eſſet ratione armatus, quàm ipſe. Citare ergo Ariſtotelem, eſt citare rationem. Nemo item in ſcribendo Ariſtotelem breuitate, ordine, vbertate ſuperauit. Vnde illius oratio eſt quaſi centrum, ex quo innumeræ lineæ veritatum ducuntur. Nemo rationes illo meliores, reſponſiones illo ſolidiores attulit. Iactare vos poteſtis rationes veſtras; ſed ſi cum Ariſtotelicis conferantur, veſtræ bullæ ſunt, illæ adamantes. Totque ſæculorum vſu compertum eſt, quò magis accedunt docti ad Ariſtotelem, eos eſſe meliores, quò plus obſeruant, acutiores, fertiliores, robuſtiores eſſe. Quò recedunt, eò fieri debiliores.

Hæc hactenus, ex quibus lector poterit conijcere, quid contra falſitatem arguendo, vel reſpondendo valeatis.

Finis Libri Tertij.

LIBER

LIBER QVARTVS
Defenſionis Veſtigationum Peripateticarum.

Defenditur
Circulus animarum ex ſuppoſitione Aeternitatis cum Ariſtotele poſitus.

Apparatus ad Defenſionem.

IN 6. Veſtigatione, quæ de forma ſeparabili eſt, propoſui ad numerum 134. argumentum perdifficile ſumptum ex æternitate motus, & mundi, quo probatur nulla formā eſſe ſeparabilis, & in ſpeciali probatur anima intellectiua non eſſe ſeparabilis. 1.

Ad numerum 136. duas affero reſponſiones, vnam reſolutam, alteram conditionatam. Reſoluta eſt, qua teneo in Ariſtotelis ſententia, motum, ac mundum non fuiſſe ab æterno, atque adeò animas intellectrices cum corporibus incipere: cum corporibus tamen deſinentibus non deſinere. Ariſtoteles enim populariter ad iram legum præcauendam poſuit cælum, ac Mundum æternum; philoſophicè verò, & ex propria ſententia, oppoſitum ſuſtinuit, ſcilicet & mobile, & motum, & tempus à certo initio extitiſſe, & exinde conſeruari. Qua reſponſione data, totius difficultatis fundamentum ſublatum eſt.

Conditionata reſponſio eſt ex hypotheſi, ſi ſecundum Ariſtotelem concedamus motum, ac mundum æternum; conſequenter ex multis erroribus, qui ſolent inferri circa animam intellectiuam (relatis ſub numero 135.) Dixi ad numerum 143. & ſequentes, concedendam potius eſſe circulationem animarum ra-

tionalium in corpora humana tantùm. Vt anima de corpore priore, quod corrumpitur, circulo quodam in corpus humanum nouum, quod generatur, procedentibus ſæculis reuertatur. Quam opinionem etiam tenui eadem Veſtigatione num. 135. dum defenderem propenſionem animæ ad corpus.

II. Quamuis autem tenens conditionalem ad nihil obligetur, teſte Scoto in 1. diſt. 11. quæſt. 2. Vnde neque ad antecedens, neque ad conſequens teneor: ſed ad ſolam conſequentiam per loca intrinſeca, ideſt primi modi dicendi per ſe, defendendam. Tamen Offenſores mei ex iſta conditionali à me dicta, rem prorſus alienam, & omnino inconſequentem mihi affingunt; nempè quòd ego ſuſtineam, vel ſuſtinere debeam, naturaliter fieri poſſe reſurrectionem eiuſdem hominis numero prius mortui.

Prima impoſtura.

Hoc quidem à me teneri, aut ex meo dicto hoc ſequi, eſt falſum. Offenſores tamen, neſcio, quo ſpiritu ducti, hoc quod nullo modo connexum eſt, inferre ſtudent in lib. de gener. & corrupt. diſput. 5. quæſt. 6. in proœmio cart. 310. col. 2. Multa quidem poſſent prætermitti ex dictis eorum, ſed tamen ad eorum impugnationem elidendam, omnia referam, & quæ fuerint magis oportuna, notabo. Tale verò eſt exordium Aduerſariorum ad cart. 310.

CAPVT I.

An quod eſt corruptum, poſſit denuo produci, & generari naturaliter, vel ſupernaturaliter.

Offenſio

Prima opinio extrema, quæ Platonicis ſolet adſcribi, non ſolum ſupernaturaliter; ſed etiam naturaliter hoc ſtatuit poſsibile; & de facto ità contingere, quòd non ſolum quidam effectus numero ijdem redeunt; ſed omnia prorſus huius vniuerſi indiuidua, peractis certis annorum periodis, poſt completam circulationem octauæ ſphæræ per motum naturalem, quæ ſecundùm aliquos triginta ſex millibus annis finitur, ſecundùm alios quadraginta nouem millibus ex tabulis Alphonſinis. Ita referunt.

D. Au-

D. Auguſt. in 12. de ciuit. Dei cap. 13.
D. Hieron. in cap. 1. Eccleſ.
Ficin. lib. 11. de Theolog. Platonis.
Alcinous cap. 12. de doctrina Platonis.

Quaſi nihil referat falſas opiniones authoribus imponere, hic infamantur Platonici. Quaſi nihil referat falsò authores citare: citantur hic S. Aug. & S. Hieron. tanquam falſi teſtes. 1. Defenſio.

Hoc, vt videamus pro ſero S. Auguſt. qui de quæſtione illa, Cur à tam breui tempore mundus, vel homo ſit factus? ſcribit in 12. de Ciuit. Dei cap. 13. *Hanc autem ſe Philoſophi mundi huius non aliter putauerunt poſſe, vel debere diſſoluere: niſi, vt circuitus temporum inducerent, quibus eadem ſemper fuiſſe renouata, atque repetita in rerum natura; atque ità deinceps fore ſine ceſſatione aſſeuerarent volumina venientiam, prætereuntiumque ſæculorum; ſiue in mundo permanente iſti circumitus fierent, ſiue certis interuallis, oriens, & occidens Mundus eadem ſemper, quaſi noua, quæ tranſacta, & quæ ventura ſunt exhiberet.* Hæc Auguſt. qui tribuit circumitus temporum ijs, qui ſemper fuiſſe, & ſemper fore putant volumina temporum. & ſubdiuidit opinionem in duas partes. Prima eſt, vt idem mundus ſemper maneat, & quæ retroactis ſæculis fuerunt, in futuris ſæculis renouentur eadem. Secunda eſt, vt mundus quandoque ortus occidat; ſed iterum rediens nouus cum illo redeant eadem, quæ fuerunt in priori mundo. S. Aug.

Hanc opinionem non eſſe Platonis, neq; Platonicorum S. Auguſt. debet aſſerere, ſicut neque Platonem authorem eſſe dixit: etenim in cap. 12. præcedenti ſcribit Auguſt. *Quod autem reſpondimus, cum de mundi origine quæſtio verteretur, eis, qui volunt credere non eum ſemper fuiſſe: ſicut etiam Plato apertiſſimè confitetur; quamuis à nonnullis, contra quàm loquatur, ſenſiſſe credatur.* S. Aug.

Ariſtoteles quoq; in 8. phyſ. 10. teſtatur omnes priſcos Philoſophos dixiſſe, *tempus eſſe ingenitum. Plato verò ipſum generat ſolus, ſimul enim ipſum cum cælo factum eſſe; cælum autem factum eſſe ait.* Cum igitur & Ariſtoteles Platonis aduerſarius, & Auguſtinus Platonis amicus teſtimonium perhibeant, quòd Plato poſuerit & mundum, & tempus eſſe factum à certo initio, & non fuiſſe ſem- Ariſt. Platonis ſententia de mundi [ortu].

ſe ſemper. Opinio autem ponens circumitus, & reditionem earundem rerum, ponit tempus ſemper fuiſſe, & fore: conſpicuum eſt illam opinionem non eſſe Platonis. Illud certiſſimum eſt loco cit. ab Auguſt. non eſſe dictum, quòd illa opinio ſit Platonis, vel Platonicorum. Neque Auguſt. diſtinguit ibi quòd Platonici affirment non ſolum ſupernaturaliter, ſed etiam naturaliter omnia eſſe reditura: neque Auguſt. quicquam loquitur de octaua ſphæra, & eius circulatione.

III. Dicetis fortaſſe, Offenſores mei. Scotus nominat Platonem, vt authorem huius opinionis 4. diſt. 43. quæſt. 3. C.

Reſpondeo, Scoti prudentia erat vobis imitanda in duobus.

Scotus. Primum eſt, quando ait. *Tamen illud exemplum ponit Auguſt. de dicto Philoſophorum, vbi prius. ſicut inquit in hoc ſæculo Plato, & in ſchola, quæ Academia dicta eſt, diſcipulos docuit*, &c. Exemplum appellat Scotus. At in exemplis non quæritur veritas: ſed manifeſtatio, vt eſt protritum apud ſapientes. Re autem vera S. Aug. ad exponendos circuitus rerum abeuntium, & redeuntium, ſcribit. *Si eadem temporum, temporaliumq; rerum volumina repeti, vt (verbi gratia) ſicut in hoc ſæculo Plato Philoſophus in vrbe Athenienſi in ea ſchola, quæ Academia dicta eſt, &c.* Quod S. Auguſt. dicit *Verbi gratia*, vos ponitis tanquam aſſertum de Platonicis. Quod Scotus notat eſſe exemplum, non veracem aſſertionem, vos neque cum Auguſt. neque cum Scoto animaduertitis. Dummodo Platonicos notetis, nihil vobis curæ eſt.

Secundò, Scoti prudentia aduertatur; quia S. Auguſt. nihil poſuit ad determinandas periodos temporum, nihil de reuolutione octaui orbis, nihil de annis triginta ſex millibus ſecundũ philoſophos indicatos ab Auguſt. Idcirco Scotus prudenter ſubdit.

Idem. *De primo Auguſt. 12. Ciui. cap. 13. recitat opinionem Philoſophorum aliquorum dicentium per circuitus temporum eadem redire. Quibus imponitur, quòd poſt magnum annum ideſt, poſt triginta ſex millia annorum omnia redirent eadem.* Scotus, inquit *aliquorum Philoſophorum*, quoniam enim Auguſtinus non ſpecificauit philoſophos de nomine; neque Scotus id fecit: ſed vos licenter Platonicorum dicitis eſſe opinionem. Scotus addit, *quibus imponitur*

nitur, quod poſt magnum annum; ſed non affirmat hoc ab Aug. eſſe relatum, vti vos affirmatis.

Dicit eſſe impoſitum anonymis illis philoſophis; ſed non dicit, à quo ſit impoſitum. Vos Auguſtinum tanquam impoſtorem citatis, & Scoti prudentiam deſeritis. IV.

Iam de S. Hieronymo in cap. 1. Eccleſ. videamus. Hieron. ità ſcribit. *Nec putemus ſigna, atque prodigia, & multa, quæ arbitrio Dei noua in mundo fiunt, in prioribus ſæculis eſſe iam facta, & locum inuenire Epicurum, qui aſſerit per innumerabiles periodos eadem, & eiſdem in locis, & per eoſdem fieri: alioquin & Iudas crebrò prodidit, & Chriſtus paſſus eſt ſæpè pro nobis, & cætera, quæ facta ſunt, & futura in eaſdem ſimiliter periodos reuoluentur. Sed eſt dicendum, quod ex præſcientia, & prædeſtinatione Dei iam ea facta ſunt, quæ futura ſunt.* Ergo atteſtatione S. Hieronymi Epicurus eſt author æterni regreſſus earundem rerum. Epicurus autem eſt è directo Platonis aduerſarius, non Platonicus. Itaque prima pars opinionis à B. Augſt. relatæ eſt Epicuri. Ex quo conſtat vos non legiſſe S. Hieronymum; ſed ad placitum ſcripſiſſe. *S. Hieron. Conſentit S. Epiphã. hæreſi. 8.*

Authores ſecundæ partis à D. Aug. propoſitæ videntur eſſe, quantum ad aliqua Stoici. Simplicius quippè agens de reditione earundem rerum in 5. phyſ. commentario 34. *Hæc autem*, inquit, *quæſtio magis conuenit Stoicorum regenerationi. Dicentes enim illi me eundem rurſus eſſe factum regeneratione, iure quærunt, vtrum vnus ſim numero, qui tunc eram: propterea quod ſim idem ſubſtantia; an differo per ordinem, qui confertur in aliam, & aliam mundi creationem.* Hos ergo, vel Stoicos, vel Epicureos denotat Auguſtinus: Vos autem falsò, & Auguſtinum, & Hieronymum citauiſtis. V. *Simplicius.*

Deniq; Toletus in 2. de gener. & corrupt. quæſt. vlt. tradit à Iamblicho, & alijs Platonicis negari hanc eſſe Platonis opinionem. Citatq; Toletus adhoc Marſilium Ficinum lib. 17. de Theologia Platonis. Vos citatis Marſilium Ficinum, quaſi teſtem, quòd illa opinio ſit Platonicorum. An Toletus, an vos melius intellexeritis Ficinum; Docti iudicabunt. Mea ſententia eſt vos non legiſſe Ficinum; ſed falsò citauiſſe. *Tolet.*

Cita-

Citatis 11. de Theologia Platonis. Legi totum librum 11. nec verbum quid ad propoſitum inueni.

Offenſio *Quam opinionem nonnulli tribuunt etiam Pythagoreis, qui animarum regreſſum tandem ad eadem corpora admiſerint poſt multas, & varias aliorum corporum informationes.*

2. Defenſio. Pythagorei tradunt animas tranſire de corpore in corpus diuerſum vel numero, & ſpecie, vel numero, non ſpecie. Legite Laertium in Pythagora. Quòd autem ad idem numero corpus redeant, vobis aſtruentibus ſine antiquorũ teſtimonijs non credo. Paganinus Gaudētius vir plurimæ lectionis, & fœcundiſſimè ſcriptionis in exercitatio. de Pythagorea animarum tranſmigratione, plurimos congeritis authores; neminem tamen obſeruaui, id quod vos, Pythagoreis affixiſſe.

Offenſio *Vnde Pater Ferchius, qui, vt argumentum de infinitate animarum ex motus æternitate, ac animæ immortalitate ſolueret, admittit circulationem in humana corpora in Ariſtotelis ſententia Veſtig. 6. lib. 2. cap. 10. & 14.*

VI.

3. Defenſio. Ponit Ferchius conditionatè circulationem, ſed in corpora numero diuerſa, & noua: non in corpora eadem numero, & antiqua. Ac proinde non ponit reditionem eorundem numero, vel corporum, vel hominum; ſed generationem nouorum corporum, & nouorum hominum; vt apertè conſtat locis per vos relatis.

Offenſio *Tenetur, & ipſe admittere, ſaltem in ſpecie humana, hoc eſſe naturaliter poſsibile.*

4. Defenſio. Nego teneri: nego hoc eſſe poſſibile naturaliter. Probate.

Offenſio *Sicut enim naturaliter videmus eandem materiam ad diuerſas formas tranſire: cur poſt multas annorum centurias contingere nequit eandem materiam ab eadem rurſus anima informari, ſi animæ continuò redeunt ordine circulari ad corpora informanda.*

5. Defenſio. Hæc non eſt probatio, ſed cautela ſophiſtica, quando propter penuriam rationis, ratio poſtulatur à reſpondente: vt ipſe reſpondens probet aliquid neceſſarium ad ſuam poſitionem. Quo facto reſpondens tranſit ad partes opponentis, & opponens ad partem reſpondentis: vti Scotus animaduertit in 1. diſt. 3. quæſt. 7. quol. 15. A. & 9. met. quæſt. 14. Sic vos non probatis, quòd eadem anima redeat ad eandem materiam pri-

ma-

mam, vel ad eandem materiam ſecundam, quæ eſt corpus: ſed poſtulatis rationem, cur non redit? nempè iactatis multas rationes, ſed nullas affertis. *legatur inferius n. 63.*

VII. Scio tamen, quando ad aliquem effectum habendum plures cauſæ, vel conditiones neceſſariò requiruntur: ſi ex quibuſdam, at non ex omnibus cauſis fiat argumentum ad effectum, eſſe fallaciam conſequentis, & fallaciam non cauſæ, vt cauſæ. Vt ſi ad conſtituendum hominem neceſſaria eſt materia prima, & materia ſecũda, quę eſt corpus organicũ: ſi neceſſaria eſt duplex forma, forma corporeitatis, & anima rationalis; tu autem argumenteris: Materia prima, & anima rationalis eſt, ergo eſt homo; adducis tanquam cauſam totalem id, quod non eſt cauſa totalis: ommittis quippè, & formam priorem, & materiã ſecundam. Similiter ex materia prima poſita cũ anima rationali ſola, eſt fallacia conſequentis. Etenim iſta conſequentia eſt bona: Homo eſt ergo & anima rationalis, & materia prima eſt. Sed ſi è cõtra argumenteris, arguis à poſitione conſequentis cum fallacia conſequẽtis. Ità quoque ad vnum numero hominem habendum, requiritur eadem numero materia prima, & eadem numero materia ſecunda, ideſt idẽ corpus organicum; requiritur eadem numerò forma corporeitatis prior, & eadem numero anima rationalis: nam ex 7. metaph. 39. ex hoc corpore, & ex hac anima eſt hic homo. Quamobrem dato, ſed non conceſſo, quòd eadem numero portio materiæ primæ, & eadem anima rationalis numero iterum coniungantur per circulationem, ex his duobus tantũ arguere vnitatem numericam hominis eiuſdem, eſt fallacia non cauſæ, vt cauſæ, & fallacia conſequentis. Tale eſt veſtrum argumentum. Etenim in via Ariſtotelis forma corporis in homine moriente annihilatur in corruptione corporis, totum corpus corrumpitur. Quod autem ſemel corruptum eſt, neceſſariò redit idem ſpecie, non numero, ex 2. de generat. vlt. ergo nec poterit vnquam reparari eadem forma corporeitatis, nec idem corpus numero ſecundum Ariſtotelem. *fallacia conſequẽtis, & nõ cauſa quã do e* *7. met.* *2. gen. & cor.*

VIII. Immò ſi idem corpus numero eſſet ſuperſtes, & nondum corruptum, non poſſet ſecundum Ariſtotelem eadem numero anima in idem numero corpus redire, ne ex 1. de animæ 41. reſurgant

gant

gant mortua animalia, vt annotaui etiam Veſtig. 6. num. 126. & *2. anima 10.* ratio poteſt accipi ex lib. 2. de anima 10. *Non eſt autem, quod abiecit animam, potentia exiſtens, vt viuat.* Dum igitum corpus *Anima nõ poteſt redere in idẽ corpus ex Ariſt.* non ſit amplius in potentia ad animam, quam abiecit; anima non eſt apta recipi, nec recipi poteſt in tale corpus 2. de anima 26. Teneor ergo concedere circulationem conditionatè; ſed eiuſdem numero effectus prius deſtructi reparationem concedere, *2. Impoſtura.* nullus Peripateticus tenetur. Ideò hanc tentionem vos mihi falsò imponitis, & fallaciter probatis.

Sanè veſtig. 6. num. 143. ità ſcriptum eſt. *Porrò quæ ſunt perpetua, eadem numero redeunt: quæ ſunt caduca, redeunt eadem ſpecie: ergo quia corpora humana ſunt corruptibilia, redeunt eadem corpora ſpecie, non numero: quia rationales animæ ſunt indeſinentes, eadem numero ſecundum circulum reuertuntur.* Hæc ſunt verba mea, quæ ſatis mentem meam oſtendunt, & fallaciam veſtram.

Offenſio *Vt ergo Pythagorici ob hanc circulationem dicebant poſſe tandem idem indiuiduum viuens redire denuo, poſtquam corruptum eſt, vt refert Amicus in Phyſica, tractatu 14. quæſt. 8. dubio 1. Ità, quia Ferchius circulationem Pythagoricam ſuſcipit in ſpecie humana, admittere debebit poſſe naturaliter eundem hominem redire.*

De Pythagoreis ecce tertiò repetitis. Quid ſentiam dixi *IX. 6. Defenſio. fallacia conſequẽtis & accidentis.* ad num. 6. Sed quicquid ſit de Pytagoreis, in Ariſtotelis doctrina, homo ſemel corruptus poteſt redire idem ſpecie, non numero. Præterea ex partiali conuenientia cum aliquo arguere totalem conuenientiam, vel ſimilitudinẽ, eſt fallacia accidentis & cõſequnetis: ſi conuenirẽ cum Pythagoreis in migratione intellectus de corpore antiquitus corrupto, in corpus de nouo genitum: ex hac partiali conuenientia arguere etiam, quoniam Pythagorici concedunt idem numero corpus reparari, eidem numero animæ vniri; ergo, & Ferchius debet habere conuenienciam in iſto, nego conſequentiam. Poſſum enim conuenire in vna propoſitione, & non in alia. Sic Ariſtoteles in 1. phyſ. memorat tria principia ab alijs quoque tacta fuiſſe text. 79. ſed *1. phyſ. 97* tamen non ſufficienter ab alijs, ſicut à ſe ipſo. Conuenit in re cum Platone, ſed non in modo ponendi principia tria.

CAPVT II.

Regreſſum earundem numero rerum ab Offenſoribus inualidè oppugnari.

EX *diſput. 5. quaſt. 7. art. 2. num. 167. Opinio Platonicorũ initio quaſtionis relata, ſclicet non ſolũ eaſdẽ res numero viribus natura redire poſſe; ſed etiam de facto redituras poſt completam circulationem 8. ſphara; immò infinities rediſſe, ſuppoſita mundi aternitate, latè improbatur à D. Aug. 12. de Ciuitate Dei cap. 13.* Offenſio.

Iam dixi S. Aug. non tribuere Platoni, aut Platonicis mundi æternitatem: neque per conſequens hanc veſtram reditionem infinitam: nihil loqui de circulatione octauæ ſphæræ. Legatur S. Auguſt. loco cit. & relegantur dicta cap. præcedente. 7. Defenſio.

Latè improbatur ex quibuſdam ſcriptura locis, Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur. Rom. 6. ſemper cum Domino erimus ad Theſſalonicenſes 4. Tu Domine ſeruabis nos, & cuſtodies nos à generatione hac in aternum. Pſal. 21. vnde de ſic opinantibus benè ſubdit Pſalmiſta, in circuitu impij ambulant, ideſt *dicunt reditiones circulares.* Offenſio.

Reprobat etiam hoc figmentum per rationem ex beatitudine deductam, quia ſecundum iſtum circulum, nulla eſſet vera beatitudo, eò quod anima beata reditura eſſet ad miſerias, quas prius habuit: & ità dum beata eſt, aut credit ſe, non redituram, & ſic falſa opinione beata eſt; aut credit ſe redituram, & tunc timet, & per conſequens non eſt beata.

Boni eſtis tranſcriptores, & non boni. Boni, quoniam dicta, & ab Auguſtino, & à Scoto ſcripta reſcribere curatis, & de voſtro nihil addere. X 8. Defenſio.

Non boni, quoniam falſificatis citationem ſecundam: cum enim duæ ſint Sancti Pauli Apoſtoli epiſtolæ ad Theſſalonicenſes. Scotus citat. 1. cap. 4. Vos parum in ſcriptura verſati, non citatis primam, ſed epiſtolam ad Theſſalonicenſes, quaſi vna tantùm ſit. Falſificatur Scotus ab offenſoribus.

Rurſus Doctor ſubtilis citat pſalmum 11. Vos pſalmum 21. cumulantes lectorem veſtris erroribus.

Non boni, quia titulos iniurioſos additis de veſtro: nec enim Aug. vel Scotus per contumeliam dixerunt illam opinionem eſſe *figmentum*, vt vos dixiſtis; neque titulo *fabulæ* illam denigrant, vti vos denigratis.

Offenſorũ contumelia.

Non boni. Quoniam S. Aug. & Ioannes Duns in theologia ſcribunt: vnde procedunt ex principijs reuelatis, nempè in ſcientia ſupernaturali, ſpiritualibus ſpiritualia comparanres, vt Apoſtolus monet. Vos in philoſophiam naturalem, quæ procedit ex naturaliter notis, adducitis authoritates, & rationes, quæ non ſunt naturaliter notæ: & in philoſophia petitis principium procedendo ex ignotis. Scotus quippè in prima prologi aſſeuerat æternitatem beatitudinis non eſſe naturaliter notam, & in 4. diſt. 43. quæſt. 2. ſoluit S. Auguſtini rationem vt infra. Iniuſtè igitur damnatis tanquam *figmentum*, & *fabulas* Epicuri, & Stoicorum, ſiuè, vt vultis, Platonicorum opinionem: qui procedentes ex naturaliter notis, meritò irridebunt probantes ex ignotis.

Offenſio.

Refellit etiam Doctor hanc fabulam alijs rationibus. tùm quia falſo innititur fundamento, ratio enim eorum erat, quia redeunte cauſa eadem, idem redit effectus, completa autem circulatione octaua ſpæra, omnia corpora cælestia redibunt ad eundem ſitum, & eundem numero motum repetunt, quem prius fecerunt; atque adeò eoſdem numero effectus reproducent.

Hoc fundamentum eſt falſum, inquit Doctor, conceſſo enim quod octaua ſphæra reditura ſit tandem poſt ſuam completam circulationem ad idem punctum, à quo moueri capit, falſum tamen eſt, quod reliqui orbes cæleſtes ad idem etiam redirent punctum, à quo moueri cæperunt, vt Aſtrologi contra Platonem certiſſimis demonſtrationibus concludunt.

Quia motus orbium cæleſtiũ adeò inter ſe varij ſunt, vt incommenſurabiles cenſeantur, ità quod nunquam omnes coniunctim ad eundem ſitum, & aſpectum, quem antea habuerunt, redire valeant, vt benè Clauius demonſtrat in cap. 1. ſphæræ §. De periodis motuum cæleſtium.

Sco-

Scotus infelix, qui ignorauit certiſſimas demonſtrationes illas, quas vos feliciſſimè ſcitis. Scotus ait. *Si probetur aliquem motum cæleſtem alicui incommenſurabilem, quod probari poteſt, ſi ponatur magnitudo, ſuper quam ſit, eſſe incommenſurabilis magnitudini, ſuppoſita hinc inde æquali velocitate: &c.* Scotus ad probandum duos motus eſſe incommenſurabiles, duo requirit. Primum, vt magnitudines ſint incommenſurabiles, ſecundum, vt velocitas motuum ſit æqualis. Vos fugitantes difficultatum, iſta non tangitis. Sed ſubdit Scotus. *Iſtud requireret magnam diſcuſsionem ſingulorũ motuũ congruentium Epicyclis & deferentibus, ſi aliquis poſſit inueniri alicui incommenſurabilis in toto cælo.* Scoti argumentum totum eſt ſuſpenſum, & conditionale, & nihil certi ponit. Vos certiſſimas demonſtrationes habetis. Scotus item in reſolutione primi Articuli ſcribit ad E. circa primã opinionem. *Nec pro ea eſt ratio efficax, quia illa de reditu cæli, & dubium antecedens ſupponit, & dubia eſt illatio.* Scoto ipſa iſta ſunt dubia, Vobis certiſſima propter certiſſimas demonſtrationes. Cur obſecro, priuaſtis lectores ſaltem indicio ad illas demonſtrationes in aliquo libro inueniendas?

9. Defenſio Scotus.

Argum. Scoti conditionale 1. d. 2. q. 2. X. & d. 43 q 3. B.

Diſcordã offenſores à Scoti.

XI. *Falſa citatio in offenſoribus.*

Reſpondetis. Clauius demonſtrat in cap. 1. ſphæræ §. *de periodis motuum cæleſtium.*

Credere vobis non fuit animus. Facilius demonſtrationes proponuntur, quàm exhibeantur. Accipio librum Clauij in primum caput ſphæræ §. cit. ad cart. 57. ex impreſſione Romana anno 1607. apud Aloyſium Zanettum. Ità Clauius. *Hoc autem ſpatium, ſeu tempus 49000. annorum appellari ſolet à pleriſq; annus Platonicus. Hoc enim interuallo ſidera omnia ad eundem ſitum reditura autumant, immò quidam volunt, tunc omnia, quæcunque in mundo ſunt, eodem ordine eſſe reditura, quo nunc cernuntur. Sed temerè hoc aſſerere videntur, cum enim ſecundum pleroſque motus cælorum ſint inter ſe incommenſurabiles, fieri non poteſt, vt vnquam omnia ſidera eundem ſitum, & ordinem, quem nunc habent, aut olim habuerunt, obtinere poſſint.*

Clauius.

Argumentum iſtud Clauij eſt ab authoritate; dialecticum igitur, non demonſtratiuum. Incertiſſimum argumentum, ex incertis authoribus appellatis demonſtrationem? Locus ab au-

thoritate eſt omnium locorum dialecticorum incertiſſimus, & in hoc veſtro libro diſput. 1. quæſt. 2. art. 1. magnopere deiectus, vel potiùs, conculcatus. Ità, Doctores optimi, lectorem fallitis, vt putet vos demonſtrationem habere: Scotiſtas decipitis, qui credent vos in demonſtrationbus aſtrologicis Scoto ſapientiores.

XII. Sed fortè non eſt hæc demonſtratio, quam indicatis. Quæ igitur? Neſcio prorſus, neque enim aliud Clauius attingit de reditu rerum in illo §. An fortaſſis aſſignatio periodorum inæqualium facta ſingulis motibus cælorum à Clauio ibidem? Non credo. Eſſet enim nimis magna ignorantia terminorum, confundere inæqualitatem cum incommenſurabilitate. Inæquales eſſe periodos non eſt admodum difficile oſtendere in duobus cælis. Incommenſurabiles oſtendere duos orbes eſt laborioſiſſimum: propter quod neque Scotus, neque Clauius hunc laborem ſubire voluerunt. Millenarius, & binarius ſunt valde inæquales, incommenſurabiles non ſunt. Et quanquam eſſent demonſtrati duo motus incommenſurabiles in cælo: Scoto id non ſufficit; ſed oportet etiam probare æqualem velocitatem in motibus illis, alioquin nihil probatur. Motus quippe primi cæli viginti quatuor horis perficitur per lineam circularem: motus ponderis in horologio viginti quatuor horis abſoluitur per rectā: motus iſti rectus, & circularis ſunt incommenſurabiles, & incomparabiles, vti notauit Scotus 1. diſt. 2. quæſt. 7. & 4. diſt. 43. quæſt. 1. Simul hi duo motus incipiunt, ſimul fiunt, ſimul deſinunt propter inæqualem velocitatem.

Inæquale & incommemorabile non idem.

Cum igitur æqualis velocitas in duobus cælis non inueniatur, & incommenſurabilis magnitudo non probetur apud Scotum. Hæc aſtrologica argumenta ſunt incerta, & vos incaſſum iactatis demonſtrationes certiſſimas.

Offenſio *Tum quia hæc etiam ratio eſt diminuta, quia ad identitatem effectus non ſufficit cauſa efficiens; ſed præſertim eadem materia requiritur. Materia verò tunc, cum omnes orbes cæleſtes ad eundem ſitum recurrerint, poteſt eſſe alia, vel alium ſitum habere in comparatione ad cælum, quia per actionem agentis liberi poterant corpora impediri, ne ſint in eo ſitu, vbi prius erant, & etiam per actionem naturalem*

lem poteſt aliquod corpus eſſe diuiſum, & ità materia diſperſa.

In tranſcribendo iſthæc à Scoto falſificatis partem ſecundam Scotus ait. *Quia per actionem liberi arbitrij poſſunt corpora impediri, ne ſint in illo ſitu, vbi prius erant. Poteſt etiam per actionem talem aliquod corpus eſſe diuiſum, & ità materia diſperſa*. Scotus in ſecunda parte dicit per *actionem talem*: reſpice clauſulam ſuperiorem, & videbis per actionem liberi arbitrij. Quod ergo Scotus dicit per actionem liberam, vos per actionem naturalem dicentes, debilitatis rationes Scoti. Si quidem agens liberum in agendo, non ſubeſt cælo: agens naturale ſubeſt, & à cælo regitur, primo meteororum ſumma 1. cap. 2. Quamobrem ſi agens liberum cælo reſiſtit: non ſequitur, vt agens naturale reſiſtat. 10. Defenſio. Offenſores falſificãt Scotum. 1. meteor.

Interim ex hoc loco poteſtis reſpondere ad veſtram interrogationem factam cap. 1. ſupra ad num. 6. *Cur poſt multas annorum centurias contingere nequit eandem materiam ab eadem rurſus anima informari* &c. Reſpondebimus enim non neceſſariò eandem materiam ab eadem anima informari, quoniam per actionem liberam poteſt materia diuerti; & per actionem naturalem diuertetur à ſitu proprio, atque diſpergetur. XIII.

Addo ex me, materiam primam eſſe diuiſibilem in infinitum; nam quando diuiditur magnitudo, diuiditur & ſubiectum. Cum ergo ſint infinitæ partes proportionales in materia, poſſintque in ipſa eſſe infinitæ diuiſiones, & coniunctiones, ac proinde, & infinitæ congregationes, & ſegregationes partis cuiuslibet cum qualibet. Infinitum autem eſt impoſſibile pertranſire: idcirco cum infinitis diſperſionibus pars à parte ſegregetur, non eſt poſſibile, vt omnes partes eædem, quæ integrant vnam materiam numero adæquatam vni animæ, iterum congregentur. In cælo vnum eſt ſubiectum, vna tamen circulatio, nunquam reparatur eadem numero per tempus infinitum; neque idem agens ſubcæleſte, aut actio reparatur: conſequenter nec eadem paſſio, ſeu mutatio materiæ reparabitur, neque eadem congregatio vnius materiæ integræ; ſi quidem infinitum habet tranſitum inconſummabilem. Idque iure fit à natura, cum enim infinita ſingularia eiuſdem rationis ſint poſſibilia: vt omnia, quò ad fieri

po-

poteſt, ex potentia in actum reducantur: iure ſtatutum eſt, vt idem non reparetur, ſed nouum producatur: ne ſcilicet aliquid nimium, aliquid nihil de actu participet. Cum igitur ſint infinitæ congregationes particularum materiæ poſſibiles, non poterit eadem congregatio reparari: tùm ne infinitum pertranſitum ſit; tùm ne, quod diſſolutum eſt, reparetur.

Offenſio *Poſtremò refellit ex abſurdis, quæ ex hac opinione ſequuntur in ſpecie humana: nam ex parte intellectus ſequitur, quod addiſcere non ſit, niſi reminiſci, vt infert Ariſtoteles primo poſt. 4. quia inconueniens eſt, vt probat in fine ſecundi poſt. nobiliſsimos habitus eſſe in nobis, & latere nos.*

11. Defenſio. Ttranſcripſiſtis commodè, replentes cartas rebus iam ſæpius ſcriptis. Veruntamen contra quem dirigitis hoc argumentum? Epicurei, qui in eodem mundo permanente poſuerunt circuitus earundem rerum, ſtatuunt animam intellectiuam eſſe mortalem, igitur illis obiicere reminiſcentiam, eſt operam ludere; ſicuti & Doctori veſtro, ac vobis, qui in Philoſophia tenetis mortalitatem animę cum Epicuro, hoc argumentum non obſtat. Neq; Stoici, qui oriente, & occidente Mundo, eadem repeti autumant, hoc argumento confutantur: nam & iſti animam intellectiuam eſſe corruptibilem volunt; igitur non concedent reminiſcentiam. Fortaſſe in Platonicos tela dirigitis? Non vtique. Nam Plato in 10. de Legibus non ponit regreſſum, niſi animarum rationalium, ſed tamen in alia corpora. Opinio hæc à vobis conficta omnia reuerti dicit. Plato regreſſum ponit, non viribus cauſarum naturalium; ſed legibus retributiuæ Iuſtitiæ ſummi iudicis Dei. Dei autem decreta Ariſtotelicis argumentis non ſubſunt. Adſcribo pauca ex Ficino in argumento decimi libri de Legibus.

cit. prima Tuſcul.

Ficinus.

Sed Platonicos velle ſcito, non ſolùm in Purgatorio temporales eſſe pœnas, verùm etiam in cæleſti quadam regione temporalia gaudia, vt vtrinque par pari reſpondeat. Sic enim diſtiguunt. Aut ſenſus in vita omninò paruit rationi, aut omninò ratio ſenſui, aut ſemper inuicem pugnauerunt, atque in ea pugna, vel ſenſus plurimum, vel ratio ſuperabat. Animæ igitur, in quibus ſenſus rationi per habitum confirmatum prorſus obtemperauit, ſempiternum præmium conſequuntur.

tur. Contrà verò affecta, ſempiternis ſupplicijs condemnantur. Mediæ verò, ſi ſuperauit ratio, ad temporalia præmia, ſin verò ſenſus, ad temporalia ſupplicia transferuntur. Quibus verò conſultandi datum eſt tempus, Limbus apud Platonicos ſeruatur eligendi locus; hic ſub prati nomine deſignatur. Hæc ille. Ex iſtis animabus illæ, quæ præmium æternum, vel pœnam æternam recipiunt, non redeunt amplius in corpora: non igitur omnes animæ ſecundum Platonicos habent regreſſum. Quæ temporalem pœnam, aut præmium, nec non & animæ, quæ in *prato* ſunt, redeunt in corpus poſt euoluta tempora à Deo decreta: vt benè, vel malè agendo in corporibus nouis ad ſempiternos ſtatus deſtinentur.

Quæ autē de magno anno triginta ſex millium annorum dicuntur, non potuerunt à Platone dici, qui multis ſæculis antiquior fuit Ptolomeo, & multo antiquior Alphonſo Rege. Sed à Ptolomeo duxit ortum annus triginta ſex millium annorum, ab Alphonſo quadraginta nouem millium. XIV.

Quòd ſi animæ ſecundum Platonem in corpus redeuntes ſcientiarum habitus conuehunt: & argumentum fiat ab authoritate Ariſtotelis, erit petitio principij: nam Platonici Ariſtotelem non recipiunt. Si ex ratione Ariſtotelis procedatur, reſpondebunt, habitūs etiam nobiliſſimos in anima obrui ex perturbatione corporis: aliquando ad multum tempus, vt in furioſis, & ægritudine magna laborantibus; aliquando ad breue tempus, vt in dormientibus, & æbrijs. Propter quam perturbationem anima in corpus nouum rediens diu torpeſcit, & non ſine labore ad habitus, quos habet exercendos remeat.

Ex parte voluntatis tollit omnes actus liberos; nam ſi redituri ſunt ijdem omninò effectus, ergo neceſſe erit in eadem prolabi peccata in hoc ſæculo, quæ in ſuperiori patrata fuere: nec liberum erit cuique vxorem ducere, vel in cælibatu permanere, cum ad eundem ſtatum vitæ ciuilis redire cogatur in hoc ſæculo, quem habuit in elapſis. Offenſio.

Argumentum nihil contra Platonicos concludit. Ponunt namque animam redire in corpus, non vt agat eoſdem actus malos, ſed alios, & meliores liberè eliciant, veluti dudum narrauimus. 12. Defenſio.

Nil

Nil concludit contra Stoicos, qui liberum arbitrium negant. Quarè niſi extra propoſitam concluſionem arguatis, petitis principium.

Nil contra Epicureos, qui omne præmium, & pœnam poſt mortem negant: & per conſequens omne meritum, & demeritum ante mortem; quod eſſe iuxtà rationem naturalem Scotus docet in 4. diſt. 43. quæſt. 2. Auferent ergo Epicurei rationem imputabilis ab actu humano, atque ideò rationem boni, & mali.

Sed neque apud Catholicos multos concludit hæc ratio, cum teneant in actu libero ſtare neceſſitatem cum libertate. Qui enim ponunt omnes actus liberos ab æterno prædeterminatos, ſiuè cum præmotione phyſica in voluntate, ſiuè abſque illa: ponunt cõſequenter neceſſariò in ſenſu compoſito elici actus, nunquam enim elicitur actus in ſenſu diuiſo: cum hac tamen neceſsitate tenent libertatem.

Offenſio *His de cauſis Ariſtoteles 5. phyſ. 37. & 38. ſed ex profeſſo 2. de generat. in fine docet res corrupcibiles non eaſdem numero redire, poſtquam ſemel interierunt, ſed ſolum eaſdem ſpecie. Quod etiam ſignificauerat in poſt prædicamentis cap. de oppoſitis, dum dixit à priuatione ad habitum non dari regreſſum.*

XV. 13. Defenſio. Exploratum eſt authoritates Ariſtotelis apud eius aduerſarios, videlicet, Platonicos, Epicureos, Stoicos, fruſtrà allegari. Sed vos à Scoto in 4. diſt. 43. quæſt. 3. iſtas authoritates
Scot. reſcribitis. Verùm (piget dicere) reſcribitis contra Scoti mentem. Nam in eadem quæſtione ſub E. *Magis* inquit, *poſſet ex*
5. phyſ. *illa dubitatione 5. phyſ. trahi oppoſitum. Quia ſi ſanitas continuata per diem manet eadem, quarè non eodem modo illa, quæ fuit in mane, & interrupta in meridie, & reddita in veſpere, erit eadem? Vnde non habetur ibi expreſsè negatiua, quæ allegatur.* Cur ergo vos allegatis? Immò illa ratio Ariſtotelis diſputantis affertur à vobis non ſolum contra Ariſtotelis, ſed etiam contra Scoti mentem; nam Scotus in 4. diſt. 43. quæſt. 1. A. facit illam rationem pro ſe ipſo, ad oſtendendum, quòd idem numero poteſt reparari.

Ad locum ex 2. de gener. Scotus ſub litera E. in quæſt. 3. remit-

remittit ſe ad quæſt. primam eiuſdem diſtinctionis, vbi tenet non fuiſſe ab Ariſtotele vniuerſaliter negatum in 2. de generat. quòd idem numero poſſit redire; etenim quæ generantur in ſubcæleſtibus, aut generantur in rectum, aut in circulum: Scotus declarat authoritatem Ariſtotelis de ſolis circulo genitis.

Ad tertium locum ex cap. 1. poſt prædicamenta Scotus limitat dictum de reditione immediata, & de reditione ſecundum ſpeciem; & per conſequens non valet de reditione ſecundum numerum, & mediata. Sed in quæſtione 41. ſuper prædicamenta quatuor limitationes affert Scotus illius propoſitionis. *A priuatione ad habitum*, &c. Quarum primam Scotus reprobat, approbat Antonius Andreas 10. metaph. quæſt. 4. & Zerbus 10. metaph. quæſt. 9. art. 3. Quin & Baſolius 4. diſt. 43. quæſt. 2. atque Tataretus ibidem ſuper quæſt. 3. negant Ariſtotelis authoritatem. Itaque ſi veſtri Authores negant authoritatem Ariſtotelis, quid facient Aduerſarij? Si veſter Doctor, & ſequaces docent ab Ariſtotele non negari reditum vniuerſaliter, & præſertim in 5. phyſ. conſpicuum eſt vos falsò citare Ariſtotelem iuxtà iudicium Doctoris veſtri. Sic eritis veraces Scotiſtæ Scoto contradicentes. XVI. *Poſt prædic.* *Scotus.*

Eiſdem ferè rationibus profligatur Pythagoreorum opinio de animarum circulatione; ſiuè hac admittatur in quæcunque corpora animabilia promiſcuè, ſiuè in ſola ſpecie humana, vt nuper Ferchius ad Ariſtotelis mentem, ſuppoſita mundi æternitate. Offenſio num. 168

In hac offenſione veſtra ſunt duo falſa dicta de me. Vnum, quod *nuper* ſit admiſſa circulatio animarum rationalium in corpora eiuſdem ſpeciei humanæ, ſuppoſita mundi æternitate. Non eſt nupera hæc opinio in Ariſtotelis ſchola. In Veſtig. 6. num. 126. citaui authores pro iſta ſententia Beſſarionem, & Contarenum Cardinales eminentiſſimæ doctrinæ. Iulium Cęſarem Lagallam, & Andream Camutium viros doctiſſimos. Cur, amabò nunquam voluiſtis citare iſtos pro mea opinione? Nimirum ne videremini petulantes, dum in tot, & tales viros bacchamini, dum acerbè ſententiam, atque ſentientes inſectamini. Nimirum, vt lectorem à me auerteretis, dum me ſolum, vt fabularum inuentorem traducitis. At non ſum ſolus, ſed XVII. 14. Defenſio. 3. Impoſtura.

prædictis iungo Theophilum Zimaram, qui in 3. de anima ſuper tex. 20. eandem de animarum rationalium circuitu tenet ſententiam. Item Ioannem Cottunium, quem honoris cauſa nomino, Philoſophum in hac præſtantiſſima Vniuerſitate Patauina primæ Sedis, virum in Ariſtotele verſando exercitatiſſimum, in eodem ponderando accuratiſsimum, atque in explicando elegantiſsimum. Is autem in ſuo lib. de triplici ſtatu animæ diſput. 3. ſect. 3. pluribus textibus ex Ariſtotele pro Beſſarione, & Contareno probat hanc ſententiam: quamuis & pro veritate cum D. Tho. oppoſitum probet. Thomas de Argentina in 4. diſt. 43. quæſt. 1. art. 3. alios authores citat pro circulatione animarum in corpora eiuſdem ſpeciei. Auguſtinus Eugubinus 7. de perenni philoſophia cap. 2. & lib. 9. cap. 10. pro hac ſententia citat Simplicium, Simplicij verbis relatis, quæ Eugubinus in Ariſtotele recipit. Paulus Venetus in eandem meam opinionem ponitur à Sueſſano in 5. phyſ. ad tex. 38. Non igitur contra me ſolum, ſed contra multos vobis res eſt; nec tamen diffido in ſchola Ariſtotelis me ſolum vobis poſſe reſiſtere; videbimus etiam hic, ſicut in ſuperioribus, vos contra meam expoſitionem nihil ex Ariſtotele prorſus allaturos; ſed futuros eſſe Doctores extra propoſitum, & extra Peripatum.

Secundum falſum eſt, hanc opinionem de circuitu animarum in corpora eiuſdem ſpeciei eſſe fabulam Pythagoricam: maximè enim accedit ad ſuppoſitionem Ariſtotelis de mundi æternitate. In veſtig. 6. num. 127. oſtendi, quòd migratio intellectus in corpora vnius ſpeciei tantùm non eſt fabula Pythagorica; quia migratio Pythagorica eatenus falſa eſt, quatenus aufert per ſe ordinem determinatæ formæ ad determinatam materiam, iuxta textum primi de anim. 53. ſecundi de anim. 26. ſed migratio quatenus in corpora eiuſdem ſpeciei ſeruat iſtum per ſe ordinem; igitur non eſt migratio Pithagorica in hac parte. Profectò ex natura rei, & ex rationibus formalibus extremorum eſt repugnantia logica, & realis, vt anima vnius ſpeciei, puta hominis, recipiatur in corpus alterius ſpeciei, velut leonis, aut vitis. Sed quod anima intellectiua vnica numero ſit repugnans ad aliud corpus numero ita, vt vel ex rationibus formalibus extremorum,

vel

vel ex natura rei repugnet, hunc intellectum vniri cuicunque corpori humano: vel huic humano corpori repugnet vniri cuicunque intellectui humano: hoc eſt falſum, fictum, & fabuloſum. Nulla eſt igitur repugnantia ad migrationem intellectus humani ex corpore in corpus humanum, ſiuè logica, ſiuè realis; immò Deus poteſt quencunque intellectum ſignatum vnire cuicunque corpori ſignato diuiſim. Si autem hoc non facit in hoc ordine vniuerſi, eſt ex decreto diuinæ voluntatis, quæ ſi vellet, oppoſitum decerneret, & faceret. Itaq; non migratio in corpora eiuſdem ſpeciei eſt fabula, ſed negatio migrationis talis de poſſibili, vt latius poſtea.

Quia, & ipſi admittere coguntur animarum regreſſum ad eadem corpora poſt varias aliorum corporum informationes. Offenſio.

Nolo in præſentia de Pythagoreis agere. Loquar de me, qui ſuppoſita æternitate ad aures Ariſtotelis, concedo circulationem animarum rationalium. Cum dicitis me cogi admittere regreſſum ad eadem corpora: dictum veſtrum in via Ariſtotelis eſt falſum in toto: quoniam corpus ſemel deſtructum nunquam poteſt idem numero reparari ſecundum Ariſtotelem, cuius & vos paulò ante à Scoto reſcribentes, authoritatem citauiſtis. Si ergo impoſſibile eſt idem corpus reuerti, non poterit anima ad idem corpus numero reuerti. 15. Defenſio.

Fundamentum meæ ſententiæ proponam, quæ talis eſt. Impoſſibile eſt, vt intellectus ſeparatus ab vno corpore vetere, & deſtructo, reuertatur ad idem corpus de nouo reproductum in tota æternitate. XVIII.

Sit primum fundamentum. In homine quinque ſubſtantiæ conſiderantur, vna eſt materia prima. Secunda forma corporis organici. Tertia corpus organicum humanum conſtitutum ex materia prima, & forma corporeitatis organicæ. Quarta anima intellectiua. Quinta totum compoſitum, quod eſt homo ex corpore humano, vt ex materia proxima, & ex anima intellectiua, vt ex forma vltima conſtitutum. Sunt ergo in homine duæ materiæ; vna remota, & eſt materia prima: altera proxima, & eſt corpus humanum. materia prima eſt incorruptibilis, corpus humanum eſt corruptibi- *In homine quinque ſubſtãtiæ.*

le. Sunt item duæ formæ ſubordinatæ, prior, & remota eſt forma corporeitatis: vltima, & proxima eſt anima intellectiua; quarum forma corporis eſt deſtructibilis, anima intellectiua eſt indeſtructibilis. Sunt item duo tota per ſe in homine; nempè duo compoſita ſubordinata, corpus organicum, & homo: quorum vtrunque eſt propriè corruptibile.

Nunc autem ex Ariſtotele in 2. de generat. vlt. *Quorumcunque incorruptibilis eſt ſubſtantia, quæ mouetur, manifeſtum, quòd & numero eadem erunt. Quoruncunque autem non, ſed corruptibilis, neceſſe eſt ſpecie, numero autem non reuerti*. Dato igitur, & non conceſſo, quòd quatuor priores ſubſtantiæ eædem numero reuerterentur: adhuc, quia homo totus corruptus eſt, non poſſet idem homo numero reuerti: ſed ab illis cauſis eiſdem numero, cauſaretur alius homo numero.

XIX. Secundò, corpus organicum humanum in morte, vel paulò poſt, corrumpitur; ergo etiam ſi in infinitum duraret mundus, neceſſe eſt non reuerti idem corpus numero. Quarè dum intellectus, qui fuit in corpore corrupto, circulari ordine idem numero reuertitur, reuertetur ad nouum corpus humanum, vt ad materiam proximam, eandem ſpecie, non numero.

Tertiò, forma corporeitatis, ſiuè vna, ſiuè plures ſint, vno vocabulo explicetur: forma iſta eſt facta ex nihilo, & in nihil deſtruitur, ſiuè corrumpitur, accepto generaliter vocabulo corruptionis ex primo de cælo 113. Quarè, & forma corporeitatis ſemel deſtructa, eſt ſimpliciter irreparabilis ſecundum vnitatem numericam, licèt reuertatur ſecundum vnitatem ſpecificam.

Duo ſunt incorruptibilia, videlicet materia prima, & anima intellectiua: quæ, quia ſunt ſubſtantiæ incorruptibiles, poſſunt redire eædem numero. Id quidem de anima rationali, quia eſt incorruptibilis, & impartibilis, facilè conceditur. At materia prima, & ſi cognoſcatur incorruptibilis, cognoſcitur eſſe partibilis in infinitum ſecundum partes ſubſtantiales. Id quod poteſt impedire, ne reuertatur eadem materia integra, vt ſuperius attigi ad num. 13. Sed quicquid ſit de materia prima, hoc certiſſimum eſt, materiam ſecundam, quæ eſt corpus organicum, ipſam eſſe corruptibilem, & propter hoc irreparabilem in identi-

tate

tate numerica. Quando igitur anima intellectiua de vno corpore veteraſcente migrat, tranſit in aliud corpus numero: & ex homine mortuo tranſit in alium hominem viuum; neque in via Ariſtotelis concedi debet regreſſus ad eandem formam corporeitatis numero: aut ad idem corpus numero.

Secundum fundamentum ſit. Ad vnitatem compoſiti requiri principia proportionalia ſecundum rationem vniuerſalis, & ſingularis; quemadmodum ſi homo in vniuerſali conſtat ex corpore humano in vniuerſali, & anima intellectiua in vniuerſali: ad eundem modum hic homo ſingularis conſtat ex hoc ſingulari corpore humano, & ex hac anima intellectiua ſingulari. Doctrina eſt Ariſt. in 7. metaph. 39. & in 12. metaph. 27. Quam doctrinam Scotus quolib. 2. & collegit, & approbauit. Quamobrem impoſſibile eſt, vt redeat vnum, & idem numero corpus organicum, niſi etiam redeat eadem numero materia prima ſignata, & eadem numero forma corporis organici. At forma corporis corrupta eſt, ergo eſt irreparabilis. Igitur ſi corpus organicum detur intellectui, cum non ſit eadem per ſe forma numero conſtituens, nec erit idem per ſe corpus numero conſtitutum. XX.

Vlterius cum corpus organicum, quod reuertitur per generationem, non ſit idem corpus numero, ſed ſpecie: anima rationalis eadem numero informans nouum numero corpus: non conſtituet eundem hominem numero, quia vbi non eſt eadem per ſe materia numero, & eadem per ſe forma numero, non poteſt internè cauſari idem per ſe effectus numero.

Itaq; corpus organicum non poteſt reuerti idem numero duas ob cauſas; primam, quia ipſum corpus totum eſt corruptum, & ex hoc non poteſt idem reuerti: ſecundam, quia eadem forma corporeitatis corrupta non poteſt eadem reparari. Quarè ſublata eadem per ſe cauſa conſtituens vnum numero, aufertur & ipſum conſtitutum, ne ſit vnum numero. XXI.

Itidem, & homo propter duas cauſas non poteſt idem numero reuerti: primam, quia ipſe homo totus, quò ad tertiam entitatem corruptus eſt; ergo non poteſt idem numero reuerti: ſecundam, quia per ſe pars eius, nempè materia proxima; ideſt corpus

pus organicum eſt corruptum. Sed remota per ſe cauſa vnitatis numericæ cauſatę in compoſito, remouetur etiam vnitas numerica compoſiti per ſe cauſati; ergo homo totus non poteſt idem numero reuerti. Hæ ſunt quatuor cauſæ, propter quas idem numero homo non poteſt redire, etiam ſi anima intellectiua eadem redeat per circulationem. Hoc fundamentum ſit propoſitæ à me concluſionis.

Conuertite vos in quancunque faciem, in quencumq; ventum, non poteritis ipſum deſtruere. Poteſt canis rabidus ſaxum iniectum dentibus conſtringere, confringere non poteſt. Ita aduerſarius quicunque non poterit hoc atterere.

Poſſem alias cauſas ad idem producere, nam ſecundum Scotum in 4. diſt. 43. quæſt. 1. ad hoc vt idem totum reparetur, neceſſarium eſt reparari eandem vnionem partium, alioquin non erit idem totum numero. At vnio partium in morte eſt deſtructa: deſtructum non poteſt idem numero reuerti; ergo vnio partium materiæ primæ non reuertetur eadem numero: ſic neque vnio materiæ primæ cum forma corporeitatis: neque vnio corporis organici cum anima intellectiua; ergo non reuertetur, nec reuerti poterit naturaliter per circulationem idem homo numero.

Poſſem ex cauſatione alia, & alia cauſarum externarum naturalium, & internarum procedere. Sed non eſt opus. Cum non eſt eadem per ſe materia proxima compoſiti deſtructi, & reparati non poteſt idem homo numero reparari.

Mementote, quam rē propoſueritis in titulo quæſtionis iſto, *An quod eſt corruptum, poſſit denuo produci, vel generari naturaliter*. In quo titulo quæritur vnitas numerica compoſiti prius deſtructi, cum poſtea producto.

XXII. Mementote vos dixiſſe de Ferchio. *Tenetur & ipſe admittere ſaltem in ſpecie humana eſſe naturaliter poſſibile*. Quod idem nunc repetitis, dicentes de Ferchio, *quia & ipſe admittere cogitur animarum regreſſum ad eadem corpora*. Hoc veſtrum dictum eſt falſa impoſtura: & nego hoc ſequi ex mea poſitione. Heus argumentamini pro veſtra conſequentia, & contra meam negationem. Sed ad propoſitum, & ex Ariſtotele argumentamini,

4. impoſtura.

Ad

Ad propoſitum probando hominem corruptum prius, & genitum poſterius ex eadem anima intellectiua redeunte, habere vnitatem numericam.

Ex Ariſtotele, quoniam mea concluſio conditionata eſt ex Ariſtotele, cuius opinionem veſtigamus: ſimiliter & fundamentum negandi, quod idem numero homo reuertatur, ex eodem Ariſtotele ſumptum eſt.

CAPVT III.

Repetitur poſtrema Offenſio, & probationes Offenſorum proponuntur, ac reijciuntur.

EIſdem ferè rationibus profligatur Pythagoreorum opinio de animarũ circulatione, ſiuè hæc admittatur in quæcũque corpora animabilia promiſcuè, ſiuè in ſola ſpecie humana, vt nuper Ferchius ad Ariſtotelis mentem ſuppoſita mundi æternitate. Quia & ipſi admittere coguntur animarum regreſſum ad eadem corpora, poſt varias aliorum corporum informationes. Offenſio.

Nego me cogi admittere animarum regreſſum ad eadem corpora numero, immò dico in via Ariſtotelis eſſe impoſſibile animam intellectiuam reuerti ad idem corpus numero; vel ad eundem hominem numero. Probate. XXIII. 16. Defenſio

Nec dicat Ferchius ſemper animam in corpus nouum regredi: quia licèt redire poſſit eadem materia, quia hæc non corrumpitur, ſed permanet eadem in genito, & corrupto; non tamen redire poteſt eadem mixtionis forma, quæ corpus conſtituit, quia hæc corrumpitur. Offenſio.

Hoc non eſt probare veſtram concluſionem, ſed referre meam ſolutionem, ad argumentum propoſitum à vobis. Ergo extra propoſitum loquimini. 17. Defenſio

Quid item proponitis? *Nec dicat Ferchius?* Immò hoc dixi in Sexta Veſtigatione. Hoc dico nunc in fundamento propoſito: hoc dicam poſterius, velitis, nolitis. Hoc inexpugnabile eſt à vobis. In prima hac impugnatione petitis principium, vt non dicam, quod dico, quod dixi, quod dicam. Nec forma corporeitatis deſtructa poteſt redire eadem numero, neque

to-

totum corpus organicum poteſt redire idem numero: Quarè neque proxima materia hominis, neque idem homo numero poteſt redire. Nihil corruptum poteſt idem numero reparari. Hoc eſt propoſitum. Vnitas numerica, vel diuerſitas inter rem corruptam, & productam. Hoc probate. Non patiar vos digredi.

Offenſio *Nam hæc ſolutio locum non habet apud negantes pluralitatem formarum in compoſito.*

18. Defenſio. Vos eſtis Doctores extra propoſitum. Tractatur de identitate, & diſtinctione numerica compoſiti: & materiæ, ac formæ eius. Vos ad vnitatem, vel pluralitatem formarum ſaltatis? Deinde ego defendo pluralitatem formarum in homine, qua ſententia poſita, nihil profertis, nihil proferetis ad propoſitum. Nunc vultis, vt ego defendam opinionem mihi oppoſitam de pluralitate formarum. Quis poteſt obligare me ad duo contradictoria defendenda? Ad hoc impoſſibile confugitis, quia impoſſibile eſt, vt veſtram conſequentiam probetis.

Si Authores negantes pluralitatem formarum non poſſunt ſe defendere: quid mea refert? Defendam ego me. Illi ſe defendant. Immò gratiſſimum mihi erit, ſi illi defendere ſuam non valeant ſententiam: ſic nanque ſua deſerta, venient ad meam. Miſſa facite hæc, quæ neque ſunt ex Ariſtotele, neque ad propoſitum.

Offenſio *Neque apud eum, qui poneret omnem formam incorruptibilem ſicut, & materia, vt ipſe ſatis probabile cenſet eadem Veſtigat. 6. lib. 1. cap. 2.*

XXIV. Et iterum Doctores extra propoſitum; de identitate, vel diuerſitate compoſiti redeuntis eſt ſermo. Dicitis enim me cogi

19. Defenſio. ad concedendum, quòd idem numero corpus reparetur naturaliter, quòd idem numero intellectus reuertatur ad idem numero corpus: & per conſequens, quòd idem homo numero, qui antea corruptus eſt, ſit idem numero naturaliter reparatus. Ad hoc probandum ſaltatis ad formam corruptibilem, vel incorruptibilem.

5. impoſtura. Imponitis rurſus falsò, quaſi ego dixerim eſſe ſatis probabile, quòd *omnis forma ſit incorruptibilis*: Hoc à me dictum, nego.

Vide lib.

Si tamen hoc admitteretur, non eſſet circulatio admittenda, qui nulla forma ſepararetur à materia ſecundum illam opinionem nullaque regrederetur. Neque intellectus ſepararetur à corpore, aut rediret ad corpus. Sed patet vos connexiones inconnexa facere: quia nihil ex Ariſtotele, nihil ad propoſitum habetis ex ratione. 1. defen. num. 41.

Deinde rationes illæ abſolutè impugnant circulationem animarum; ſiuè in eadem corpora numero, ſiuè ſpecie. Offenſio

Ecce nunc tertiò Doctores extra propoſitum eſtis. Accepiſtis probandum *vnitatem numericam* corporis, & hominis geniti cum corrupto. Nunc extra propoſitum effugitis ad circulationem impugnandum. Vnitatem, quam mihi imponitis ſine probatione relinquitis. O fruſtrata ſpes mea! Sperabam vos, qui *argutè* dicitis de vobis ipſis, quòd *eſtis pauca authoritatis, & multa rationis*. Sperabam, inquam, vos allaturos, ſaltem aliquas authoritates, ſed allaturos theſaurum rationum. Vnde ſi me à vobis defenderem, confidebam apud omnes eſſe defenſum. Quatenus video, non eſt neceſſe me defendere, niſi negando, quia vos non offenditis, niſi proponendo, & non probando. Plura non dicam de reditu in vnitate numerica, ne fruſtrà cartas impleam. Video vos facere digreſſionem ab vnitate numerica ad circulationem impugnandam, non iam in idem corpus, ſed in corpus diuerſum numero. Conuertar et ad hoc, vt videam ſi quid contra circulationem dicitis. 20. Defenſio.

Sic enim tollitur vera beatitudo animi, vt conſtat ex diſcurſu Auguſtini relato contra Platonicos; nam reditura eſſet ad miſerias, ſiuè in eodem numero, ſiuè in eodem ſpecie corpore, parum refert. Offenſio

Ad Auguſtini diſcurſum reſpondeo cum Scoto in prima Prologi, quòd perpetuitas beatitudinis non eſt naturaliter nota: vt etiam in 4. diſt. 49. quæſt. 8. vera beatitudo nota poneretur: ſed ſecluſa imperfectione huius ſtatus. Quarè Auguſtinus diſcurrit ex ſupernaturaliter notis. Ariſtoteles autem ad ſupernaturaliter nota non poteſt attingere. Vnde vos iniuſtè hoc poſtulatis ab Ariſtotelico, vt veram beatitudinem concedat. XXV. 21. Defenſio.

Secundò, Scotus in 4. diſt. 43. quæſt. 2. Bb. & Cc. affirmat Ariſtotelem cognouiſſe beatitudinem in vniuerſali, & particu-

lari: ſed beatitudinem totius hominis, & in vita præſenti tantùm; beatitudinem poſt vitam totius compoſiti non cognouiſſe. Si Scotus benè dicit, vos malè à me poſtulatis, vt concedam beatitudinem poſt vitam compoſiti in ſententia Ariſtotelis. Si Scotus malè dicit, vos mali Scotiſtæ eſtis, qui Scotum deſeritis.

Rurſus per Scotum ibidem beatitudo intelligentiarum eſt perfecta, hominis imperfecta, quo ad ſcientias, & virtutes. Addo ego, eſt imperfecta quo ad durationem, ex 12. met. 39. Nam beatitudo eſt immediatè, & primò ipſius animæ, nō hominis: quare animæ beatitudo (æternitate data) eſt non perpetua.

Si contra hæc arguatis. Anima eſt beata, ergo eſt perpetuò beata. Duo ſophiſmata committuntur. Primum, quia beatitudo, eſt *quale*, perpetuitas eſt *quando*. Mutare quale in quando eſt figura dictionis. Si Scotus concedit imperfectionem in quali, poteſt concedere in quando: imo & concedit loco cit.

Secundum. Si anima eſt perpetuò beata, benè ſequitur, ergo eſt beata. Cum autem in argumento, quia eſt beata, infertur, ergo eſt perpetuò beata: fit fallacia conſequentis, à poſitione conſequentis. Proinde S. Auguſt. non arguit de beatitudine ex naturalibus: ſed de beatitudine, prout à Deo ex ſupernaturali liberalitate conceditur, quemadmodum cum Scoto infra.

XXVI. Quartò, Scotus ait in 1. diſt. 11. quæſt. 2. A. Quando diſputamus ex poſitione impoſſibili, debemus concedere, quæ conſequuntur per conſequentiam eſſentialem: & negare, quæ repugnant. Si autem ſit conſequentia per locum extrinſecum, vel accidentalem. *Negandum eſt illud ſequi, quia propoſitio illa, per quam talis conſequentia teneret, deſtrueretur ex poſitione.* Nunc autem ſuppoſita æternitate motus à parte ante, & poſt, conceditur circulatio animarum: qua conceſſa, conſequens per locum intrinſecum eſt concedendum, conſequens per extrinſecum eſt negandum. At verò beatitudo ſupernaturalis non eſt de ratione intrinſeca, vel hominis, vel animæ intellectiuæ, vel circulationis, vel temporis æterni. Immò S. Aug. præſupponit mundum non eſſe æternum à parte ante, vel poſt: & præſupponit ani-

mam

mam eſſe capacem æternæ beatitudinis ſupernaturalis. Quæ duo per conditionalem à nobis ſuppoſitam auferuntur. Et ideò anima ponitur incapax æternæ beatitudinis, & deſtruitur ſuppoſitio Auguſtini, & quæcunque ex illa ſequuntur.

Quintò, Sueſſanus in 5. phyſ. ad tex. 38. aliter reſpondet ad hoc argumentum Auguſtini, & commodè quidem. Sed huius rei locus infrà erit.

Nec dicat Ferchius: Id ſentire in ſententia Ariſtotelis, ſuppoſita mundi æternitate, non autem ſecundum veritatem. Offenſio

Vt verùm dicam, vobis contradicam. Dico igitur me ſentire in via Ariſtotelis, non in via veritatis animarum circulationem dari. In via Ariſtotelis ſupponitur æternitas mundi, & ea ſuppoſita ponitur animarum circuitus in corpora humana tantùm. In via veritatis neque æternitas mundi, neque animorum reditus in alia, ſed in propria corpora ſtatuitur. In Veſtig. 6. num. 131. lego. *Si autem circulationem neges (quæ veritatis gratia eſt neganda) hæc paſſio erit ſine alternatione.* Ad num. 135. *vt abſurdam* refero: ad num. 145. ſæpius circulationem dãno tanquam errorem, ſed *æternitate data, minor error eſt Ariſtoteli aſcribendus*. Legite hæc, & intelligite, ſi vultis. 22. Defenſio.

Nam candidiores Philoſophi de mente Ariſtotelis immortalitatem animæ defendunt, vt in ſtatu ſeparationis beari poſſit. Sed hanc non aſſequitur, ſi ponatur immortalis, & ſeparabilis, cum debito regrediendi ad corpora ſemper. Offenſio

Hic duo ſunt agenda; vnum de philoſophis candidis, alterum de conſequentia, an ex circulatione beatitudo auferatur. XXVII 23. Defenſio

Ad primum. Ità eſt, vt dicitis. Vincat Veritas. Candidiores Philoſophi ſunt, qui ſuppoſita mundi æternitate, defendunt ad mentem Ariſtotelis animæ immortalitatem. Sed Scotus veſter Doctor ſubtilis ſecundum Ariſtotelem defendit animam eſſe mortalem propter æternitatem motus. Sic Ioannes Baſolius, Petrus Tataretus, Philippus Fauentinus, Antonius Rocchus ſodalis veſter: ſic vos quoque, qui animam intellectiuam eſſe mortalem tenetis. Ergo & Scotus, & Scotiſtæ nigro luto Epicuri excluſi ſunt à candidioribus philoſophis, & inter nigriores incluſi. Proſit vobis.

XXVIII. Ad ſecundum, affero Scotum in 4. diſt. 43. quæſt. 2. ad B. b Quando ſoluit argumeutum ex beatitudine, quia beatitudo per rationem Auguſtini non poteſt eſſe, niſi ſempiterna. *Dabitur* Scotus. (inquit Scotus) *illud membrum ab illo, qui tenet beatitudinem humanam poſſe haberi in vita iſta: quod volens ammittit eam. Quia debet ſecundum rectam rationem velle propriam conditionem naturæ ſuæ. Recta autem ratio oſtendit iſti non habenti fidem, vt videtur ſibi, quòd conditio naturæ ſuæ eſt mortalitas tàm animæ, quàm corporis. Et ideò debet velle, ſicut vitam ammittere, ità vitam beatam.*

Et cum dicis, non eſt vita beata, quæ non erat amata ab habente.

Verum eſt, ſi non eſſet amata, pro quando eſt poſſibilis, & conueniens illi amanti: ſed ſic eſſe conuenientem pro ſemper, non eſt notum per rationem naturalem. Hucuſque Scotus, qui per rationem naturalem ponit hominem eſſe mortalem, & ſecundum animam, & ſecundum corpus. Et ponit beatitudinem pro ſemper non eſſe notam per rationem naturalem; ſed tantùm pro hac vita præſenti plena miſeriarum. Cum ergo Scotus Diui Auguſtini rationem ſoluerit, cur vos illam refricatis tanquam illa ſoluta non ſit? Cum Scotus ponat animam eſſe mortalem, & beatitudinem tantùm in hac vita ex ratione naturali: quomodo erit candidior Philoſophus? Maior propoſitio veſtra eſt: Candidiores philoſophi tenent immortalitatem animæ, & beatitudinē perpetuam. Scotus vtrunque negat ſecundum rationem naturalem, vt eius verba ſonant, & multò plura in illa quæſtione; ergo ex veſtra ſententia, & Scotus, & tota ſchola ſequacium excluditur à vobis ex albo candidiorum Philoſophorum. Hac egregia laude Scotum, & ſcholam eius ornatis. Scilicet, vt me impugnetis. Plus debuiſtis amare Scoti honorem, & Scotiſtarum, quàm odiſſe meam ſcriptionem, & honorem.

XXIX. Ego tamen confiteor, me non potuiſſe peruenire in via Ariſtotelis ad illum gradum candoris, quem deſidero. Concedo immortalitatem animorum. Concedo poſſibilem eſſe perfectam beatitudinem, vel miſeriam in anima ſeparata; ſed durationem perpetuam beatitudinis cum duratione æterna motus, conciliare adhuc non potui. Forte nec alij. S. Thomas non concedit hominem ab æterno generari poſſe, ſicut poſſunt alia permanentia:

S. Tho. 1. quæſt. 46. art. 2. ad

nentia: & S. Bonauentura negat poſſe defendi æternitatem motus ſine infinitate animarum, aut aliquo alio abſurdo.

8. & ibi Caiet. Ferrar. 2. contra gen. cap. 81. Tolet. 8. phyſ. q. 2d S. Bon. 2. d. 1. q. 2.

Quid Ariſt. dicat veſtigo, non quid alij, ſeu candidiores, ſeu atriores. Siuè igitur ipſi, ſiue vos textum habetis, producite.

Item candidi Philoſophi, vel ponunt beatitudinem ſupernaturalē, vel naturalē perpetuò: ſi primū, neq; ſunt candidi Philoſophi, neque Theologi: quoniam ſupernaturalem beatitudinem volunt eſſe naturaliter cognitam Ariſtoteli: & confundunt naturale, & ſupernaturale lumen. Si ſecundum, nego minorem, quam non probatis, ſed petitis.

Conſequenter autem loquendo in Ariſtotele triplex eſt felicitas, independens, & æterna: dependens, & æterna: dependens, & temporalis. Prima Dei eſt. Secunda intelligentiarum, quæ dependent à Deo; ſed cum ſint vnitæ immortali corpori, æternam habent felicitatem 1. cæli 100. Tertia animæ intellectiuæ, quæ corpori mortali modò eſt vnitâ, modò non: vndo poteſt habere felicitatem temporariam, & in corpore, & extra corpus naturæ ſuæ proportionalem. Iſtam tertiam concedo animæ intellectiuæ ex 12. metaph. 51. quam attigi Veſtigat. 6. num. 118. de intellectione, vel Dei, vel ſui.

Offenſio

Atquè ideò nihil refert animam ſtatuere immortalem, & ſeparabilem hoc modo, vel abſolutè mortalem.

2. Ad quid enim hæc immortalitas, quæ animam in meliori ſtatu non ponit, quàm mortalitas ipſa?

3. Sanè minimè opus erat, vt tàm prolixa diſputatione Ferchius Alexandreos aſſertores mortalitatis animæ inſectaretur, ac redargueret, ſi adeò exilem, & ſeruilem immortalitatem ei aſcribere volebat.

24. Defenſio.

Ex circulatione impugnanda ad immortalitatem impugnandam deſcenditis. Turpe enim eſſet vobis, manere in propoſito. Hæc, quæ dicitis, ſunt meræ petitiones principij. Conſiderentur ſingillatim.

Prima propoſitio veſtra. *Nihil refert animam ſtatuere immortalem, & ſeparabilem hoc modo, vel abſolutè mortalem.* Nego nihil referre. Cum probabitis, reſpondebo.

Secunda propoſitio. *Ad quid enim hæc immortalitas quæ animam in meliori ſtatu non ponit quàm mortalitas ipſa?*

Hæc

Hæc ſecunda propoſito veſtra non probat, ſed poſtulat probationem à me. Quo modo probandi creberrimè vtimini. Legite Veſt. 6. num. 127. quinque vtilitates, reſpondentes veſtræ interrogationi Adquid?

XXX. Cum indicatis animam per ſeparationem non poni in meliori ſtatu: id poteſt partim concedi, partim negari. Negari, quia melius eſt, vt ſit pars in toto, quàm extra, quò ad eſſe ſubſtantiale; vt intellectu felicitate actiua, & ſpeculatiua potiatur: vt voluntate dominetur, & proprio corpori, & vniuerſo, dum 2. phyſ. 24. vtimur omnibus propter nos. Anima igitur in corpore, ſi rectè agat, ſuper mundo paruo, & magno regnat. Concedi, quia ex 1. de anima 49. *melius eſt intellectui eſſe ſine corpore*, & 2. de generat. animal. cap. 1. *melius eſt ſeparari à deteriori.* Sic nanque fit Deo ſimilis in per ſe eſſendo, & per ſe operando: atque felicitate ſpeculatiua fruitur imperturbatè.

Et ex hoc loco poteſt colorari circulatio animorum; nam aliquo modo melius eſt eſſe cum corpore, aliquo modo melius ſine corpore: propter hoc ſtatutis temporibus animi redeunt in corpus, vt participent ipſo meliore vtriuſque ſtatus alternatim.

Nec immortalitas neceſſariò ponit actu felicitatem naturalem vt indicatis poni: nec regreſſus eam aufert vt indicatis auferri: nam anima in corpore quandoq; optimum ſtatum habet 12. met. 39. & 51. ac 10. Nicom. cap. 7. & 8.

Tertia propoſitio. *Minimè opus erat, vt tàm prolixa diſputatione Ferchius Alexandreos aſſertores mortalitatis animæ inſectaretur, ac redargueret, ſi adeò exilem & ſeruilem immortalitatem ei tribuere volebat.*

Maximè opus erat, cum Ariſtoteles expreſsè & proponat, & probet immortalitatem, redarguere eos, qui negant ſinè vlla Ariſtotelis authoritate expreſſa. Si hoc vos pungit, quoniam Epicureos ſub mantello Ariſtotelis negantes immortalitatem impugno: me iuuat, quoniam veritas eſt quærenda, probanda, tenenda, defendenda. Si veritas odium peperit, patienter fero.

Quinta propoſitio veſtra. *Immortalitas cum regreſſu ad corpus*

XXXI. *eſt exilis, & ſeruilis.* A vobis dicitur, ſed non probatur. Petitis

tis ergo, vt ſolemne vobis eſt, principium. Aeternitas exiſtentiæ à parte ante, & poſt in infinitum extenditur; ergo eſt tàm ingens, quàm eſt ipſum infinitum. Libertas ad duo oppoſita manendi, & in corpore, & extra corpus, non eſt ſeruitus.

Item eſt gratia boni ipſiuſmet animæ, vt ipſo meliore, in ſtatu & coniunctionis, & ſeparationis alternatim participet: quæ eſt vera libertas ad vtrunque. Non eſt igitur ſeruilis prorſus iſta conditio; ſed ſi quadantenus eſt, eſt conſona ipſi naturæ hominis, quæ, vt in 1. met. ſum. 1. cap. 2. traditur, in plериſque ſerua eſt.

Quamuis autem vobis videatur, quòd nihil referat ponere animam immortalem cum quouis modo accidentali potiùs, quàm mortalem. Mihi oppoſitum videtur.

Aliud eſt ſubſtantia, & aliud accidens. Ego do ipſi animæ ſubſtantiam immortalem, ſi aliquo accidente illam exuo: Vos illi aufertis eſſe ſubſtantiale, & accidentale.

Prætereа ex 2. de generat. animal. cap. 1. *Melius eſt eſſe, quàm non eſſe: viuere, quàm non viuere.* Ego do melius ipſi animæ, ſcilicet *ſemper eſſe*, & *ſemper viuere*: Si vos creditis oppoſitum eſſe melius, occidite vos ipſos quantotiùs. Sic enim habebitis, quod melius eſt: vel ſaltem cum nihil referat hoc, & illud, non magis laborate pro vita tuenda, quàm pro perdenda. Sic irridebat Philoſophus in 4. metaph. tex. 18. illos, qui non ponebant differentiam inter iſta, & ſimilia. Affirmans illos aliter dicere, aliter credere. *Cur enim Megára vadit, & non quieſcit ire putans? Nec mox à diluculo ad puteum, aut ad præcipitium aliquod vadit. Sed videtur verens, tanquam non ſimiliter non bonum, & bonum eſſe putans cadere in illo. Patet itaque, quòd hoc quidem melius eſſe putat, illud verò minimè &c.* 2. de gen. animal. 4. met. t. 18.

Iam verò *eſſe, eſſe ſubſtantiale, eſſe vitale, eſſe intellectuale* ſunt perfectiones ſimpliciter. Quatuor perfectiones ſimpliciter animæ concedo, dum immortalitatem concedo, & iſtas cum perpetuitate. Non adimo ipſum eſſe accidentale, quamuis vos mihi hoc imponatis.

Vbinam in mea Veſtigatione ſexta negaui ſtatum beatitudinis, vel miſeriæ poſt hanc vitam? Nuſquam. Sed vos contexti eſtis *6. Impoſtura.*

ti eſtis

ti eſtis ex impoſturis.

Offenſio 1. *Nam tandem dat eis manus ad deſtruendum alium animæ ſtatum, in quo rectè geſtorum præmia referat, malè verò pœnas luat.*

2. *Vnde ſatius fuiſſet, quòd cum eis in animæ mortalitatem conſenſiſſet, quàm cum Pythagoreis in eius regreſſum ad corpora.*

V. de Augus. 437

3. *Fabuloſior ſiquidem eſt animarum circulatio etiam in ſola corpora humana, quàm ipſa mortalitas.*

25. Defenſio. Alexandrei de præmio, pœna, merito, demerito nullatenus pugnant: neque in ſexta Veſtigatione vel verbulum de his factum eſt. Si ergo illi non poſtulant manus, nec ego dedi, aut negaui ſtatum præmij, vel pœnæ, ſed hæc eſt vna ex veſtris impoſturis mihi affictis.

7. *impoſtura.*

XXXII. Amplius. Aliud eſt diſputare de genere naturæ, aliud de genere moris. In ſexta Veſtigatione cum Ariſtotele dedi animæ ſtatum naturæ poſt mortem. Eſſe naturæ eſt bonum. Sed deſtruere eſſe naturæ, & eſſe moris in anima, vt vos facitis, eſt valdè malum. Cur ergo de immortalitate eſt actum, de retributione non eſt actum? Prætereo, quod hæ diſputationes ſunt diuerſę, & ſeparatæ in tractando. Id feci tamen, quoniam Ariſtoteles animam eſſe immortalem agnouit, aſſeruit, probauit, ſcripſit expreſsè. De præmio, pœna, merito, demerito, nondum ita inueni ſcriptum. Vos ergo, Offenſores, cur non docuiſtis iſta ex Ariſtotele? Quia voluiſtis petere principium, ſcilicet proponere, & non probare.

Sic Scot. Theorem. 14. concluſ. 3. in probatione.

Scotus in 4. diſt. 43. quæſt. 2. V. *Non apparet, inquit, per rationem naturalem, quòd eſt vnus rector hominum ſecundum leges Iuſtitiæ retributiuæ, & punitiuæ. Etiam eſtò, quòd ſic. Diceretur, quòd vnicuique in bono actu ſuo ſit retributio ſufficiens: ſicut dicit Aug. lib. 1. Confeſſ. cap. 12. Iuſſiſti, Domine, & ità eſt, vt ſibi ſit pœna omnis pecator. Ità quod ipſum peccatum eſt prima pœna peccati.* Si ergo Ariſtoteles per rationem naturalem non agnouit rectorem hominem ſecundum leges iuſtitię de merito, vel demerito, de præmio, vel de pœna: non debui attribuere Ariſtoteli, qui ex naturali lumine procedit id, quod ex naturali lumine neque cognouit neque cognoſcere potuit.

Deinde ſi actus bonus cum Scoto eſt ſibi præmium ſufficiens: actus

actus malus, pœna ſufficiens; iniuſtum eſt vltra præmium, & pœnam ſufficientem, aliud quærere.

Obijciet quiſpiam. Scotus dicit duas propoſitiones; primam, animam intellectiuam eſſe immortalem non eſt naturaliter notum: ſecundam, leges iuſtitiæ retributiuæ non ſunt naturaliter notæ; quarè accipis Scotum in ſecunda, & non in prima? XXXIII

Reſpondeo. Ad conuincendos Aduerſarios, qui ſe Scotiſtarum cenſores cenſent, omnis locus Scoti ſufficit; nam ſingulum quemque locum tenentur defendere. Ego primam Scoti aſſertionem eſſe contra Ariſtotelem reperio, & contra multos; nam Trimegiſtus, Phærecides, Pythagoras, Anaxagoras, Socrates, Plato, Ariſtoteles naturalibus rationibus intellectum humanum eſſe immortalem, & ſeparabilem aſſeruerunt.

De præmijs, & pœnis in Ariſtotele, cuius mentem veſtigabam, quid ſit dicendum, clarum eſt aliunde, non à Scoto ſolo.

In Pſalmo 147. *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.* Deuteronom 4. *Quæ eſt enim alia gens ſic inclyta, vt habeat cærimonias, iuſtaque iudicia, & vniuerſam legem, quam ego proponam hodie ante oculos veſtros?*

Leges diuinæ de neceſſariò ad ſalutem agendis, vel fugiendis, atque de præmijs, & pœnis retribuendis, aut ſpectant ad ſolum decretum diuinæ voluntatis: aut etiam habent rationem congruam, diuinæ ſapientiæ notam. Illud Scotiſtæ, hoc Seraphici dicent. Sed ad Rom. 11. ait Apoſtolus. *Quis cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? &* ſapientiæ 9. *Quis enim hominum poterit ſcire conſilium Dei? Aut quis poterit cogitare, quid velit Deus?* Et infra. *Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris ſpiritum ſanctum tuum de altiſsimis? Et ſi correctæ ſint ſemitæ eorum, quæ ſunt in terris, & quæ tibi placent, didicerint homines?* Sco. 1. prol. C.

Poſtremò S. Paulus 1. Cor. 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei. Stultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere quia ſpirtualiter examinatur. Spiritualis autem iudicat omnia. &c.* Ariſtoteles ſequebatur ſenſum in iudicando de veritate: ſenſu conſtituitur animal primò: ergo erat animalis homo, & non poterat cognoſcere, quæ per inſpirationem Spiritus ſan-

cti tantùm ſunt cognoſcibilia : quales ſunt veritates de merito, atq; demerito, de præmio, & pœna teſte, S Io. Chryſoſt. tom. 4. homil. 7. in 1. corint. car. 86. col. 4. Quocirca in ſecunda parte cum Scoto teneo, quia ex ſupernaturaliter reuelatis probaui leges, & iudicia Dei cognoſci non poſſe niſi per Spiritum ſanctum reuelantem. Sed natura animæ, & eius naturales conditiones multæ, naturaliter cognoſci poſſunt; & inter alias cognoſcitur immortalitas. Hæc ſint dicta ad primum §. veſtrum.

XXXIV. Offenſio. In ſecundò §. ſcribitis. *Satius fuiſſet, quòd cum Alexandreis in animæ mortalitatem conſenſiſſet, quàm cum Pythagoreis in eius regreſſum ad corpora.*

26. Defenſio. Reſpondeo. Nullum dogma de anima rationali eſt pernicioſius in philoſophia, vel Theologia, quàm mortalitas. Maximè verò hoc aduerſatur philoſophiæ Ariſtotelicæ. Vobis Epicureis ſit ſatius mortalitatem ponere. Mihi mors animæ non placet. Sed videamus, quomodo hoc probetis in §. 3.

Offenſio. In §. 3. *Fabuloſior ſiquidem eſt animarum circulatio, etiam in ſola corpora humana, quàm mortalitas ipſa.*

27. Defenſio. Hoc dictum eſt à vobis, ſed non probatum. Hoc eſt deteſtabile, proponere aſſerta tàm abſurda, & nullam probationem afferre. Reprobabo ego vos ratione, quādo ſine ratione loquimini. Fabula eſt enunciatio falſa, & ficta. Vos quatuor falſitates ponitis, ponendo animam mortalem. Primā, eſſe ſubſtantiale animæ extra corpus aufertis. Secundā, durationem eius perpetuam. Tertiā, beatitudinem, & miſeriam ſecundum earum eſſentias deſtruitis. Quartā, durationem perpetuam, vel temporalem iſtorum. Chimæra eſt monſtrum tricorporeum, fabuloſum hoc monſtrum veſtrum quadricorporeum eſt. Ego verò ſuppoſita æternitate Mundi, quæ eſt falſa, concedo vnum falſum ex iſtis quatuor, ſcilicet perpetuitatem felicitatis, & miſeriæ aufero. Non ne fabuloſior eſt opinio, quæ quatuor monſtra fabuloſè coniungit, quàm, quæ vnum illorum tantùm ponit? Fabuloſior ergo eſt mortalitas veſtra, quàm circulatio Ariſtotelica; nam vos falsò eam appellatis Pythagoream.

Offenſio. *Et vtique ex Philoſophia potiores rationes, & ex Ariſtotele plura, ac manifeſtiora loca pro animæ mortalitate, quàm eius circulatione habemus.*

In

In prima propoſitione dicitis vos ex philoſophia habere rationẽ potiores pro mortalitate animę, in ſecunda aſſeritis vos habere plura, & manifeſtiora loca Ariſtotelis pro mortalitate, quã pro circulatione. Diſtinguitis hoc loco philoſophiam præciſè ſumptã à philoſophia Ariſtotelis, & aſſeritis vos ex philoſophia habere rationes potiores pro mortalitate. *Potiores*, eſt nomen cõparatiuum deriuatum à vocabulo antiquo *potis*, quod ſignificat potens, bonum, efficax. Quarè habetis rationes meliores, potentiores, efficaciores pro mortalitate. XXXV. 28. Defenſio.

Hæc veſtra prima propoſitio eſt hæretica, & probabo infra ipſam eſſe iam damnatam in Concilio Lateranenſi ſub Leone 10.

Secunda propoſitio veſtra eſt mihi incredibilis.

A' principio iſtius offenſionis hucuſque, nullam prorſus authoritatem Ariſtotelis attuliſtis; ſiuè ad probandam vnitatem numericam hominis, aut corporis coniuncti cum intellectu redeunte in corpus nouum; ſiuè ad improbandam circulationem animorum in corpora noua; ſiuè ad probandam mortalitatem animæ intellectiuæ. Id ipſum facietis in ſubſequentibus. Solùm illas authoritates, quas ego citaui, vos reſcribetis, vt poſt patebit. De veſtro, nihil. Idem feciſtis in alijs offenſionibus præteritis. Igitur ex iſtis exemplis probatiuis non credo vos meliores authoritates pro mortalitate producturos.

Alia ratione ad non credendum adducor. Quia non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum. Sed Scotus magiſter veſter in 4. diſt. 43. quæſt. 2. K. volens probare, quòd intellectus ſit ſimpliciter corruptibilis probare tamen iuxta ſententiã Ariſt. producit textum illum primi de anima, *Intellectus corrumpitur in nobis quodam interiori corrupto*. Sed Ariſtotelis textus 66. primi de anima ſic habet. *Ipſum igitur intelligere, & ipſum ſpeculari marceſcit, alio quodam interius corrupto*. Ariſtoteles in textu græco, & latino ait, *intelligere*, Scotus poſuit *intellectus*. Intelligere aliquando eſt, aliquando non eſt nam eſt accidens. Sed intellectus videtur innaſci in corpore, ſubſtantia quædam exiſtens, & non corrumpi, 1. de anima 65. XXXVI.

Secundò citat. 7. metaph. *Ex intentione vult Ariſtoteles, quòd*

omnes partes, quæ poſſunt manere ſeparatæ à toto, ſunt elementa, ideſt, partes materiales: ſicut ipſe accipit elementa. Et præter tales, neceſſe eſt ponere in toto aliquam formam, qua totum eſt illud, quod eſt: quæ non poſſet manere ſeparata à parte materiali, toto non manente. Falsò duæ conditiones ſunt, quæ in textu non reperiuntur. Prima eſt particula *omnes*, nec enim in textu eſt. Secunda de forma, quæ non poſſet manere ſeparata à parte materiali. In quibus particulis tota vis argumenti conſiſtit.

Aliæ duæ authoritates nil faciunt contra eum, qui tenet circulationem. Vos ſanè eritis imitatores præceptoris veſtri in referendis authoritatibus.

Vnum tamen, quod mihi ſuſpicionem ingerit, dicam. Excellentiſſimus vir, Fortunius Licetus, in opere de animorum immortalitate, ampliſſimo rebus, & verbis elegantiſſimo, ſumma cum diligentia collegit, quæ à multis ſæculis obiectæ erant, authoritates ab Alexandreis contra immortalitatem. Idem præſtitit, & ſolerter, & diligenter, & eleganter Excellentiſſimus Dominus meus, Ioannes Cottunius in lib. de triplici ſtatu animæ. Corradetis vos ex iſtis, & fortè etiam ex mea Veſtigat. 6. authoritates. Sed ſi ego moriar, (iam enim inſtat mors) viuent viri præclariſſimi, vindices Ariſtotelis, & furta detegent, atque obiecta reſoluent.

XXXVII. Interea rogo vos, & obſecro humiliter per viſcera Domini noſtri Ieſu Chriſti, ne meliorem Chriſtianorum partem ſeducere tentetis. Homines doctrinis deditis ſunt, vel melior, vel optima pars Eccleſiæ Chriſtianæ. Maximo damno fuit Pomponatius olim, & nunc ſunt quidam, dum Chriſtianam iuuentutem corrumpunt hoc dogmate de mortalitate animæ. Si enim & authoritate ſapientiſſimi Philoſophi, & ratione apparenti ſentiant animam eſſe mortalem ſuaptè natura; conſequenter tenent Chriſtum eſſe mendaciſſimum ſeductorem, Chriſtianoſque Doctores eſſe, & ſeductos, & ſeductores, qui dicunt animam, (ſed ſine vlla ratione dicunt,) occidi non poſſe: eoque pacto fallaci ſpe & fallaci timore futurorum bonorum, aut malorum, priuant homines bonis præſentibus, & futuris: & in hac vita conſtituunt miſerabiliores omnibus alijs hominibus. Quot argumen-

gumen-

gumenta proponetis, tot Diaboli tentamenta nectetis contra fidelium ſalutem, contra Eccleſiæ propagationem, contra fidei veritatem. Nam niſi credatur animæ immortalitas, fruſtrà Iudicium, Infernus, Limbus, Purgatorium, Paradiſus, fruſtrà omnia Eccleſiæ ſacramenta, & ſacra ſunt. Propter hoc Articulus Oxonienſis talis eſt conſtitutus.

Item, quod non eſt inuentum ab Ariſtotele, quòd intellectus manet poſt ſeparationem.

Saluberrima prouiſio, ne etiam ſub Ariſtotelis nomine fides catholica impugnetur, vel hæreſis defendatur: neue fideles hæretici fiant. Quid enim refert ad Chriſtianam fidem ad Chriſti fideles, ſi ſub nomine Caluini, aut Ariſtotelis fideles per uertantur, hæreſis propagetur? Tantundem eſt. Propter quod optimum exiſtimarem, ſi articulus iſte in Oxonienſi Vniuerſitate latus, in Chriſtiana Vniuerſitate ſanciretur; ne ſcilicet ſub quocunque nomine, etiam Ariſtotelis, mortalitas animæ, aut æternitas mundi probarentur, vel defenderentur. Nec enim facilè eſt explicatú, quanto cum periculo, & pernicie animarum Chriſti ſanguine pretioſo redemptarum, hoc fiat. Rogo igitur, quantum poſſum, ſuperiores, quorum hoc intereſt, ne dicto, aut ſcripto iſta permittant amplius.

CAPVT IV.

Offenſores ex Ariſtotele opponere promittunt, ſed tandem nihil opponunt.

SEd agè, loquamur in Ariſtotelis ſententia. Offenſio

Hucuſque extra Peripatum, quarè & extrà propoſitum lo- 29. Defenſio

cuti eſtis: Agite igitur cum Ariſtotele.

Nullibi eam reprobauit, ait Ferchius, niſi vt à Pythagoricis ponebatur de quolibet in quodlibet corpus, etiam brutale; vt conſtat primo de anima 53. Offenſio

Dece-

Decepiſtis me. Putabam vos locuturos in Ariſtotelis ſenten-
XXXVIII. 30. Defenſio. tia. At iſta ego locutus ſum ex Ariſtotele, non vos. Ergo in primo de anima 53. per me citato in Veſtig. 6. num. 126. Ariſtoteles comparat animam ad corpus in ratione *formæ ad materiam, agentis ad paſſum, efficientis principalis ad inſtrumentum*. Habitudo, ſeu ratio formæ ad materiam per ſe, eſt vniuerſalis, vt quælibet forma eiuſdem rationis poſſit recipi in quamlibet materiam eiuſdem rationis. Habitudo agentis ad paſſum ſimiliter eſt vniuerſalis; nam quodlibet agens eiuſdem rationis poteſt
Sco. u. d. 20. q. 2. & 3. d. 1. q. 1. Scot. 3. prol. agere in quodlibet paſſum eiuſdem rationis. Habitudo agentis principalis ad inſtrumentum eſt indeterminata ad inſtrumenta eiuſdem rationis. Vt artifex ſiuè vno, ſiuè altero malleo eiuſdem rationis, clauum trudet. Ex iſtis tribus Ariſtoteles oſtendit animam non poſſe de corpore hominis in corpus leonis, aut cupreſſi ingredi. Quæ rationes ità ſe habent, vt nulla concludat migrationem de corpore vnius ſpeciei fieri non poſſe in corpus eiuſdem ſpeciei. Id ipſum patet in lib. 2. de anima 26.

Imo textibus iterum, atque iterum conſideratis in primo de anima tex 51. 52. 53. Ariſtoteles animæ migrationem, vel regreſsum nullatenus tangit: ſed ingreſſum præcisè. Siue enim primò, ſiuè ſecundò, vel tertio, anima in corpus ponatur, ſemper expoſcit corpus determinatæ ſpeciei, non autem cuiuslibet; neq; anima formicæ poterit informare ſemel vel & corpus vitis, aut leonis, aut hominis, vt eſt in Pythagoricis fabulis. Regreſſum autem in corpora vel alterius, vel eiuſdem ſpeciei non negat, ſed affirmat in corpus eiuſdem ſpeciei. Vnde in 1. de anima 65. Ariſtoteles expreſsè docet viſiuam, quæ erat in oculo ſenis, poſſe videre, ſi accipiat oculum iuuenis: ergo de materia, de paſſo, de inſtrumento vnius ſpeciei poterit migrare in aliam numero materiam, paſſum, inſtrumentum eiuſdem ſpeciei. Sed quod ex hypotheſi impoſſibili dicitur de ſenſu, ibidem ſine hypotheſi affirmatur de intellectu, qui de corpore ſeneſcente incorruptus migrat in corpus adoleſcens.

Hinc ſtatuo duas concluſiones, vnam affirmatiuam.

XXXIX 1. Ariſtoteles migrationem Pythagoricam de corpore vnius ſpeciei in corpus alterius ſpeciei impugnauit, ex 1. de anima 53.

& 2.

& 2. de anima 26.

2. Negatiuam. Ariſtoteles regreſſum animarum rationalium ex corpore humano vetere in corpus nouum eiuſdem ſpeciei non impugnauit in ijs locis, nec alibi, quod ſciam. Quarè & ex affirmatiua, & ex negatiua concluſione, colligo. Quando erat locus, & tempus proprium reprobandi, vel approbandi migrationem de ſpecie in ſpeciem, vel de ſingulari in ſingulare: Ariſtoteles tenebatur ſufficienter reprobare, & approbare propoſitum. Sed neque ex verbis ſuis, neque ex rationibus impugnatur migratio de ſingulari in ſingulare corpus eiuſdem ſpeciei; ſed ſolum de corpore vnius ſpeciei in corpus alterius ſpeciei. Igitur reprobauit migrationem ſecundum ſpeciem, approbauit ſecundum numerum: cum enim debuit impugnare, non impugnauit. Quo arguendi modo vſi eſtis & vos, ad aſſerendas definitiones primarum qualitatum, in lib. de Gener. diſp. 1. quæſt. 2. art. 2. car. 27. quia enim non impugnauit, deducitis, quòd eas receperit ab Antiquis.

Propoſui concluſiones meas, affirmatiuam, & negatiuam. Igitur ex Ariſtotele iuxtà promiſſa arguite contra eas.

Sed nullibi quoque eam aſſeruit, ſubdimus nos, adeò vt non magis ipſe affirmare hoc poſſit in Ariſtotelis ſententia, quàm nos negare. Offenſio.

In his dictis lego *ſubdimus nos* igitur hæc ſunt veſtra dicta, non Ariſtotelis. Pro auro ſcoriam datis. 31. Defenſio.

2. Præterea, mea concluſio eſt, vt vos refertis, *nullibi eam reprobauit*, ſcilicet circulationem de corpore in corpus eiuſdem ſpeciei. Veſtri officij erat probare affirmatiuam contradictoriam, *Alicubi reprobauit* circulationem talem. Hoc non probatis.

Adde, argumentum eſſe ab authoritate negatiuè. Cum oporteret oſtendere poſitiuè locum, in quo Ariſtoteles reprobauit meam ſententiam.

3. Cautela ſophiſtica eſt diuertere à parte opponentis ad partem reſpondentis, quod fit propter defectum argumentorum, induendo formam reſpondentium, vt reſpondentes faciant argumenta ad probandum. Ita Scotus 1. diſt. 3. quæſt. 7. X. & quol. 15. A a. quod ſæpius repeto, quia ſæpius in hoc peccatis. Ità vos nunc à parte opponentis tranſitis ad partem reſpon- pag. 33. pag. 350 pag. 304

den-

dentis, quia deficitis in probando, & induitis perſonam reſpondentis, negando *non magis ipſe hoc affirmare poſsit, quàm nos negare*. Mea concluſio eſt negatiua. *Nullibi reprobauit iſtam circulationem*. Vos ſubditis aliam negatiuam, *nullibi aſſeruit*: ſcilicet vultis, vt ego probem, quòd Ariſtoteles aſſeruerit.

Probate ſi quid habetis, cautelam ſophiſticam dimittite, nec enim me decipietis.

Offenſio *Nec dicat hoc colligi ex 2. de generat. cap. vlt. vbi ponit in rebus generabilibus circulum in ſpecifica identitate ad earum perennem conſeruationem. In perpetuis verò ponit circulum in numerica identitate: & ideò quia corpora humana ſunt corruptibilia, redeunt eadem ſpecie tantùm. At quia rationales animæ ſunt indeſinentes, eadem numero ſecundum circulum reuertentur.*

Quod confirmat ex 4. de generat. animal. cap. vlt. vbi ait Ariſtoteles, animalium ortus circuitu cæleſti gubernari, nempè ſubcæleſtia cæleſtem circulationem imitentur.

31. Defenſio. Textus iſtos non à vobis notatos, ſed à me oſtendo; nam Veſtigat. 6. num. 143. ſcribo.

XL. *Circulus eſt ab Ariſtotele poſitus in rebus generabilibus vniuerſaliter ad eorum perennem conſeruationem, ex lib. 2. de generat. & corrupt. cap. vlt. ſpecialiter in 4. de generat. animal. cap. vlt. aſſeuerauit animalium ortus circuitu cæleſti gubernari.* Erit miraculum, ſi aliquem textu citetis ex vobis; ſed non facietis tale miraculum, ſat ſcio.

Scribitis, *ne dicat hoc colligi*. Veſtram hanc imperatoriam maieſtatem, qua mihi præſcribitis, *non dicat, vel dicat*, non recognoſco.

Dico igitur primò, per iſtos textus à me citatos non impugnari duas concluſiones ſuprapoſitas: conceſsis enim ambobus textibus, nego conſequentiam hanc, ergo impugnauit circulationem de corpore humano in corpus humanum; quam conſequẽtiam neq; nunc, neq; in poſterum probabitis.

Secundò dico, vos adiungere ex illo textu iſta, *in perpetuis ponit circulum in numerica identitate: & ideò quia corpora humana ſunt corruptibilia, redeunt eadem ſpecie tantùm*. Tunc argumentor ſic: Quorum ſubſtantia eſt corruptibilis, illa in circulatione reuer-

reuertuntur eadem ſpecie tantùm, non numero. Atqui corpus hominis, & homo ſunt ſubſtantiæ corruptibiles, ergo in reditu non reuertitur idem corpus numero, vel idem homo numero. Vos tamen cap. 1. & 2. volebatis contra me, ideſt contra Ariſtotelem, quòd idem corpus numero, & idem homo numero naturaliter reuerterentur.

Sed certè nil minus cogitauit Ariſtoteles præfatis in locis, quàm aſſerere animarum rationalium circulationem. Nam primo loco per ingenerabilia eadem numero recurrentia in circuitu cæleſtes intelligit orbes, vt omnes exponunt, & præſertim Scotus 4. diſt. 43. quæſt. 1. ad tertium princ. Et conſtat ex ipſo contextu. Sic enim reuoluuntur in girum, vt eadem numero ad idem reuertantur punctum, quia eorum circulatio eſt per motum localem, non generationis, & corruptionis, anima autem ſi per circulum reuerteretur in corpora; ſanè talis circulatio non fieret per ſolum motum localem, ſed per veram generationem ſubſtantialem qualis eſt generatio. Offenſio

Tranſiſtis ad partem reſpondentis; non enim vultis arguere contra me. Satis ergo mea concluſio defenſa eſt, quæ impugnata non eſt. 32. Defenſio.

Ad quid debeo reſpondere? ad nihil?

Scribitis, *certè nil minus cogitauit ibi Ariſtoteles, quàm aſſerere animarũ rationalium circulationem*. Euaſiſtis diuinatores, qui cogitationum ſecreta ſcrutari vultis. Nego igitur iſtam propoſitionem: primò quia temerè cogitationes cordis ſcrutatur, & petit principium: ſecundò quia non eſt contra concluſionem meã. Mea concluſio fuit. *Ariſtoteles non impugnauit circulationem animarum in corpora eiuſdem ſpeciei*. Hoc teneor defendere. Ad placitum veſtrum, nec defendere, nec probare teneor. Sed conſequentia veſtra eſt, *non aſſeruit circulationem; ergò impugnauit circulationem*; ſimpliciter nego conſequentiam. En ſimilem. Ariſtoteles non aſſeruit, quòd ſtellatum moueatur ab occaſu ad ortum: ergo impugnauit. Quale eſt iſtud argumentum? Peccat in forma. Antecedens eſt negatiuum, & concluſio affirmatiua: quod logicæ repugnat. XLI.

Vlterius ex meis dictis paulò ante relatis patet me fideliter citaſſe dicta de generabilibus vniuerſaliter, de generabilibus ani-

malibus particulariter. At ex iſtis authoritatibus non collegi
2. impoſtura. concluſionem iſtam, ergo in præfatis authoritatibus Ariſtoteles ponit circulationem animatum. Tale argumentum vos mihi imponitis, vt veſtram impoſturam ſoluatis. Solùm enim ex iſtis ſequitur, quòd hominum generatio ſit per circulum; nam etiam homo eſt vnum ex generabilibus, & vnum ex animalibus generabilibus.

Ad hoc autem, vt generatio hominum circularis applicetur ad animam, aliquo colore probabilitatis, non ſufficit vna propoſitio, ſed alia eſt neceſſaria.

Primò quidem animaduerto ad numerum 127. veſt. 6. iſthæc. *Cui opinioni colorem aliquem probabilitatis ſequentibus capitibus afferemus ex Ariſtotele*. Sciebam, quòd circulatio animarum eſt falſa: vnde non poteſt demonſtratiuè probari: neque eſt ſimpliciter probabilis, ſed tantum ex ſuppoſitione falſa æterni motus recipit quandam ſpeciem probabilitatis. Aliquid autem eſt probabile, vel arguendo, vel reſpondendo. Volui dare colorem iſti opinioni reſpondendo, vt patet in Veſtig. 6. num. 126. & 143. vbi reſpondebam ad argumenta aduerſariorum. Cum ergo Ariſtoteles argumentum ex æternitate motus ad animas rationales applicatum non ſoluerit; quilibet ex Peripateticis quærit colorare illum modum reſpondendi, quem, vel per ſe inuenit, vel ab alijs didicit; ſic enim quærit defendere Ariſtotelem, quoad fieri poteſt probabiliter. Nunc autem ex erroribus, qui de anima rationali ponuntur propter æternitatem motus, *peſſimus omnium eſt mortalitas animæ rationalis*, minor error eſt circulatio animarum. Quid enim attuliſtis ex Ariſtotele ad eam impugnandam? Nihil. At contra mortalitatem, plurimas ego attuli authoritates in 6. Veſtigat.

XLII. Cum igitur textus illos non attulerim ad arguendum, non concludo: nec mirum eſt, ſi reſpondens non arguat. Si in veſtigatione 6. circulationem probare voluiſſem, & alia, & aliter ſcripſiſſem. In præſenti tamen ſcriptione duo argumenta feci ad probandam circulationem in Ariſtotele, alterum ad num. 40. ex 1. de anima 65. alterũ ad nu. 41. ex 1. de anima 53. Ex iſtis quoq; textibus præſertim ex 2. de gen. & cor. cap. vlt. formabo

infe-

inferius argumentum: quo formato pateſcet, vos non ſoluiſſe argumentum in illo textu contentum.

Neque tamen ſi ego non probauiſſem; propter hoc concluſio eſſe impugnata, vel falſa. Frequenter enim concluſio eſt vera, ſed ratio pro illa non eſt efficax. Scotus quolib. 2. quatuor affert rationes aliorum Doctorum probantes, quòd in diuinis non poſſunt eſſe duæ generationes; ſed rationes non iudicantur efficaces, cum concluſio ſit veriſſima. In 4. diſt. 1. quæſt. 1. quatuor affert rationes aliorum probantes, quòd creatura non poteſt creare. Scotus concluſionem approbat, rationes illas reprobat. Dato igitur, & non conceſſo, quòd ego non benè probauerim circulationem animæ intellectiuæ in via Ariſtotelis: non ſequitur propter hoc, quòd concluſio in Ariſtotele ſit falſa; neque ſequitur, quòd vos probaueritis eam eſſe falſam. Sed benè ſequitur, quòd vos defeciſtis in probando: & quòd, cum nihil poſſetis proponere cõtra concluſionem arguendo, cautè reſpondetis ad meas reſponſiones.

Citatis contra me Scotum, & malè, primò, quia in hac materia Scotum non recipio, ſed veluti Alexandreum reijcio, Secundò, quia non reſtringit axiomata ad orbes, vti vos contra textum feciſtis: quod mox dicam ad num. 45.

Ad hæc expungo aliquid falſum in veſtro dicto. In cælo XLIIII. ponitis reuerſionem eiuſdem numero per motum localem, non per generationem, & corruptionem ſubiecti, ad quod reuertitur. Ariſt. in 4. phyſ. 45. tradit cælum non eſſe in loco, ſicut neque anima eſt. *Alia verò in loco ſecundum accidens, vt anima, & cælum.*

Sicut ergo primum cælum non eſt in loco per ſe, ſed mouetur de loco ad locum ſecundum accidens, quia ſecundum partem mouetur: neque tunc generatur, vel corrumpitur cælum; ſed corpus ſubcæleſte, à quo, vel ad quod cælum appropiat, generatur, vel corrumpitur. Ità dico de anima intellectiua: quando corrumpitur, vel generatur homo, anima intellectiua, quæ non eſt per ſe in loco, mutatur per accidens ſecundum locum, quia ex præſente huic loco corporis corrupti, fit ei non præſens: & ex non præſente loco corporis geniti fit ei præſens per accidens,

dens: & ſicut cælum ſit præſens corporis ſubcæleſti genito de nouo, ſic anima ſit. Quando Ariſtoteles in ſecundo de generatione cap. vlt. dicit, cælum reuerti per motum circularem, loquitur de ſubiecto ipſius motus: non de termino per motum aquiſito, vel producto. Sic & anima, quando de corpore in corpus migrat, eſt ſubiectum mutationis localis ſecundũ accidens, ſed non eſt ſubiectum generationis, vel corruptionis, niſi fortaſsè loquamini de generatione materiæ proximæ, vel hominis, confundendo iſta. Ariſtoteles tamen in re perpetua conſiderat circulationem, vt in ſubiecto. Sed anima non eſt ſubiectum generationis, vel mutationis ſubſtantialis: ergo malè dicitis eam redire per mutationem ſubſtantialem. Si autem velitis loqui de generatione corporis ſubiecti, tunc etiam cælum reuertitur per generationem, vt reuertentibus ſtellis calidis, generatur ignis: reuertentibus frigidis, generatur terra.

Offenſio *Alio loco intendit ſolùm Ariſtoteles oſtendere circulationem in corruptibilibus, in ſpecifica identitate per generationem pendere à circulatione orbium cæleſtium, præſertim ſolis, & lunæ factam per motum localem in identitate locali, alioqui probaret quoque reditum, & circulationem animarum brutorum, cum de cuiuſcunque animalis ortu, & interitu ibi loquatur.*

XLIV. 33. Defenſio. Non eſt intentio Ariſtotelis oſtendere in illo textu, quòd identitas ſpecifica in ſubcæleſtibus ſit à circuitu cæli; ſed intentio eſt docere, quòd ex conuerſione cæleſti fiunt conuerſiones in ſubcæleſtibus ſecundum determinatas periodos temporum ſub cælo; ſicuti ſunt determinatæ conuerſiones temporum in cælo.

Conſequentiam verò, quam facitis ad probandum, nulla eſt, quia non ſequitur, tractat de omnibus animalibus, ergo animæ omnium animalium redirent in circulum. Nam reuerſio in circulum ſecundum identitatem numericam datur incorruptibilibus; at animæ brutorum non ſunt incorruptibiles; ergo non ſequitur, ſi omnia animalia generantur per circulum, animæ omnium, ſed ſolum animæ incorruptibiles redeunt per circulum.

Deinde plus accipitis in argumento, quàm in textu ſit. In tex. non eſt de reditu in identitate ſpecifica, vel numerica, ne-

que

que de diſtinctione ſubſtantiæ corruptibilis, aut incorruptibilis. Accipitis ergo, quod placet, ad textum torquendum, quò placet. Equidem duos illos textus non citaui ad aliud, vt conſtat ex meis verbis paulò ante reſcriptis, niſi ad oſtendendum omnium ſubcæleſtium in generali, & animalium in ſpeciali generationes perfici circulatione. Sed ad concludendum, quòd anima rationalis in corpore circulariter generato cum identitate ſpecifica, reuertatur circulariter in identitate numerica, adiunxi. *Porrò quæ ſunt perpetua, eadem numero redeunt: quæ ſunt caduca, redeunt eadem ſpecie. Ergo quia corpora humana ſunt corruptibilia, redeunt eadem corpora ſpecie, non numero: quia rationales animæ ſunt indeſinentes, eadem numero ſecundum circulum reuertuntur.* Hæc in Veſtigatione. ſed quia hoc vobis non videtur ſufficere, conſideremus textum.

Sub n. 40. Veſt. 4. nu. 143.

XLV. Ariſtoteles loquens de cælo in particulari, non colligit axiomata de cælo, vel de corpore, Sed de ſubſtantia in communi. Subſtantia duplex eſt, corporea, vel incorporea: corruptibilis, vel incorruptibilis. Nec inconſideratè Ariſtoteles ab inferiore aſcendit ad ſuperius, relicto nomine cæli, vel orbium: ignis, vel aquæ. Aſcendit ergo ad generaliſſimum dicens. *Quorumcunque incorruptibilis eſt ſubſtantia, quæ mouetur, manifeſtum, quod & numero eadem erunt, &c.* Subſtantiam dicit, non orbes. *Quorumcunque autem non, ſed corruptibilis, neceſſe eſt ſpecie, numero autem non reuerti.*

2. de gen. vlt.

Conſideretur iam ſubſtantia incorruptibilis, eſt ne ſola cæleſtis? Non vtique: nam & materia prima eſt ſubſtantia incorruptibilis 1. phyſ. 82. quæ mouetur motu communi, vt in 3. phyſ. 6. motu generationis, & corruptionis.

Quando igitur ex aere fit aqua, & rurſus ex aqua aer, compoſita reuertuntur eadem ſpecie, non numero. At materia prima, quò ad partes manentes in tota tranſmutatione, eadem numero, quæ fuit ſub forma aeris, reuertitur ad formam aeris: id quod maximè fiet, poſito caſu Scoti de materia ſeruata in vaſe chimico, quod vocant vrinale 4. diſt. 43. quæſt. 3. D.

Igitur illa prima propoſitio Ariſtotelis, *quorumcunque ſubſtantia eſt incorruptibilis, quæ mouetur, redeunt eadem numero:* eſt

vni-

vniuerſalior corpore cæleſti.

Hac propoſitione accepta tanquam maiore, per locum probabilem à toto vniuerſali addo minorem. Sed anima rationalis eſt ſubſtantia incorruptibilis, & mouetur per accidens ſecundum
4. phyſ. 45 locum, quemadmodum & cælum 4. phyſ. 45. ergo etiam anima rationalis redit eadem numero.

XLVI. Rurſus per locum à ſimili, ſicut ſe habet vna ſubſtantia incorruptibilis ad motum localem, reſpectu corporis, cui fit præſens, ſic ſe habet alia; patet propter ſimilitudinem in ratione ſubſtantiæ incorruptibilis, in ratione præſentiæ ad corruptibile ſibi proportionatum, & in motu locali, quo poteſt acquiri præſentia talis: atqui cælum eſt ſubſtantia incorruptibilis, & anima rationalis ſimiliter: cælum per motum localem ſecundum accidens mouetur, & per talem motum fit præſens corpori corruptibili,
4. phyſ. 4. de cælo vt forma materiei ex 4. phyſ. 49. & 4. de Cælo 23. & 35. anima rationalis quoque eſt ſubiectum motus localis ſecundum accidens, per quem motum fit præſens corpori corruptibili, vt forma materiei; igitur ſicut cæli ſubſtantia per motum ſuum fit eadem numero præſens de nouo corpori corruptibili eidem ſecundum ſpeciem ſaltem: ità quoque anima rationalis per motum ſuum eadem numero fit de nouo præſens corpori corruptibili eidem ſecundum ſpeciem.

Scio adeſſe aliquam diſſimilitudinem cum ſimilitudine, nam
Top. hoc eſt in omni loco *à ſimili*, vt ex 1. Top. cap. vlt. Sed cum ſimilitudo ſit in ſubiecto incorruptibili, in medio motu, in termino, cui probabile eſt, vt ſubſtantia vtraque tanquam forma incorruptibilis redeat ad ſuam materiam corruptibilem.

XLVII. Sex defectus iam eniteſcunt in hac veſtra impugnatione circulationis propoſitæ.

Primus, non arguiſſe contra meam concluſionem.

Secundus, reſponſionem loco argumenti attuliſſe.

Tertius, nullius textus Ariſtotelici vos recordatos eſſe, cum hoc promiſeritis facere.

Quartus, rationem pro veſtra reſponſione fallacem propoſuiſſe.

Quintus, reſpondiſſe ad id, quòd non erat argumentum pro- circu-

circulatione, quaſi eſſet argumentum.

Sextus, argumentari ex negatiua ad affirmatiuam.

Addo ſeptimum pro corollario, nō conſideraiuiſſe in textu Ariſtotelis diſcrimen inter orbes cæleſtes, & ſubſtantiam. Reſtringitis enim ad orbes, quod Ariſtoteles ad omnem ſubſtantiā incorruptibilem extendit.

CAPVT V.

Ratio ex Ariſtotele affertur ab Offenſoribus, ſed ſoluta fuera prius, & ſolutio defenditur.

DEinde Ferchianam hanc animarum circulationem directè impugnat ratio Ariſtotelis. Offenſio

Veritate conuicti oſtenditis, vos hucuſque indirectè pugnaſſe reſpondendo, non arguendo. An directè pugnabitis, videbimus. 34. Defenſio

Circulationem Ariſtotelicam appellatis Ferchianam. Non ſum auidus laudis, nec timidus vituperij procedentis à vobis. Hæc opinio de circulatione animarum rationalium in corpora humana tantùm, ſuppoſita cum Ariſtotele æternitate motus, non fuit à me primo inuenta. Ferchij eſt, Ferchiana non eſt. Theophraſti, Themiſtij, Simplicij, Auerrois fuit. Et in Veſtig. ſpecialiter eam aſcripſi Beſſarioni, & Contareno Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, quorū ſententiam nunc naſo ſuſpenditis, malitioſè tacito nomine eorum. Itaque laudem veſtram alijs defero. Veſtra vituperia facilè feram, & longè facilius ferrem, ſi aliquo cum fundamento Ariſtotelicę authoritatis procederent. Sed verba veſtra ſunt, Ariſtotelis non ſunt. Experiamur ſingillatim ſequentia. Plures alias addidi ſuperius nu. 17 & inferius nu. 18.

Ferchianam animarum circulationem directè impugnat ratio Ariſtotelis 1. poſt. lo. cit. qua reijciebat circulationem Platonicam, ibi enim contra Platonem inferebat, quod noſtrum ſcire eſſet quoddam reminiſci eorum, quæ ſciuimus in alio ſæculo. Offenſio

Erratis in Ariſtotelis intentione, in Ariſtotelis argumentatione. 35. Defenſio.

Inten-

XLVIII Intentio Ariſtotelis in loco cit. primi poſt. cap. 1. eſt inuenire modum acquirendi ſcientiam, non eſt impugnare circulationem. *Antequam autem inductum ſit, aut acceptus fuerit ſyllogiſmus, modo quidem aliquo fortaſſe dicendum eſt ſcire, modo autem alio non, &c. Sed manifeſtum, quòd ita quidem ſcit, quoniam vniuerſaliter ſcit, ſimpliciter autem non ſcit.* Ergo intentio Ariſtotelis eſt inuenire modum, quo ſcitur, & quo non ſcitur, concluſio antequam, vel poſtquam demonſtratio facta eſt.

Argumentatio Ariſtotelis immediatè ſequens ad uerba citata, hæc eſt. *Si verò non, quæ in Menone dubitatio continget, aut enim nihil addiſcet, aut quæ nouit.* Non infert contra Platonem, quod noſtrum ſcire eſſet reminiſci, quoniam inferret tanquam inconueniens, quod Platoni non eſt inconueniens. Quarè & in textu, nec vocabulum circulationis, neq; reminiſcentiæ, neque vocabulum æquiualens adeſt. Diſtinguite igitur in Dialogo Platonis, cui titulus eſt *Meno* dubitationem propoſitam à Menone, & ſolutionem datam à Platone in perſona Socratis. Ariſtoteles commemorat dubitationem Menonis, & ex ipſa confirmat propriam ſolutionem, quòd concluſio antea ſcitur vniuerſaliter, non ſcitur ſimpliciter. Si vero non ita dicatur, ſequetur dubitatio in Menone propoſita; nam ſi non ſcit vniuerſaliter, nec ſimpliciter concluſionem, nihil addiſcet. Si verò ſciat, etiam ſimpliciter, tunc addiſcet, quæ nouit. Solutionem Platonicam non refellit.

Offenſio *Hæc ratio autem æquè conuincit, ſiue anima in idem numero corpus redire dicatur; ſiue in idem ſpecie.*

1. *Habitus enim, & ſpecies intelligibiles in anima recipiuntur, & conſeruantur, non in toto coniuncto.*

2. *Et cum nulla ſit ratio cur in ſtatu ſeparationis illa adhuc non retineat, cum ab organis non dependeant & habeant eſſe permanenter ad differentiam actuum.*

3. *Nec nullum contrarium eis opponatur.*

4. *Conſequenter quando rurſus redibit ad informandum corpus, ſpecies ſuppeditabit ad recognoſcenda obiecta antea nota, ſiuè in alio corpore, ſiuè in eodem.*

5. *Vnde ratio contra Platonem non procedit, quia poneret animam*

redi-

redire in idem corpus, ſed abſolutè, quia ponebat eam in corpus reuerti, ſiuè ſit idem numero, ſiuè ſpecie, & ideò circulationem animarum impugnat quocunque modo ponatur.

6. *Reſpondet Ferchius Ariſtotelem huic dubitationi ſatisfacere.*

Ex iſto §. vltimo veſtro patet, vos eſſe mendicos, vel fures argumentorum à me propoſitorum Veſtigat. 6. De veſtro nihil. 36. Defenſio.

Sed in iſta ratione, quam, vt Ariſtotelicam producitis multa ſunt contra Ariſtotelem.

Prima particula debet eſſe de memoria, & reminiſcentia, de qua vultis, quòd Ariſtoteles diſputet contra Platonem, & contra me. Ab obiecta memoriæ, & reminiſcentiæ ſunt phantaſmata, & in phantaſia; quarè ſunt in toto coniuncto; & coniuncto deſtructo, deſtruuntur, quod eſt contra vos. II.

In lib. de memoria, & reminiſcentia ſpecies memorabilium collocat in primo ſenſitiuo cap. 1. *Quarè manifeſtū eſt, quòd primo ſenſitiuo horum cognitio eſt, memoria autem ea, quæ eſt intelligibilium non ſine phantaſmate eſt. Quarè intellectiui ſecundum accidens vtiq; erit, per ſe autem primi ſenſitiui. Vnde, & alijs quibuſdam ineſt animalium, & non ſolum hominibus, & habentibus opinionem, aut prudentiam. Si autem intellectiuarum partium eſſet, non vtique ineſſet multis aliorum animalium: fortè autem nulli mortalium.* Pereunte autem per ſe ſubiecto ſpecierum memorabiliū, & actuum memorandi, & habituum: perit etiam ſpecies, & habitus, qui ſunt in ſubiecto per accidens; nec enim, quod eſt per accidens eſt prius ijs, quæ ſunt per ſe, ſed poſterius: at prius poteſt eſſe ſine poſteriori 5. met. 16. & non è conuerſo. Quarè, ſi qui ſunt habitus, vel ſpecies memorabilium in intellectu; ipſi corrumpuntur, corrupto coniuncto, & ſpeciebus per ſe memorabilibus in coniuncto exiſtentibus. Et infra cap. 2. *Quid igitur eſt memoria, & meminiſse, dictum eſt, quòd phantaſmatis, vt imaginis, cuius phantaſma eſt habitus: & cuius particulæ earum, quæ in nobis, quòd primi ſenſitiui, & quo tempus ſentimus.* Ariſt. 11. met. ſum. 3. c. vlt. Piccolom. in 3. anima tex. 20. conſid. 2. I.

Secundò, de reminiſcentia in eodem lib. cap. vlt. *Quod autem, inquit, corporeum quiddam ipſa paſsio, & reminiſcentia in tali phanaſmate, ſignum eſt turbari quoſdam cum non poſſunt reminiſci.*

Conſtat, quòd reminiſcentia, & memoria ſunt partis ſenſitiuæ, ſunt corporeæ, ſunt totius coniuncti per ſe: per accidens

ſunt ipſius intellectiui. Ità cum Ariſtotele, cuius contrarium, vt Ariſtotelicum proponitis.

LI. Secunda particula primò continet cautelam ſophiſticam, deinde contra Ariſt. eſt. Dicitis, *Nulla eſt ratio cur anima in ſtatu ſeparationis non retineat ſpecies, & habitus*; hoc eſt non reddere rationem concluſionis, ſed quærere rationem ab alijs, quod ſit propter defectum probationis. Nam ſi neq; ego, neq; vos ſciamus rationem, quarè anima ſpecies, & habitus in ſeparatione amittat, vel retineat; noſtra ignorantia non eſt medius terminus dicens *propter quid*, vel retineat, vel amittat. Arguo ſic. *Nulla ratio eſt à vobis ſcita contra concluſionē, ergo concluſio vera.* Profectò cōſequētia iſthæc eſt nulla; tale eſt argumentū veſtrū. Nunc tamē nō quærimus rationē ex parte rei, nā quærimus mentē Ariſt.

Secundò igitur contra Ariſtotelem eſt propoſitio, vt ego Veſtigatione ſexta numero 108. ſcripſi, vos legiſtis; ſed ſcientes, & volentes tacuiſtis, vt lectorem deciperetis, & me accuſaretis. Textus eſt in lib. de longitudine, & breuitate vitæ cap. 2. *Sunt enim & propriæ corruptiones multis entium, vt ſcientiæ ſanitati, & ægritudini; hæc enim corrumpuntur etiam non corruptis ſuſceptiuis, ſed ſaluatis: vt ignorantiæ quidem corruptio, reminiſcentia, & diſciplina: ſcientiæ autem obliuio, & deceptio. Secundum accidens autem conſecuntur naturalia aliorum corruptiones, corruptis enim animalibus corrumpuntur, & ſcientia, & ſanitas, quæ in animalibus.* Ariſtoteles dicit, quòd in corruptione animalis corrumpitur ſcientia, quæ erat in illo. Vos affirmatis, quòd non corrumpitur habitus ſcientiæ. Non obſtante veſtra ratione, quòd ſcientia non dependeat ab organis, quòd habeat eſſe permanenter ad differentiam actuum, Ariſtoteles aſſerit, deſtructo animali, deſtrui ſcientiam. At quilibet Peripateticus magis credet Ariſtoteli de propria ſententia, quàm vobis.

Hoc ex capite de quali poſito inter prædicamenta licèt colligere; nam loquens de habitu ſcientiæ, & virtutum ait. *Si quis vel mediocriter ſumat ſcientiam, niſi grandis permutatio facta ſit, vel ab ægritudine, vel ab aliquo huiuſmodi, &c. non videntur poſſe facilè moueri.* Sic Valerius Maximus narrat ictu lapidis Philoſophum quendam memoriam litterarum perdidiſſe; & Sabellicus

Elorans, car. 587. Textor. par. 1. car 23.

licus ait, Meſſalæ Coruino oratori ob ægritudinem grauem, & ſeruorum memoriam, & proprijs nominis obliteratam fuiſſe. At nulla eſt permutatio in homine atrocior, 3. Nicom. cap. 9. quàm mors: vnde in tali permutatione omnes ſcientiæ, & virtutes aquiſitæ ſecundum Ariſtotelem pereunt. Hoc autem eſt, quia perit ſubiectum primum, ſine quo intellectus nihil intelligit, amat, odit, reminiſcitur, meminit geſtorum circa ſenſibilia.

Hoc idem, quod ego nunc dico, vos, vt vobis ipſis etiam ſitis contrarij, infrà dicetis: vt enim dicatis contra me, parati eſtis etiam dicere contra vos.

Tertia particula veſtra. Nullum contrarium opponitur habitibus, & ſpeciebus memorabilium, & reminiſcibilium. At Ariſtoteles longè aliter dixit in 2. cap. de longitudine, & breuitate vitæ citato & 1. poſt. 17. nam ſcientiæ ignorantiã prauam cõtrariã eſſe docuit. Immò aſſenſus vnius cõtradictorij cõtrarius eſt aſſenſui alterius contradictorij ex 4. metaph. 9. At ex contrarijs actibus, contrarij habitus generantur, ſi contraria ſunt cauſæ contrariorum. LII.

Falſa eſt igitur propoſitio veſtra, quæ dicit habitum non habere contrarium.

Bifariam verò deſtruuntur formæ, vel per cauſam poſitiuè deſtruentem, ſic ignorantia praua deſtruit ſcientiam, & è contra, ſic virtus vitium. Qualis mutatio de vitio in habitum contrarium ponitur ab Ariſt. poſt prædicamenta in cap. de oppoſitis. Vel 2. per ceſſationem cauſæ influentis, aut conſeruantis; ſic actus videndi, vel intelligendi deſinit eſſe ceſſante influxu actuali in cauſa. Sic ſpecies in ſenſu exteriori ceſſat abſente obiecto, vel ſtatim, vel paulò poſt. Ità quoque obliuio dicitur contraria ſcientiæ: ſicut nanq; ex actibus generatur, & conſeruatur habitus (Meditationes conſeruant memoriam reminiſcendo ex cap. 1. de memoria) ſic per non actum diuturno tempore, habitus amittitur, Sco. in prol. collater. 4. C. ſcientia poteſt obliuio deleri. Exemplum ſit in lumine, lumen recipitur in aere, vel ſpeculo, ſed remoto corpore lucido, ſtatim ſpecies illa, quæ eſt lumen perit. Verùm idem lumen in lapide Caſciarolo recipitur, & aliquanto tempore etiam in tenebris retinetur;

Offenſores conuicti à veritate lib. de ge. car. 236. col. 2. & car. 277. col. 1. accidenſia quæ non habent contrarium corrumpi docent per ceſſationẽ influxus conſeruatiui.

ſed tandem ex abſentia cauſæ conſeruantis tabeſcit. De qua re
Licetus. Licetus inſigne opus compoſuit, de lapide Bononienſi. Præter has formarum deſtructiones alia eſt deſtructio earum per accidens, vt Ariſtoteles paulò ante relatus dixit. Siuè igitur ſpecies intentionales contrarium habeant, ſiuè non habeant, deſtruuntur, vel 1. deſtructione ſubiecti per accidens, vel 2. ceſſatione cauſæ conſeruantis. Habitus verò deſtruuntur, & per ſe, & per accidens, & per poſitionem contrarij, & per negationem conſeruantis. Et in argumento veſtro eſt paralogiſmus conſequentis ab inſufficienti enumeratione cauſarum corruptionis, vel deſitionis.

LIII. Quarta particula veſtra ſimpliciter negatur, tanquam conſequens ad tres particulas antecedentes Ariſtoteli contrarias.

Quinta particula eiuſdem eſt ſaporis. In primo poſt. cap. 1. affert Ariſtoteles ex dialogo Platonis dubitationem Menoni s: ſed reſolutionem Platonis de regreſſu animarum, de reminiſcentia, Ariſtoteles non refert, non refellit, non nominat ſed
met. 48 post. 1. hoc Philoſophus præſtat, vt ſuperius dixi in 1. met. tex. 48. & 49. atque in 2. poſt. 101. & 102. Quibus docet nec reminiſcentiam eſſe in nobis, nec habitus rerum præteritarum.

Colligo in circulatione Ariſtotelica intellectum in corpus aduenientem non deferre ſecum habitus rerum cognitarum, ſiuè dum eſſet ſeparatus à corpore, antequam extrinſecus aduenirer corpus, ſiuè dum eſſet in corpore præcedente; ſed omnino nudum innaſci. Hinc patet qualis fuit veſtra argumentatio Ariſtotelica, contexta ex dictis contra Ariſtotelem.

Defenſio. *Reſpondet Ferchius huic dubitationi ſatisfacere Ariſtotelem 3. de anima 20. dum inquit: Non reminiſcimur autem, quoniam intellectus paſſiuus corruptibilis eſt, & ſinè hoc nihil intelligit. Hæc igitur eſt ratio, cur non reminiſcimur eorum, quæ anima in alio corpore cognouit, quia reminiſcentia, & memoria non ſunt ſine imaginatione: neo intellectus intelligit quidquam eorum, quæ pertinent ad reminiſcentiam ſine imaginatione: cum ergo imaginatio præcedentium hominum corrupta ſit, non meminit eorum in nouo corpore aſſumpto ad informandum.*

V. de Alfon. de Cast. Anv. Arg. cur. 253.

LIV. 57. Defenſio. Referentes ex veſtigat. 6. num. 146. omittitis notationem in

3. de

3. de anima 20. Nota ſubiectum quæſiti, *nos*: nota prædicatum, *reminiſcimur*. Ex parte ſubiecti Ariſtoteles loquitur de ſe & ſuis: hi erant viui, & intellectus coniunctus in eis. Vos explicatis ſubiectum *nos*, id eſt, *homines mortui*, vel *intellectus ſeparatus*. Ex parte prædicati ibidem probo ex 1. de anima 66. reminiſci non intellectui, ſed toti coniuncto conuenire. Hoc omittitis, quia contradicit primæ particulæ offenſionis præcedentis, & explicationi veſtræ ſequenti.

Sed nec Ariſtotelis textus adducitur ad rem, nec ſolutio in ſe ſatiſfacit. Offenſio

Duo facere proponitis, primum inuenio: ſecundum quæſiui, nec inueni. Ad primum ergo. 38. Defenſio

§. 1. *Ariſtoteles enim ibi non mouet dubitationem, cur non reminiſcimur eorum, quæ anima cognouit in alio corpore.* Offenſio

§. 2. *Sed cur ſi intellectus eſt à corpore ſeparabilis, non reminiſcimur poſt mortem eorum, quæ nouit intellectus coniunctus. En inquit, non reminiſci ob defectum imaginatiuæ, quæ ad reminiſcentiam inſeruit.*

In primo §. negatis opinionem meam, in ſecundo affirmatis opinionem veſtram. Si proponere ſatis ſit ad confutandam meam reſponſionem, vel ad comprobandam veſtram aſſertionem: omnes ſcriptores omnia propria dogmata facillè conſtruent, aliena deſtruent. At hoc eſt, vt mihi videtur, petere, non probare. 39. Defenſio.

Explicatis verò tertij de anima textum 20. de homine mortuo, & de intellectu ſeparato. Sed enim Excellentiſſimus Piccolomineus in illum textum, arguit. De intellectu coniuncto verum eſt, ipſum nihil intelligere ſine intellectu paſſiuo corruptibili; de intellectu ſeparato falſum eſt. At Ariſtoteles loquitur de illo intellectu incorruptibili, qui nihil intelligit ſine intellectu paſſiuo corruptibili; ergo non loquitur de intellecto ſeparato, ſed coniuncto. Verùm intellectus ſeparatus eſt hominis mortui, coniunctus viui; loquitur itaq; Ariſtoteles de hominibus viuis, non de mortuis, quando ait, *non reminiſcimur*; quia intellectus immortalis nobis coniunctus nihil intelligit ſine paſſiuo corruptibili, hoc eſt ſine imaginatiua. LV.

Con-

Conceditis autem per intellectum paſſiuum ſignari *imaginatiuam*; non cum Scoto tamen, qui in 4. diſt. 45. quæſt. 1. I. *cogitatiuam* expoſuit.

LVI. Interea prius textum afferamus, poſterius expoſitionem veſtram cum textu comparabimus.

Tertij de anima textus 20. Prior pars textus, quæ ad rem. *Separatus autem ſolùm eſt hoc, quod quidem eſt: & hoc ſolùm eſt immortale, & perpetuum.*

Poſterior pars. *Non reminiſcimur autem; quia hoc quidem impaſſibile eſt, paſſiuus verè intellectus corruptibilis eſt, & ſine hoc nihil intelligit.*

In prima parte ſermo eſt de intellectu ſeparato, cui duæ conditiones tribuuntur, prima eſt *id, quod eſt*, nempè per ſe exiſtens, quæ conditio competit ei ſolùm, poſtquã eſt ſeparatus: ſecundã immortalitas, & æternitas quæ ſemper ei competit.

In ſecunda eſt de toto compoſito humano, atque adeò de intellectu corpori coniuncto. Concluſio quæſita primo proponitur, *Nos non reminiſcimur. Nos* ſumus compoſitum ex corpore humano, & intellectu æterno, noſque vt principium *quod* reminiſcimur. Reminiſci quoque eſt totius communis ex primo de anima 64. & 66. Cauſa quæſiti dicens propter quid, eſt quia ad actum intelligendi requiritur, vt principium quo totale, intellectus impaſſibilis in ratione potentiæ, & intellectus paſſiuus in ratione obiecti, vel offerentis obiectum, vti de phantaſia traditum eſt in 3. de anima 30. 39. & ille intellectus impaſſibilis, atq; incorruptibilis ſine hoc intellectu paſſiuo corruptibili nihil intelligit.

Minor eſt ſubiungenda, ſed intellectum paſſiuum corruptibilem nos non habemus; quæ de intellectu paſſiuo præſentis corporis eſt falſa: de intellectu paſſiuo corrupti corporis, olim coniuncti intellectui impaſſibili, eſt vera. Quapropter intellectus impaſſibilis nihil intelligit illorum præteritorum, atque adeò neque nos reminiſcimur illorum præteritorum.

LVII. Ad comparationem textus cum expoſitione veſtra primo noto, quòd in textu eſt quæſitum, & cauſa quæſiti; quæſitum eſt in prima perſona, & numero plurali, cauſa dicens propter quid

in

in tertia perſona, & numero ſingulari.

Quæſitum eſt de toto compoſito, & corruptibili: cauſa per ſimplicem intellectum, & incorruptibilem, qui ſine corruptibili intellectu nil intelligit.

Secundò, *Ex tertio* de anima 22. veritas in ſecunda operatione intellectus non ſolùm attenditur ex comparatione prædicati ad ſubiectum, ſed etiam ex comparatione ad tempus, præteritum, præſens, futurum. At in quæſito *Reminiſcimur* conſignificat tempus præſens: in cauſa quæſiti, *Intelligit* conſignificat tempus præſens. Igitur Ariſtoteles loquens de ſe, & auditoribus ſuis, loquebatur de hominibus præſentibus, de actibus reminiſcendi, & intelligendi pro tempore præſenti. Quòd autem Ariſtoteles, & auditores eſſent illo tempore mortui, falſum eſt: ergo neque mortuus, neque cum mortuis, neque de morituris loquebatur.

Quia verò actus intelligendi eſt præteritorum, præſentium, futurorum obiectorum, etiam ſi ſit actus præſenti tempore: actus reminiſcendi etiam ſi tempore præſenti menſuretur, ſemper eſt præteritorum obiectorum ex libro de memoria, & reminiſcentia. Pro tempore præſenti Ariſtotelis, & auditorum reminiſcentia non poteſt excogitari, niſi de cognitis in triplici præterito tempore, vel in corpore præſenti: vel ante, dum intellectus æternus erat extra omne corpus: vel in præterito corpore.

De primo præteritorum genere, falsò dixiſſet Ariſtoteles, *non reminiſcimur*; nam hodiè de præſenti *reminiſcimur* præteritorum cognitorum heri, vel priori anno in corpore præſenti.

De ſecundò præteritis non eſt reminiſcentia, quæ de ſolis ſenſatis per ſe eſt, & eſt totius compoſiti ex 1. de anima 64.

De tertio igitur genere præteritorum loquebatur Ariſtoteles: de quibus per experientiam conſtabat & Ariſtoteli, & auditoribus, de præſenti hoc dictum *non reminiſcimur*.

Comparemus tandem primò. Vos facitis conditionalem *ſi intellectus eſt ſeparabilis, cur non reminiſcimur eorum, quæ coniunctus nouit?* Antecedens iſtius conditionalis non eſt in ſecunda parte textus: ideò autem iſtud antecedens iungitis, vt dicta de compoſito exponatis de intellectu ſeparato, & ſimplici. LVIII.

Secun-

Secundò ſubiectum quæſiti eſt *Nos*. Nos poſt mortem non ſumus nos, niſi æquiuocè, ſicut homo mortuus eſt homo æquiuocè. Ergo in ſubiecto concluſionis ſcibilis æquiuocationem ponitis, & implicatis contradictionem, *nos non nos*.

Sco. q. 3. vniuerſ. Tertiò, De ſubiecto ſcibili præſupponitur *quod eſt*, & *quid eſt*. Vos ſupponitis de homine, *quod non eſt*, quia poſt mortem: & quòd non habet *quid* ſcilicet, formam partis, aut totius.

Quartò, Prædicatum quæſiti eſt. *Reminiſcimur*, vitiatis cum addito veſtro *Poſt mortem*.

Quintò, Prædicatum quæſiti *reminiſcimur*, & cauſa quæſiti *intelligit* ſunt de tempore præſenti in Ariſtotele, & auditoribus. Sed quod poſt mortem conſideratur in eis, erat futurum: ergo ſcribendum fuit, *non reminiſcetur*, *nihil intelliget*, quod eſt contra textum.

Sextò, Ariſtoteles in reddenda ratione propter quid, duas habet propoſitiones. Primam, *intellectus æternus eſt impaſsibilis, & intellectus paſsiuus eſt corruptibili*. Secundam. *Intellectus impaſsibilis nihil intelligit ſine intellectu paſsiuo corruptibilis*. Vos reddendo rationem Ariſtotelis, cur *non reminiſcimur*, neutram accipitis Ariſtotelis propoſitionem, quia ſcilicet hæ propoſitiones ſunt de intellectu coniuncto, vos de ſeparato exponitis.

Septimò, Diſtinctionem textus confunditis, nàm in prima particula eſt de intellectu ſeparato à nobis. In ſecunda de toto compoſito, in quo intellectus eſt coniunctus: & omnes propoſitiones in textu ſunt de coniuncto, nullum verbum de ſeparato. Vos de ſeparabili, & ſeparato exponitis ſecundam partem.

Octauò, Reddendo cauſam, cur non reminiſcimur, indicatiuũ conuertitis in modũ infinitiuum, *& inquit non reminiſci*, &c. Videlicet quoniam in indicatiuo eſt certa perſona prima, certus numerus pluralis: infinitiuus hæc non habet. Hoc facitis, vt pronomen *nos* conuertatis in ſeparatum intellectum, qui poſt mortem *non reminiſcitur eorum, quæ nouit coniunctus*. Sic prima perſona in tertiam, multitudo in vnum, compoſitum in ſimplex, corruptibile transfertur in incorruptibile. Ignoſcendum Auerroi, legenti *non reminiſcitur*, & exponenti de intellectu ſeparat. At vobis rectam tranſlationem habentibus, non eſt idem permittendum.

Nonò

Nonò, In textu duo prædicata negantur: in concluſione *non reminiſcimur*: in ratione *nihil intelligit*. Intelligere eſt obiectorum præteriti, præſentis, futuri; reminiſci tantum præteritorum. Arguit Ariſtoteles à negatione generis ad negationem ſpeciei, vel quaſi ſpeciei. A negatione actus in principio *quo* ad negationem actus in principio *quod*; intelligere eſt ipſius intellectus, reminiſci eſt totius hominis. Vos hanc rationem Ariſtotelis non conſideraſtis. LIX.

10. Cum in cauſa quæſiti duo intellectus, impaſſibilis, & paſſiuus afferantur: paſſiuus ſupponitur abeſſe, vt potè corruptus: impaſſibilis non ſupponitur abeſſe, ſed probatur non agere. A mortuo autem vterque intellectus abeſt, igitur de homine mortuo exponere diſſonat.

11. Ex 2. Poſter. 39. Prius cognoſcitur quòd, deinde quæritur propter quid. Ariſtoteles, & auditores viui cognoſcebant de ſe hanc *non reminiſcimur* de præteritis cognitis ab intellectu æterno in nobis exiſtente, & iuſtè quærebant propter quid. De cognoſcendis poſt mortem ſuam, nullam experientiam habebant, ergo malè docebantur propter quid.

12. Poſtulo, an concluſionem *non reminiſcimur* de homine mortuo, an de intellectu ſeparato ab homine mortuo intelligatis.

Si de mortuo, ineptum quæſitum eſt; nemo enim neſcit, quòd mortui non exercent opera vitæ; nemo ignorat, id, quod non eſt, non poſſe agere.

13. Item In ratione Ariſtoteles petit principium, procedens ex ignotioribus. Notior eſt iſta concluſio, *homo mortuus non reminiſcitur*, quàm propoſitio iſta *intellectus impaſſibilis nihil intelligit ſine paſſiuo*. Et quàm illa, *in homine eſt intellectus impaſſibilis, & paſſiuus corruptibilis*.

Si de intellectu ſeparato ſit concluſio, falſificatis concluſionem, nam ſuperius ad num. 49. contenditis, ſpecies, habitus, & actus intelligendi, ac reminiſcendi eſſe in ſeparato intellectu.

14. Falſificatis textum, ſi per vos intellectus ſeparatus nihil intelligat ſine paſſiuo: iam enim erit otioſus in æternum. Quod mortalitatis aſſertores volunt.

15. Inſuper *nos* eſt ſubiectum quæſiti, ſi intellectus ſeparatus intelligitur per *nos*, & intellectus per Ariſtotelem in textu eſt cauſa quæſiti; confunditis ſubiectum, & cauſam. Alia quoque incommoda conſiderabunt accurati Peripatetici. Hæc mihi ſe ſe offerunt.

Offenſio *Quæ Ariſtotelis doctrina præſenti dubitationi applicari minimè poteſt.*

40. Defenſio. Veſtra expoſitio non poteſt applicari, ſed cur Ariſtotelis textus non poteſt.

Offenſio *Nàm difficultas vrget de anima, non in ſtatu ſeparationis, ſed nouo corpori coniuncta, cur non recordetur eorum, quæ nouit in alio corpore.*

LX. 41. Defenſio. Propterea expoſuiſtis textum de anima ſeparata, ne applicaretur. Sed textus eſt de coniuncta. Quamuis vos malè ipſum recordari tribuatis animæ, cum ſit compoſiti.

Itaque formo problema. Si intellectus æternus fuit in homine præterito, & nunc eſt in nobis: nos autem, vt conſtat, non reminiſcimur præteritorũ in alio homine: quæritur propter quid non reminiſcimur?

Reſpondetur, in homine eſt duplex intellectus, alter æternus, qui eſt impaſſibilis: alter paſſiuus, qui eſt corruptibilis. Eaque lex naturæ eſt, vt intellectus impaſſibilis exiſtens in corpore, nihil intelligat ſine intellectu paſſiuo corruptibili: hoc eſt ſinè phantaſia offerente obiecta ex 3. de anima 30. 39. Sed intellectus impaſsibilis, qui fuit in homine præterito, eſt etiam in nobis: intellectus verò paſſiuus hominis præteriti corruptus eſt, nec eſt in nobis. Igitur intellectus impaſſibilis in nobis exiſtens nihil præteriti hominis intelligit. Quando autem intellectus impaſſibilis præterita non intelligit, nos præteritorum nõ reminiſcimur, ergo meritò non reminiſcimur præteritorum in alio homine. En Ariſtotelis doctrinam applicatam.

LXI. Poſſet ratio vniuerſalior formari. Si intellectus impaſſibilis in nobis intelligit præterita in alio homine: hoc eſt cum phantaſia vel præteriti, vel præſentis hominis. Non præteriti, quia corrupta eſt. Non præſentis, quia per ſecundum de anima 161. & de ſomnijs cap. 1. phantaſia eſt motus à ſenſu ſecundum a-

ctum

ctum facto: Sed actus ſenſuum exteriorum præteriti hominis, & motus phantaſiæ præteritæ non ſunt in phantaſia præſenti, quia iſta tunc non erat. ergo phantaſia præſens non habet ſpecies obiecti proximi, & remoti, quæ erant in preterita phantaſia: nec enim migrant de ſubiecto in ſubiectum, ergo non reminiſcemur.

In quo ſtatu ſcilicet in corpore nouo vtique ei imaginatio non deeſt, vt eius miniſterio valeat vti ſpeciebus iam pridem acquiſitis in alio corpore. Offenſio.

Primò ſuppoſitis vnum falſum, nempe quòd intellectus in ſeparatione à corpore conſeruet in ſe ſpecies, & habitus memorabilium cognitorum ante ſeparationem, quod quidem iam ante reprobatum eſt. Scotus quidem in 4. diſt. 45. quæſt. 1. B. aſſerit valdè irrationale eſſe, quòd ſpecies, & ſcientiæ maneant, ità vt eorum actus non poſſint haberi poſt mortem. Atqui ſecundum Ariſtotelem 1. de anima 65. & 66. intellectus ſeparatus non meminit, non reminiſcitur (quod & vos nunc dicitis, intellectum ſcilicet poſt mortem nòn reminiſci, cuius oppoſitum ſuperius dicebatis ad num. 49.) ergo dicendum eſt neque ſpecies, neque habitus ſenſilium prius cognitorum in ſeparato intellectu manere. LXII 42. Defenſio. Scot. 1. de anima 65.

Secundò, affirmatis in corpore nouo imaginationem non deeſſe intellectui, vt eius miniſterio valeat vti ſpeciebus prius acquiſitis in alio corpore, qui eſt error manifeſtus. Siquidem imaginatio, vt potentia eſt non ſufficit ad reminiſci; ſed requiritur phantaſma, & conſideratio actualis ipſius phantaſmatis in imaginatione adhoc, vt intellectus valeat vti ſcientia acquiſita. Siue enim intellectus intelligat quantum, ſiuè non quantum ſemper in imaginatione ab oculos ponit quatũ, ex cap. 1. de memor. quia ſic intenditur ſpecies intelligibilis, & intellectio ex cooperatione phantaſię. At phantaſia noua nõ habet ſpecies veteris. ad reminiſci. ex 1. de memor. Scot. 4. d. 45. q. 1.

Deinde ad memoriam non eſt ſufficiens vna ſpecies, immò requiritur in imaginatione duplex ſpecies memorialis, vna de obiecto proximo præterito, vt de actu videndi, vel audiendi: reliqua de obiecto remoto, vt albi, vel vocis: quæ ſpecies in corpore præcedente erant de cognitis ſenſu, & intellectu: ſed de- LXIII.

CAPVT VI.

Alius textus ex Ferchio ſumptus, & ab Offenſoribus obiectus ſoluitur: atque omnia ab eis obiecta tolluntur authoritate Ariſtotelis.

NAM inquit Ariſtoteles 1. de anima 65. quòd ſi ſenex acciperet oculum iuuenis, videret vt iuuenis; ergo ſi ad operationem ſenſitiuæ, quæ vtique eſt magis organis alligata, quàm intellectiua, ſufficeret aliud organum, dummodo eſſet ei coniunctum, tantò magis in propoſito dicendum eſt de anima rationali, quod imaginatiua corporis, quod nouiter informat, ſufficit ei ad exercendam quancunque operationem ab ea dependentem, quam in alio corpore poterat exercere, nec opus eſſe imaginatiua illius. Offenſi.

Signandus albo lapillo eſſet hic locus, in quo textum Ariſtotelis aliquem contra me producitis; niſi illum emendicaſſetis à à Veſtigat. 6. num. 66. Vnde accipere ſolutionem poteratis, qui accepiſtis inde oppoſitionem. Quia verò textus tres primi de anima, nempè 64. 65. 66. totam molem veſtrarum impugnationum euertit, hunc in locum ipſos adſcribo textus, vt ex illorum conſideratione appareat Ariſtotelis mens, & veſtra mens Ariſtoteli aduerſa. LXV. 44. Defenſio.

Tex. 64. *Dicere autem iraſci animam ſimile eſt, ac ſi quis dicat eam texere, vel ædificare: melius enim fortaſſis eſt non dicere animam miſereri, aut addiſcere, aut cogitare, ſed hominem anima: hoc autem non tanquam motu in illa exiſtente, ſed aliquando quidem vſque ad illam, aliquando quidem ab illa, vt ſenſus quidem ab his: reminiſcentia verò ab illa ad motus, qui ſunt in ſenſuum inſtrumentis, aut quietes.*

Tex. 65. *Intellectus autem videtur innaſci, ſubſtantia quædam exiſtens, & non corrumpi. Maximè enim corrumperetur vtique ab ea, quæ eſt in ſenio debilitate: nunc autem, quemadmodum in ſenſorijs accidit. Si enim acciperet ſenex oculum talem, & videret vtique ſicut & iuuenis. Quapropter ſenium non eſt, quia ſuſtinuit aliquid animæ, ſed id, in quo, ſicut in ebrietatibus, & morbis.*

Tex.

Tex 66. *Ipſum igitur intelligere, & ipſum ſpeculari marceſcit alio quodam interius corrupto, ipſum autem impaſſibile eſt. Cogitare autem, & amare, aut odiſſe non ſunt illius paſsiones, ſed huius habentis illud, ſecundum quod illud habet. Quarè & hoc corrupto neque meminit, neque amat; non enim illius erant, ſed communis, quod quidem deſtructum eſt.*

LXVI. In his textibus Ariſtoteles ponit hanc aſſertionem de principio intellectiuo. Intellectus, ſeu intellectiuum eſt ſubſtantia quædam exiſtens, & non naſcitur, ſed innaſcitur in corpore, quando ſcilicet ad corpus accedit; & item intellectiuum non corrumpitur, quando à corpore recedit; conſequens eſt quod intellectiuum eſt ſubſtantia præexiſtens ante corpus, & poſt corpus exiſtens, quæ nec naſcitur cum corpore, ſed inducitur in corpus: neque corrumpitur cum corpore, ſed ex corpore incolumis educitur.

Corollarium contra vos. Ariſtoteles ponit principium intellectiuum eſſe æternum, incorruptibile, immortale. Vos autē Ariſtoteli oppoſitum attribuitis, & ad hoc dicitis, vos potiores habere authoritates.

Secundò, Ariſtoteles probans intellectum eſſe incorruptibile, recurrit ad exemplum in ſenſitiua anima; nam ſi ſenſitiua oculo ſenis abiecto, oculum iuuenis acciperet, videret vtiq; vt iuuenis. Sic anima intellectiua, ſi abiecerit corpus ſenile, & migrauerit in corpus nouum iuuenile, intelliget vtiq; vt in priori corpore iuuene. Et paſſio iuuentutis, ſenectutis, corruptionis, generationis erit in ſubiecto corpore *in quo*, non erit in ipſo intellectiuo. Hoc dictum ex hypotheſi eſt in parte ſenſitiua: abſolutè aſſertum eſt in parte intellectiua, quoniam ſenſitiua corrumpitur per accidens ad corruptionem corporis, eò quòd non poteſt operari ſine corpore, intellectiua eſt ſimpliciter ſeparabilis, quia poteſt operari ſine corpore, & ex conſequenti poteſt eſſe ſine corpore.

Corollarium contra vos. Ariſtoteles in hoc textu 65. ponit migrationem intellectiui de corpore priore, quod corrumpitur, in corpus nouum, quod generatur eiuſdem ſpeciei tamen; ſicuti ſi migraret ſenſitiua de oculo humano in oculum humanū.

Vos

Vos dicebatis, hanc migrationem ab Ariſtotele poſitam in corpora eiuſdem ſpeciei eſſe fabulam Pythagoricam.

Tertiò. Ariſtoteles aſſerit ſenſitiuam poſſe videre in oculo iuuenis, ſicut videbat in oculo præcedente ſenis, quando ille præcedens erat iuuenis. At non dicit in migratione ſenſitiuæ de oculo in oculum migrare eaſdem ſpecies prius manentes in oculo ſenis; erit ergo viſio eiuſdem rationis in oculo præcedente, & ſequente, ſed non erit per eaſdem ſpecies repræſentantes, vel obiecta viſa, vel viſiones oculi ſeneſcentis; quoniam vt habemus ante prædicamenta, accidens non poteſt eſſe ſine eo, *in quo* eſt. Vos autem volebatis, quòd non ſolum eædem eſſent operationes, ſed etiam eorumdem obiectorum, ſcilicet proximi, & remoti. At Ariſtoteles oppoſitum dicit, abiecto corpore habente, intellectum non reminiſci, non meminiſſe. Quarè phantaſia præcedens eſt neceſſaria ad meminiſſe præteritorũ in corpore corrupto, & ſequens non ſufficit. LXVII *De ſomniis cap. 2* *Ante prædicam.*

Ex iſtis textibus, breuiter percurrens obiectiones veſtras, oſtendo cuncta ſolui.

Primò proponebatis, non probabatis tamen, me, cogi admittere circulationem naturaliter ad eadem corpora. LXVIII

Reſpondeo, ſenſitiua migrat de oculo ſenis in alium oculum iuuenis ſecundum Ariſtotelem. Hoc eſt intellectiuum de corpore ſeneſcente, quod corrumpitur, migrat, non in idem, ſed in aliud corpus, quod naſcitur.

Secundò proponebatis contra circulationem in quoduis corpus, ſiuè eiuſdem, ſiuè alterius ſpeciei.

Reſpondeo: hoc eſt contra textum 65. in quo ponitur circulatio de oculo in oculum hominis, hoc eſt de corpore hominis in corpus hominis.

Tertiò, ex Auguſtino dicebatis tolli beatitudinem veram, vt ſi anima credit ſe non regreſſuram, fallitur, nec eſt beata; ſi credit ſe regreſſuram timet, & amiſſionem bonorum, quæ habet, & incurſum malorum, quæ imminent, nec eſt beata. LXIX.

Reſpondeo Ariſtoteles ait, quòd intellectus, corrupto corpore, non meminit, non reminiſcitur, non amat, non odit. Spes eſt amor futuri boni, timor eſt odium futuri mali. Sed ex Ariſtotele

riſtotele iſta non ſunt in anima ſeparata, & argumentum ſupponit falſum, quòd hæc poſſint eſſe in ea, dum ſeparata eſt. Similiter quòd aliquod ſenſibile poſſit cognoſci ab anima, dum eſt à ſenſu abiuncta, quod etiam eſt falſum apud Ariſt. Anima igitur ſeparata proculdubio ſeipſam intelligit, fortè & ſuperiora entia: inferiora minimè; ſed naturali neceſſitate, recurrente ſuæ circulationis ordine, ſine prænotione futuri ſtatus iungitur corpori: & huc Sueſſanus aſpexit in 5. phyſ. ad tex. 38.

LXX. Proponebatis quartò, ſuppoſita æternitate mundi candidiores Philoſophos defendere immortalitatem intellectus humani cum perpetua beatitudine de poſſibili, at circulatio id non defendit.

Reſpondeo, me neque candidiorem, neque candidum philoſophum appellari. Nam ſi ità me nuncupem, quot quæſo turbas commoueretis vſque ad cælos, vſque ad abyſſos: qui propter ingentem apparatum duorum verborum *ignotam peregrinitatem*, quinque columnas conſumpſiſtis? Itaque ego non candidus, dico, quòd Ariſtoteles non candidus dixit: nempè intellectum non corrumpi; ſed de corpore ſenili in corpus iuuenile tranſire, ſicut ſenſitiua ſi de oculo in oculum tranſiret.

Proponebatis quintò nil referre, quòd anima ſit mortalis, & quod ſit immortalis cum regreſſu.

Reſpondeo, nil veſtra referre. Sed ad Ariſtotelis mentem multum referre, qui iudicat melius eſſe intellectum non corrumpi; ſed ad corruptionem corporis *in quo* migrare, veluti de oculo in oculum.

Sextò proponebatis hanc immortalitatem eſſe exilem, & ſer-
LXXI. uilem, quia cum debito regrediendi.

Reſpondeo, me nec magnam, nec paruam dare immortalitatem: ſed talem, ac tantam in Veſtigationibus Peripateticis datam: ſed talem, ac tantam in Veſtigationibus Peripateticis da-re debuiſſe, qualem, & quantam Peripateticorum Princeps dedit, ſcilicet immortalitatem cum migratione de corpore, quod corrumpitur, in corpus nouum, quod generatur.

LXXII. Septimo proponebatis, me deſtruere alium animæ ſtatum, in quo recipiat præmia, & pœnas.

Reſpondeo, vos, qui animam mortalem vultis, aufertis alium

ſtatum.

ſtatum. Ego alium ſtatum do cum Ariſtotele, in quo ſtatu anima intellectiua non meminit, vel reminiſcitur, non amat, vel odit. Igitur non meminit meritorum, vel demeritorum: ſed anima iuſta, contemplatione Dei, vt primi intelligibilis, & amabilis: atque ſui, vt intelligentis, & amantis metaphyſicè felicitate ſpeculatiua fruitur. Neque conſiderat, vel conſiderare ſimul poteſt inferiores anguſtias, vel delicias ſenſibiles, ſeù præteritas, ſeù futuras, imò tota fertur in pulcherrimum animæ terminum. Abſoluta periodo ſua, corpori iungitur, deſinente ſtatu ſeparationis, incipiente ſtatu coniunctionis. Cæteras conditiones, vel affectiones felicitatis, aut miſeriæ, quoniam Ariſtoteles cum ratione naturaliter cognoſcibili non potuit dicere, cum ratione tacuit.

Octauo proponebatis, quòd immortalitas cum circulatione eſt fabuloſior, quàm mortalitas.

Reſpondeo Ariſtoteles ità fabulatur. Quid facerem: niſi dicere, quod Ariſtoteles dicit, dum Ariſtotelis mentem veſtigo?

Nono proponitis, vos habere plura teſtimonia pro mortalitate, quàm pro circulatione.

Reſpondeo, hic vnus locus, quem nunc tractamus, eſt & pro Immortalitate, & pro circulatione. Alia loca ſuppetunt; ſed non eſt ad rem nunc illa proferre, partim allata ſunt ab Excellentiſſimo Cottunio loco ſuperius citato, partim in mea Veſtigatione. Vos plura promittitis pro mortalitate, ſed communiter promiſſa non impletis; vnde vobis non credo.

10. Proponebatis, nullibi Ariſtoteles circulationem approbauit. LXXIII

Reſpondeo hoc dictum eſt ab authoritate negatiuè, nempè eſt fallacia conſequentis. Sed tamen hic locus primi de anima approbat migrationem de oculo in oculum, hoc eſt de corpore in corpus.

11. Proponitis, ſequi reminiſcentiam præcognitorum in alio corpore.

Reſpondeo in loco propoſito primi de anima negari conſequentiam; nam memoria & reminiſcentia ſunt ipſius communis, quòd corruptum eſt. Ergo & ſpecies memoriales in eo exi-

ſtentes, vel per ſe, vel per accidens, corrumpuntur. Impoſſibile autem eſt corruptum reparari: quarè & impoſſibile eſt reminiſci.

12. Proponebatis intellectum poſt ſeparationem retinere ſpecies, & habitus rerum pertinentium ad memoriam, & reminiſcentiam.

Reſpondeo, locus citatus primi de anima retundit omnes conatus veſtros. Motus enim memoriæ, & reminiſcentiæ textu 64. non ſunt in illa; ſed ab illa, vel ad illam.

Hæc hactenus. Ex quibus patet vos contra Ariſtotelem dicere, quod phantaſia noua ſufficeret intellectui ad memoriam, & reminiſcentiam cognitorum ab eodem intellectu cum phantaſia veteri corrupta: immò & patet, hunc textum à vobis productum (ex me tamen furtò ſublatum) contra vos egregiè pugnare, & pro me ſtare.

CAPVT VII.

Offenſores argumentum à Ferchio emendicant, & opponunt ſolutionibus, quorum oppoſitiones reſoluuntur.

Offenſio LXXIV. *INſuper vt ipſe ibidem contra ſe vrget.*

45. Defenſio Duo propoſuiſtis facere contra me. Primum erat oſtendere, quòd *textus à me citatus non fuerit ad rem*. Hoc feciſtis hucuſque proponendo propoſitiones, quæ in tex. allato non erant; quarè hoc feciſtis non probando. Secundum erat oſtendere, *quòd mea ſolutio in ſe non ſatisfacit*. Hoc ſecundum expectabo, vt alio aliquo in libro faciatis: nam in hoc non feciſtis.

Offenſio *Inſuper vt ipſe ibidem contra ſe vrget, quòd hac ratio ſufficiens ſit pro obliuione geſtarum in alio corpore; quarè in nouo corpore aſſumpto non recordamur geſtorum ſaltem extra corpus in præterito ſtatu ſeparationis.*

46. Defenſio. Refertis dubitationem meam, non veſtram. Sic opulentos libros facitis ex aliorum inuentis, non ex veſtris. Sed locus citatus primi de anima 66. ſoluit & hoc dubium. Quia reminiſci, & meminiſſe ſunt operationes, vel paſſiones compoſiti habentis

bentis intellectum: non ſunt operationes, vel paſſiones ipſius intellectus. At intellectus ſeparatus in præterito ſtatu ſeparationis non eſt ipſum compoſitum ex corpore, & anima intellectiua, ergo non habet operationes vllas, quæ ſint reminiſci, vel meminiſſe, neque vllæ ſpecies repræſentatrices actuum intellectus ſeparati recipiuntur in phantaſia compoſiti noui, vel in compoſito nouo. Igitur neque compoſitum poteſt reminiſci, *vt quod*; neque intellectus, *vt quo* geſtorum in ſtatu ſeparationis.

Reſpondet (Ferchius) *quoniam intellectus poſſibilis innaſcitur in corpore ſicut tabula, in qua nihil eſt depictum* 3. *de anima* 14. Offenſio

Tres ibidem rationes attuli confirmantes reſponſionem. Ne autem Lectoris memoria confundatur, ſingillatim referam oppoſita à vobis. Adverſum omnes ita ſcribitis in communi, vt ad primam in particulari oppoſitum dirigatur. 47. Defenſio.

At nec rurſus textus facit ad rem, nec ſolutio vim difficultatis eneruat; ſed potius confirmat. Nam Ariſtoteles ibi ideò dixit intellectum poſſibilem ideò innaſci ſicut tabula, in qua nihil eſt depictum, quia ſupponebat tunc primo innaſci, & fieri; non autem, quod præcederet in alio ſtatu; nam ſi hoc ſuppoſuiſſet, ſanè non dixiſſet antecedere omni ſpecie nudum. Offenſio

Ariſtoteles de nuditate loquitur in tex. *Oportet autem ſic, vt in tabula, in qua nihil eſt ſcriptum actu, quod quidem accidit in intellectu.* De nuditate ab omni ſpecie inexiſtente in intellectu textum attuli: & textus hoc dicit. De innaſci vel primò, vel ſecũdò, vel decimò, nihil in textu Ariſtotelis: componitis textus nouos, & putatis me decipere? LXXV. 48. Defenſio.

Secundò, ſcribitis, *quia Ariſtoteles* ſupponebat tunc primò innaſci, & fieri. Quomodo probatis hoc ab Ariſtotele ibi fuiſſe ſuppoſitum? Verba ne datis, an oracula funditis? Et audetis dicere textum non eſſe ad rem? Ad rem eſt de nuditate ab omni ſpecie. Ad rem non eſt de veſtris ſuppoſitionibus.

Tertiò, fieri intellectum tunc primò eſt ſimpliciter falſum in Ariſtotele, & à me notatum Veſtigatione 6. à num. 146. & probatum ex 2. de generatione animalium cap. 3. quòd ſolus intellectus eſt ante corpus, & extrinſecus accedit. Sic in 1. de anima 65. *Intellectus innaſci videtur ſubſtantia quadam exiſtens, & non* 2. de gen. animal. 1. anima 65.

ſtentes, vel per ſe, v...
autem eſt corruptum...
niſci.

12. Proponebatis i...
cies, & habitus rerum...
ſcentiam.

Reſpondeo, locus cit...
natus veſtros. Motus e...
64. non ſunt in illa; ſed...

Hæc hactenus. Ex q...
cere, quod phantaſia nou...
& reminiſcentiam cognit...
taſia veteri corrupta: imm...
ductum (ex me tamen fu...
pugnare, & pro me ſtare.

...bens ante corpus: & non
...ur: & poſtea in cor-
...maſtico. *Ration-*
...*ſecundum na-*
...dum naturam:
...nouum?
...poſt com-
...quod eſt
...Quam
43.

CAP...

Offenſores argumentum à ...
ſolutionibus, quorum ...

Offenſio LXXIV. INſuper vt ipſe ibidem contra ...

45. Defenſio. Duo propoſuiſtis facere con...
quòd *textus à me citatus non fuert...*
proponendo propoſitiones, quæ ...
hoc feciſtis non probando. Se...
mea ſolutio in ſe non ſatisfacit. Ho...
lio aliquo in libro faciatis: nam in...

Offenſio *Inſuper vt ipſe ibidem contra ſe v...*
ſit pro obliuione geſtorum in alio corpor...
pto non recordamur geſtorum ſaltem e...
ſeparationis.

46. Defenſio. Refertis dubitationem meam, no...
libros facitis ex aliorum inue... nor...
tatus primi de anima 66. ſo...
ſci, & meminiſſe ſunt opera...

iuerſalis, & ſcientifica. Quamis accedit ad aliquod corpus, il eſt ſcriptum: ergo quando demonſtrato, & ſi tunc primò eſt veluti tabula non ſcripta. dò, vel tertiò accedat ad corla, id probare debetis. For-

teria quippè non recipit formam Offenſio
uda accedat ad nudam. Ità in-
atur ab accidentibus oppoſiti ſta-

tionem detraxiſtis parentheſim 49. Denſio.
ion ſine cauſa.
uthor ex proportione formæ ad mate- Offenſio
denudari debet veteribus formis, vt
onebantur noua, & eius acceſſum impe-
r anima debeat pariter exuere ſpecies,
arationis habebat, quia hæc accidentia
onem cum corpore.
tis. Formas veteres opponi nouæ 50. Denſio.
ur: ſed in ſubordinatis falsò dicitur; adiunxi, vos omiſiſtis. Sed materia formis, vt nouas induat: ſed etiã s ad formas veteres exuitur, vt mas, licet in his accidentibus non ſit formæ opponantur, aliàs excuſ-

nis, dixi accidentia oppoſitorum LXXvij
atu ſeparationis, & in ſtatu conſita, ſe inuicem impediunt. Vos niunctionem animæ pridem ſeonuntur hæc accidentia. Nonrecedentia, comitantia, vel cõanimã ſeparatã habere habitus, Ariſtotelem, vt ſupra diximus?
Oppoſi-

riſtotele iſta non ſunt in anima ſeparata, & argumentum ſuppo-
nit falſum, quòd hæc poſſint eſſe in ea, dum ſeparata eſt. Simi-
liter quòd aliquod ſenſibile poſſit cognoſci ab anima, dum eſt à
ſenſu abiuncta, quod etiam eſt falſum apud Ariſt. Anima igi-
tur ſeparata proculdubio ſeipſam intelligit, fortè & ſuperiora
entia: inferiora minimè; ſed naturali neceſſitate, recurrente ſuæ
circulationis ordine, ſine prænotione futuri ſtatus iungitur cor-
pori: & huc Sueſſanus aſpexit in 5. phyſ. ad tex. 38.

LXX. Proponebatis quartò, ſuppoſita æternitate mundi candidio-
res Philoſophos defendere immortalitatem intellectus humani
cum perpetua beatitudine de poſſibili, at circulatio id non de-
fendit.

Reſpondeo, me neque candidiorem, neque candidum philo-
ſophum appellari. Nam ſi ità me nuncupem, quot quæſo tur-
bas commoueretis vſque ad cælos, vſque ad abyſſos: qui pro-
pter ingentem apparatum duorum verborum *ignotam peregrini-
tatem*, quinque columnas conſumpſiſtis? Itaque ego non can-
didus, dico, quòd Ariſtoteles non candidus dixit: nempè in-
tellectum non corrumpi; ſed de corpore ſenili in corpus iuueni-
le tranſire, ſicut ſenſitiua ſi de oculo in oculum tranſiret.

Proponebatis quintò nil referre, quòd anima ſit mortalis, &
quod ſit immortalis cum regreſſu.

Reſpondeo, nil veſtra referre. Sed ad Ariſtotelis mentem
multum referre, qui iudicat melius eſſe intellectum non cor-
rumpi; ſed ad corruptionem corporis *in quo* migrare, veluti de
oculo in oculum.

LXXI. Sextò proponebatis hanc immortalitatem eſſe exilem, & ſer-
uilem, quia cum debito regrediendi.

Reſpondeo, me nec magnam, nec paruam dare immortali-
tatem: ſed talem, ac tantam in Veſtigationibus Peripateticis da-
re debuiſſe, qualem, & quantam Peripateticorum Princeps de-
dit, ſcilicet immortalitatem cum migratione de corpore, quod
corrumpitur, in corpus nouum, quod generatur.

LXXII. Septimo proponebatis, me deſtruere alium animæ ſtatum, in
quo recipiat præmia, & pœnas.

Reſpondeo, vos, qui animam mortalem vultis, aufertis alium
ſtatum.

ſtatum. Ego alium ſtatum do cum Ariſtotele, in quo ſtatu anima intellectiua non meminit, vel reminiſcitur, non amat, vel odit. Igitur non meminit meritorum, vel demeritorum: ſed anima iuſta, contemplatione Dei, vt primi intelligibilis, & amabilis: atque ſui, vt intelligentis, & amantis metaphyſicè felicitate ſpeculatiua fruitur. Neque conſiderat, vel conſiderare ſimul poteſt inferiores anguſtias, vel delicias ſenſibiles, ſeù præteritas, ſeù futuras, imò tota fertur in pulcherrimum animæ terminum. Abſoluta periodo ſua, corpori iungitur, deſinente ſtatu ſeparationis, incipiente ſtatu coniunctionis. Cæteras conditiones, vel affectiones felicitatis, aut miſeriæ, quoniam Ariſtoteles cum ratione naturaliter cognoſcibili non potuit dicere, cum ratione tacuit.

Octauo proponebatis, quòd immortalitas cum circulatione eſt fabuloſior, quàm mortalitas.

Reſpondeo Ariſtoteles ità fabulatur. Quid facerem: niſi dicere, quod Ariſtoteles dicit, dum Ariſtotelis mentem veſtigo?

Nono proponitis, vos habere plura teſtimonia pro mortalitate, quàm pro circulatione.

Reſpondeo, hic vnus locus, quem nunc tractamus, eſt & pro Immortalitate, & pro circulatione. Alia loca ſuppetunt; ſed non eſt ad rem nunc illa proferre, partim allata ſunt ab Excellentiſſimo Cottunio loco ſuperius citato, partim in mea Veſtigatione. Vos plura promittitis pro mortalitate, ſed communiter promiſſa non impletis; vnde vobis non credo.

10. Proponebatis, nullibi Ariſtoteles circulationem approbauit. LXXIII

Reſpondeo hoc dictum eſt ab authoritate negatiuè, nempè eſt fallacia conſequentis. Sed tamen hic locus primi de anima approbat migrationem de oculo in oculum, hoc eſt de corpore in corpus.

11. Proponitis, ſequi reminiſcentiam præcognitorum in alio corpore.

Reſpondeo in loco propoſito primi de anima negari conſequentiam; nam memoria & reminiſcentia ſunt ipſius communis, quòd corruptum eſt. Ergo & ſpecies memoriales in eo exi-

ſtentes, vel per ſe, vel per accidens, corrumpuntur. Impoſſibile autem eſt corruptum reparari: quarè & impoſſibile eſt reminiſci.

12. Proponebatis intellectum poſt ſeparationem retinere ſpecies, & habitus rerum pertinentium ad memoriam, & reminiſcentiam.

Reſpondeo, locus citatus primi de anima retundit omnes conatus veſtros. Motus enim memoriæ, & reminiſcentiæ textu 64. non ſunt in illa; ſed ab illa, vel ad illam.

Hæc hactenus. Ex quibus patet vos contra Ariſtotelem dicere, quod phantaſia noua ſufficeret intellectui ad memoriam, & reminiſcentiam cognitorum ab eodem intellectu cum phantaſia veteri corrupta: immò & patet, hunc textum à vobis productum (ex me tamen furtò ſublatum) contra vos egregiè pugnare, & pro me ſtare.

CAPVT VII.

Offenſores argumentum à Ferchio emendicant, & opponunt ſolutionibus, quorum oppoſitiones reſoluuntur.

Offenſio LXXIV. *INſuper vt ipſe ibidem contra ſe vrget.*

45. Defenſio Duo propoſuiſtis facere contra me. Primum erat oſtendere, quòd *textus à me citatus non fuerit ad rem*. Hoc feciſtis hucuſq; proponendo propoſitiones, quæ in tex. allato non erant; quarè hoc feciſtis non probando. Secundum erat oſtendere, *quòd mea ſolutio in ſe non ſatisfacit*. Hoc ſecundum expectabo, vt alio aliquo in libro faciatis: nam in hoc non feciſtis.

Offenſio *Inſuper vt ipſe ibidem contra ſe vrget, quòd hæc ratio ſufficiens ſit pro obliuione geſtorum in alio corpore; quarè in nouo corpore aſſumpto non recordamur geſtorum ſaltem extra corpus in prætexto ſtatu ſeparationis.*

46. Defenſio. Refertis dubitationem meam, non veſtram. Sic opulentos libros facitis ex aliorum inuentis, non ex veſtris. Sed locus citatus primi de anima 66. ſoluit & hoc dubium. Quia reminiſci, & meminiſſe ſunt operationes, vel paſſiones compoſiti habentis

bentis intellectum: non ſunt operationes, vel paſſiones ipſius intellectus. At intellectus ſeparatus in præterito ſtatu ſeparationis non eſt ipſum compoſitum ex corpore, & anima intellectiua, ergo non habet operationes vllas, quæ ſint reminiſci, vel meminiſſe, neque vllæ ſpecies repræſentatrices actuum intellectus ſeparati recipiuntur in phantaſia compoſiti noui, vel in compoſito nouo. Igitur neque compoſitum poteſt reminiſci, *vt quod*; neque intellectus, *vt quo* geſtorum in ſtatu ſeparationis.

Reſpondet (Ferchius) *quoniam intellectus poſſibilis innaſcitur in corpore ſicut tabula, in qua nihil eſt depictum* 3. *de anima* 14. Offenſio

Tres ibidem rationes attuli confirmantes reſponſionem. Ne autem Lectoris memoria confundatur, ſingillatim referam oppoſita à vobis. Adverſum omnes ita ſcribitis in communi, vt ad primam in particulari oppoſitum dirigatur. 47. Defenſio.

At nec rurſus textus facit ad rem, nec ſolutio vim difficultatis eneruat; ſed potius confirmat. Nam Ariſtoteles ibi ideò dixit intellectum poſſibilem ideò innaſci ſicut tabula, in qua nihil eſt depictum, quia ſupponebat tunc primo innaſci, & fieri: non autem, quod præcederet in alio ſtatu; nam ſi hoc ſuppoſuiſſet, ſanè non dixiſſet antecedere omni ſpecie nudum. Offenſio

Ariſtoteles de nuditate loquitur in tex. *Oportet autem ſic, vt in tabula, in qua nihil eſt ſcriptum actu, quod quidem accidit in intellectu.* De nuditate ab omni ſpecie inexiſtente in intellectu textum attuli: & textus hoc dicit. De innaſci vel primò, vel ſecũdò, vel decimò, nihil in textu Ariſtotelis: componitis textus nouos, & putatis me decipere? LXXV. 48. Defenſio.

Secundò, ſcribitis, *quia Ariſtoteles* ſupponebat tunc primò innaſci, & fieri. Quomodo probatis hoc ab Ariſtotele ibi fuiſſe ſuppoſitum? Verba ne datis, an oracula funditis? Et audetis dicere textum non eſſe ad rem? Ad rem eſt de nuditate ab omni ſpecie. Ad rem non eſt de veſtris ſuppoſitionibus.

Tertiò, fieri intellectum tunc primò eſt ſimpliciter falſum in Ariſtotele, & à me notatum Veſtigatione 6. à num. 146. & probatum ex 2. de generatione animalium cap. 3. quòd ſolus intellectus eſt ante corpus, & extrinſecus accedit. Sic in 1. de anima 65. *Intellectus innaſci videtur ſubſtantia quadam exiſtens, & non* 2. de gen. animal. 1. anima 65.

corrumpi: eſt ergo ſubſtantia quædam exiſtens ante corpus: & non naſcitur cum corpore, ſed tantùm innaſcitur: & poſtea in corruptione corporis non corrumpitur.

Rurſus in 1. de anima 82. de intellectu animaſtico. *Rationabiliſsimum enim eſſe hunc antiquiſsimum, & dominum ſecundum naturam.* Si antiquiſsimus, & elementis prior ſecundum naturam: qui fieri poteſt, vt fiat, quando innaſcitur in corpus nouum?

LXXVI. 12. *met.* 17. Item ex 12. metaph. 17. anima, quæ eſt intellectus poſt compoſitum permanet; ſed ex Ariſtotele in primo de cælo, quod eſt incorruptibile à parte poſt, eſt ingenerabile à parte ante. Quam propoſitionem ſi negatis, delete eam ex Scoto in 4. diſt. 43. quæſt. 2. H. ſcribente. *Scot.* *Præterea principium videtur apud eum* (Ariſtotelem) *quod incipit eſſe, deſinit eſſe. Vnde in primo de cælo contra Platonem videtur habere pro incompoſsibili, quòd aliquid inceperit, & ſit æternum.*

3. *de anima* 20. Et in tertio de anima 20. de intellectu ſcribitur *Separatus autem ſolùm eſt id, quod eſt, & hoc ſolum eſt immortale, & perpetuum.* Sed in græco, loco vocis *perpetuum* eſt vox *æternum*. Quæ vox abſolutè prolata ſignificat id, quod nec incipit à parte ante, nec deſinit à parte poſt. Omninò igitur eſt contra Ariſtotelis ſententiam (ſuppoſita æternitate motus) quòd intellectus tunc primò fiat, vel tunc primò innaſcatur. Neque hoc in vllo ex textibus à me citatis Ariſtoteles dixit, neque vos vllum textum citatis. Sed falsò ſupponitis eſſe in textu, quod in textu non eſt. Supponentes dicta veſtra pro Ariſtotelicis, omnia probabitis ad votum, immò verius nulla.

Quartò, falsò additis Ariſtotelem non ſupponere, quòd intellectus præcederet in alio ſtatu. Sed hoc quoque proponitis, non probatis. Agnoſco tamen artificium veſtrum. Sterniitis vobis viam ad mortalitatem animorum; nam ſi ante corpus non fuit, ergo nec poſt corpus erit, accepta maiore Scoti, *quod incipit eſſe, deſinit eſſe.*

LXXVII Quinto ſubdidiſtis. *Nam ſi hoc ſuppoſuiſſet, ſanè non dixiſſet accedere omni ſpecie nudum.* Hic vaticinia canitis: ſecreta mentis Ariſtotelicæ diuinatis; principium pro more petitis, nullo ex Ariſtotelis textu probantes; ergo eſtis maximi proponentes, minimi probantes.

Sed

Sed Ariſtotelis doctrina eſt vniuerſalis,& ſcientifica. Quamobrem quotieſcunque intellectus accedit ad aliquod corpus, accedit, veluti tabula, in qua nihil eſt ſcriptum: ergo quando innaſcitur in hoc corpore, quouis demonſtrato, & ſi tunc primò non innaſcitur in corpore, adhuc eſt veluti tabula non ſcripta. Si autem contenditis,quòd ſi ſecundò,vel tertiò accedat ad corpus, tunc non ſit veluti tabula nuda, id probare debetis. Fortaſſe probabitis aliàs.

Et iure ex proportione materiæ, materia quippè non recipit formam nouam, niſi veteribus abiectis, vt nuda accedat ad nudam. Ità intellectus acceſſurus ad corpus denudatur ab accidentibus oppoſiti ſtatus, ſcilicet ſeparationis. Offenſio.

In referendo hanc meam rationem detraxiſtis parentheſim (ſaltem in formis diſparatis) non ſine cauſa. 49. Defenſio.

Nec ratio, quam adducit hic author ex proportione formæ ad materiam conuincit, materia enim denudari debet veteribus formis, vt nouam ſuſcipiat, quia illæ opponebantur nouæ, & eius acceſſum impediebant. At non videtur, cur anima debeat pariter exuere ſpecies, vel habitus, quos in ſtatu ſeparationis habebat, quia hæc accidentia non impediunt eius coniunctionem cum corpore. Offenſio.

Reſpondetis, non probatis. Formas veteres opponi nouæ formæ diſparatæ rectè dicitur: ſed in ſubordinatis falsò dicitur; propterea ego limitationem adiunxi, vos omiſiſtis. Sed materia non ſolùm veteribus exuitur formis, vt nouas induat: ſed etiã conſequentibus accidentibus ad formas veteres exuitur, vt magnitudine, & figura, & alijs, licet in his accidentibus non ſit oppoſitio. Quomodo autem formæ opponantur, aliàs excuſſum eſt. 50. Defenſio.

In ſecunda parte meæ rationis, dixi accidentia oppoſitorum ſtatuum eſſe illa, quæ ſunt in ſtatu ſeparationis, & in ſtatu coniunctionis. Si autem ſunt oppoſita, ſe inuicem impediunt. Vos dicitis, quòd non impediunt coniunctionem animæ pridem ſeparatæ, atq; ideò quòd non opponuntur hæc accidentia. Nonne petitis principiũ? Satis eſt ſi antecedentia,comitantia, vel cõſequentia impediant. Supponitis animã ſeparatã habere habitus, & ſpecies: nonne & hoc eſt cõtra Ariſtotelem,vt ſupra diximus? LXXVIII

Oppoſi-

2. gener. 56. Oppoſitorum oppoſitæ ſunt cauſæ, & è contrà; ſed ſtatus ſeparationis, & ſtatus coniunctionis ſunt oppoſiti, vt patet ex terminis, ergo oppoſitos effectus gignunt in intellectu. Intellectus coniunctus eſt alligatus ſenſibus in recipiendis obiectis, & obiectorum cognitione, nec poteſt habere obiecta ſoluta à ſenſibus niſi fruſtrà, & incompoſſibilia. Separatus eſt ſolutus à ſenſibus, & ſenſilibus, & à ſenſibus nihil poteſt recipere.

Offenſio. *Ratio quoque ſtatus coniunctionis* (ſubdit) *hoc exigit, ſcilicet propter ordinem potentiarum cognitiuarum in agendo, ſicut in eſſendo; in eſſendo materia eſt propter formam, corpus propter animam: in agendo actio corporis eſt propter actionem animæ, & actio formæ ſenſitiuæ propter actionem formæ intellectiuæ. Hæc cum ità ſint, neceſſarium eſt intellectiones, & habitus animæ ſeparatæ in iterata coniunctione deleri, ne anima occupata circa obiecta ſecum aduecta, naturalem famulatum reſpueret.*

51. Defenſio. Agnoſco hanc rationem meam tertiam eſſe. Quid ad hanc vel reſpondetis, vel obijcitis?

Offenſio *Alia tandem ratio ex ſtatu coniunctionis deducta, potius nobis fauet, ſi namq; actio corporis eſt propter actionem animæ, & actio animæ ſenſitiuæ propter actionem animæ intellectiuæ. Quomodo hinc deducit, intellectiones, & habitus animæ ſeparatæ in iterata coniunctione deleri, ne anima occupata circa obiecta ſecum aducta naturalem famulatum reſpuat?*

LXXIX Dicitis, quòd hęc ratio mea vobis fauet; ſed non oſtenditis,
52. Defenſio. in quo faueat.

An fortè, quia non poteſtis probare ex ratione mea quicquam ſequi pro vobis: à parte arguentis fugitis ad partem reſpondentis: poſtulantes, vt ego probem cōſequentiam à me propoſitam? Hic mos eſt vobis frequens, & in propoſito etiam obſeruatus. Nam interrogatio veſtra talis eſt de me, *quomodo hinc deducit intellectiones, & habitus animæ ſeparatæ in iterata intellectione deleri &c.* Interrogatis ergo probationem à me, nihil probatis.

1. Probationes dedi, & dabo clarius. Natura neque redun-
3. anima 45. dat in ſuperfluis, neque deficit in neceſſarijs. Si anima coniuncta intelligat obiecta, & habitus ſpectantes ad ſtatum ſeparationis, iam impeditur ab intellectione obiectorum pertinentium

ad

ad ſtatum coniunctionis: 2. Topic. loc. 33. non contingit ſimul plura cogitare. Ergo ſuperfluum eſt ſecum aduehere obiecta ſeparationis: nam hoc eſt aduehere impedimenta.

2. Rurſus anima intellectiua in corpore nihil intelligit ſine miniſterio corporis, & ſenſuum, 3. de anima 30. 39. Ergo obiecta ſeparationis non intelliget, cum illa ſint intelligibilia, & non per ſenſum, ergo fruſtrà eſſent aduecta; nam vel ipſa non intelliguntur, quia non per ſenſum: vel ſi intelliga ntur, ſenſuum famulatus excluditur in eorum intellectione.

Corollarium hinc eſt. Modus intelligendi ſeparationis non poteſt eſſe per ſenſum; modus intelligendi in ſtatu coniunctionis non poteſt eſſe, niſi per ſenſum ex primo cap. de memor, & reminiſc. ergo modi iſti intelligendi ſunt incompoſſibiles, & per conſequens obiecta vnius ſtatus fruſtrà ponentur cum ſuis habitibus in alio ſtatu.

3. Præterea, quando circa idem paſſum ſunt duo agentia, vnum potentius, alterum debilius: potentius vincit, & excludit actionem debilioris præſertim ſi paſſum ſit magis diſpoſitum ad actum potentioris agentis. At uerò circa intellectum poſſibilem ſi agat intellectus faciens intellectionem cum obiecto ſeparationis, & cum habitu perficiente intellectum ad agendum: hoc agens eſt potentius, tùm ratione obiecti, quoniam entia ſeparata ſunt maximè intelligibilia, tùm ratione potentiæ, & paſſiuæ, & actiuæ; nam intellectus noſter maximam ſcientiam maximè deſiderat, 1. metaph. 1. tùm ratione habitus inclinantis intellectum factorem intellectionis. At obiectum ſenſile eſt minus intelligibile, quàm ſeparata: intellectus vterq; & faciens, & poſſibilis minus inclinatus ad ſenſile, & idem intellectus faciens à principio eſt ſinè habitu, igitur intellectus poſſibilis recipiet intellectionem ſeparatorum, & intellectio ſenſilium produci non poterit. Lxxx. 1. cæli. 32

4. Ex 12. metaph. 51. continuatio laborioſa eſt intellectui exiſtenti in potentia; nimirum, quoniam interpellatur intellectio vnius obiecti ab altero obiecto. Eſſet igitur intellectus in corpore tanquam Ixion ex 2. de cælo in continuo labore continuandi intellectionem circa ſeparata, & depellendi intellectionem

nem corporalium, & ſenſilium. Propter quod natura, quæ ſecreuit ſtatum ſeparationis à ſtatu coniunctionis: ſecreuit modum oppoſitum, & oppoſitum pro iſtis ſtatibus: prouiditq; , vt in vno ſtatu non haberentur ea, quæ ſpectant ad alterum, neque ſpecies, neque habitus.

LXXX. 5. Ad hæc in 3. de anima 61. probans Ariſtoteles in nullo corpore progreſſiuo reperiri intellectiuum ſine ſenſitiuo. Probat, quia hoc neque eſſet melius animæ, neque corpori. Non melius ipſi animæ, quia non magis intelliget ſine ſenſu; non melius corpori, quia ſic corpus melius non habebit.

Declaro primũ: ſi anima intellectiua in corpore eſſet ſine ſenſu, aut intelligeret obiecta ſeparata ſine miniſterio ſenſuũ, aut intelligeret ipſa ſenſibilia ſine eodẽ miniſterio. Non ſecundũ, quoniã ex 3. de anima 30. & 39. Neceſſe eſt intelligentem phantaſmata tanquam obiecta ſpeculari: ergo ipſa ſenſibilia ſine ſenſu omnino non intelliget: 1. poſt. 134. deficiente ſenſu, deficit ſcientia ſenſibilium illius ſenſus. Si ſeparata intelligat, hoc etiam eſt contra experientiam ex cap. 1. de memoria, quia nunquam intelligit non quantum, niſi ponat ob oculos quantum; ergo fruſtrà prorſus erunt ſpecies, vel obiecta, vel habitus ſeparatorum: quorum, experientia teſte, nullam habemus intellectionem, niſi cum ſenſu. Incideremuſque in poſitionem Platonis ponentis, quòd habitus meliores lateant. Quæ cum ità ſint, anima circa obiecta ſecum aduecta: Aut nullatenus occupatur, & fruſtrà illa aduehit. Sed Deus, & natura nihil faciunt fruſtra 1. de cælo 32. Aut illa ſeparata intelligit, ſine ſenſu ſcilicet, & hoc non eſt melius ipſi animæ propter cauſas dictas.

De incessu animal. cap. 2.

Declaro ſecundum, ſcilicet, Non eſt melius ipſi corpori habere intellectum ſine ſenſu: primò, quia perfectio animæ vegetalis, & ſenſualis ei adimitur. Secundò, quia intellectus non cognoſcet corpus, & actiones corporis, neque per conſequens eas diriget, & ordinabit in finem, ſiuè bonum, & corporis, & animę, & totius compoſiti. Quamobrem natura ad melius tùm animę, tùm corporis, tùm totius compoſiti conſtituit, vt intellectus in corpore exiſtens nihil cognoſcat, niſi famulatu corporis, & ſenſuum; quem famulatum non reſpiceret, ſi obiecta

ecta meliora ſinè hoc famulatu cognoſcere poſſet, & in eorum cognitione felicitate potiri. Qui enim habet finem, non quærit media ad acquirendum finem.

Sic [ego probo] conſequentiam, ſatis etiam ſine probatione notam non claudentibus oculos intellectus. Omni enim agenti per cognitionem neceſſaria eſt determinata cognitio ſui finis, & mediorum ad finem ordinatorum. Sed anima eſt in corpore tanquam finis, & agens, & forma 2. de anima 36. eſt autem agens per cognitionem, ergo debet cognoſcere, & ſe, & corpus, & ſenſum, quæ ſunt propter animam; vt ita per cognitionē ipſum eſſe corporis in actu primo, & ſecundo, ſic & eſſe animæ, & eſſe totius hominis adipiſcatur, conſeruet, & ad optimum eſſe deducat. Non poteſt autem cognoſcere ſimul, & ſeparata, & coniuncta: atque ſi ſeparata cognoſceret ſine ſenſu, impediretur in cognitione corporis, & ſenſus à ſeparato, vt à potentiori agente: ſed neque indigeret ſenſu, quia in ſeparatis obiectis felicitate potiretur contemplatiua ſine ſenſu. Quarè in deterius commutaretur, ſi ad ſenſibilia aduerteret, quod abſurdum eſt 12. metaph. 51. Ideò natura ſagax, vt intellectus ex neceſſitate corporis, & ſenſuum curam haberet, ſanxit, ne felicitas ſpeculatiua, aut actiua poſſet haberi ab intellectu coniuncto ſine ſenſuum famulatu. Lxxxii.

Immò hæc conſequentia ſupponit animam famulari corpori, non corpus animæ: quarè ex illo antecedenti oppoſitum ſui conſequentis potius deduci debet. Offenſio.

Facillima propoſitio: ſed peſſima probatio. Nego omnes, & ſingulas propoſitiones, quas nullatenus probatis. Non dico vos ignorantes, abſit. Sed dico, quòd naſcitur hæc veſtra deductio ex ignorantia terminorum, quis ſit liber, vel non liber, dominus, vel ſeruus. Liber eſt, qui eſt gratia ſui, non alterius 1 metaph. c. 2. Dominus eſt, qui eſt gratia ſui, & habet ſeruos, qui ſint gratia ipſiuſmet domini. Seruus autem & eſt, & operatur non in gratiam ſui ipſius, ſed in gratiam domini ſui. Dominus tenetur curare de virtutibus ſerui, & tùm docendo, tùm operando ordinare ſeruum ad bonum ipſius domini, & totius domus, ſic in 1, polit. cap. 4. & 6. & vlt. Sed animus natu- Lxxxiii. 33. Defenſio.

nem corporalium, & ſenſilium. Propter quod natura, quæ ſecreuit ſtatum ſeparationis à ſtatu coniunctionis: ſecreuit modum oppoſitum, & oppoſitum pro iſtis ſtatibus: prouiditq; , vt in vno ſtatu non haberentur ea, quæ ſpectant ad alterum, neque ſpecies, neque habitus.

LXXXI. 5. Ad hæc in 3. de anima 61. probans Ariſtoteles in nullo corpore progreſſiuo reperiri intellectiuum ſine ſenſitiuo. Probat, quia hoc neque eſſet melius animæ, neque corpori. Non melius ipſi animæ, quia non magis intelliget ſine ſenſu; non melius corpori, quia ſic corpus melius non habebit.

Declaro primũ: ſi anima intellectiua in corpore eſſet ſine ſenſu, aut intelligeret obiecta ſeparata ſine miniſterio ſenſuũ, aut intelligeret ipſa ſenſibilia ſine codẽ miniſterio. Non ſecundũ, quoniã ex 3. de anima 30. & 39. Neceſſe eſt intelligentem phantaſmata tanquam obiecta ſpeculari: ergo ipſa ſenſibilia ſine ſenſu omnino non intelliget: 1. poſt. 134. deficiente ſenſu, deficit ſcientia ſenſibilium illius ſenſus. Si ſeparata intelligat, hoc etiam eſt contra experientiam ex cap. 1. de memoria, quia nunquam intelligit non quantum, niſi ponat ob oculos quantum; ergo fruſtrà prorſus erunt ſpecies, vel obiecta, vel habitus ſeparatorum: quorum, experientia teſte, nullam habemus intellectionem, niſi cum ſenſu. Incideremuſque in poſitionem Platonis ponentis, quòd habitus meliores lateant. Quæ cum ità ſint, anima circa obiecta ſecum aducta: Aut nullatenus occupatur, & fruſtrà illa aduehit. Sed Deus, & natura nihil faciunt fruſtra. 1. de cælo 32. Aut illa ſeparata intelligit, ſine ſenſu ſcilicet, & hoc non eſt melius ipſi animæ propter cauſas dictas.

pag. 443

de inceſſu animal. cap. 2.

Declaro ſecundum, ſcilicet, Non eſt melius ipſi corpori habere intellectum ſine ſenſu: primò, quia perfectio animæ vegetalis, & ſenſualis ei adimitur. Secundò, quia intellectus non cognoſcet corpus, & actiones corporis, neque per conſequens eas diriget, & ordinabit in finem, ſiuè bonum, & corporis, & animę, & totius compoſiti. Quamobrem natura ad melius tùm animę, tùm corporis, tùm totius compoſiti conſtituit, vt intellectus in corpore exiſtens nihil cognoſcat, niſi famulatu corporis, & ſenſuum; quem famulatum non reſpiceret, ſi obie-

cta

ecta meliora ſinè hoc famulatu cognoſcere poſſet, & in eorum cognitione felicitate potiri. Qui enim habet finem, non quærit media ad acquirendum finem.

Sic ego probo consequentiam, ſatis etiam ſine probatione notam non claudentibus oculos intellectus. Omni enim agenti per cognitionem neceſſaria eſt determinata cognitio ſui finis, & mediorum ad finem ordinatorum: Sed anima eſt in corpore tanquam finis, & agens, & forma 2. de anima 36. eſt autem agens per cognitionem, ergo debet cognoſcere, & ſe, & corpus, & ſenſum, quæ ſunt propter animam; vt ità per cognitionē ipſum eſſe corporis in actu primo, & ſecundo, ſic & eſſe animæ, & eſſe totius hominis adipiſcatur, conſeruet, & ad optimum eſſe deducat. Non poteſt autem cognoſcere ſimul, & ſeparata, & coniuncta: atque ſi ſeparata cognoſceret ſine ſenſu, impediretur in cognitione corporis, & ſenſus à ſeparato, vt à potentiori agente: ſed neque indigeret ſenſu, quia in ſeparatis obiectis felicitate potiretur contemplatiua ſine ſenſu. Quarè in deterius commutaretur, ſi ad ſenſibilia aduerteret, quod abſurdum eſt 10. metaph. 51. Ideò natura ſagax, vt intellectus ex neceſſitate corporis, & ſenſuum curam haberet, ſanxit; ne felicitas ſpeculatiua, aut actiua poſſet haberi ab intellectu coniuncto ſine ſenſuum famulatu. Lxxxi.

Immò hæc conſequentia ſupponit animam famulari corpori, non corpus animæ: quarè ex illo antecedenti oppoſitum ſui conſequentis potius deduci debet. Obiectio.

Facillima propoſitio: ſed peſſima probatio. Nego omnes, & ſingulas propoſitiones, quas nullatenus probatis. Non dico vos ignorantes, abſit. Sed dico, quòd naſcitur hæc veſtra deductio ex ignorantia terminorum, quis ſit liber, vel non liber, dominus, vel ſeruus. Liber eſt, qui eſt gratia ſui, non alterius 1 metaph. c. 2. Dominus eſt, qui eſt gratia ſui, & habet ſeruos, qui ſint gratia ipſiuſmet domini. Seruus autem & eſt, & operatur non in gratiam ſui ipſius, ſed in gratiam domini ſui. Dominus tenetur curare de virtutibus ſerui, & tùm docendo, tùm operando ordinare ſeruum ad bonum ipſius domini, & totius domus, ſic in 1, polit. cap. 4. & 6. & vlt. Sed animus natu- Lxxxiii. 53. Defenſio.

 raliter

raliter imperat corpori ex eodem libro; vnde ideò animus eſt dominus, quia & corpus, & ſenſus ſecundum naturam ſunt propter animum; igitur in argumento meo, cum dicatur *corpus, & actiones eius ſunt propter animam: ſenſus, & actiones eius ſunt propter animam intellectiuam*: atque hæc ſit minor. Accepta definitione terminorum *liber*, & *dominus*, & *non liber*, & *ſeruus* pro maiore; infertur ergo anima intellectiua eſt libera, & domina: corpus, & ſenſus ſunt non liberi, ſed ſerui animæ intellectiuæ; ſic ego decenter argumentatus ſum. Vobis tamen concedo licentiam indecenter arguendi, vt ille dicatur ſeruus, qui eſt gratia ſui: ille dominus, qui eſt gratia alterius.

LXXIV. An quia Dominus, vel Rex cogitat de ſenatoribus, militibus, de ſatellitibus, de remigibus, denique de omnibus Reipub. vel domeſticæ membris: propterea erit ſeruus iſtorum, & non potius princeps, ac dominans? Sic intellectiua vtitur miniſterio corporis, & ſenſus, at non in gratiam illorum vtitur, ſed in gratiam ſui, ac totius, ideò intellectiua regit, dominatur, ac libera eſt.

Denique ſub numero 171. duo proponitis.

Primum *At nec rurſus textus facit ad rem*. Quod vidimus, nempè textum facere ad nuditatem intellectus, quæ res erat à me propoſita. Veſtra additamenta non eſſe ad rem, quæ ſunt de primitate innaſcendi in corpus, de ſuppoſitionibus veſtris diuinatorijs, de fieri ipſius intellectus ſimul cum corpore, quæ omnino in textu non ſunt.

Secundum. *Nec ſolutio vim difficultatis eneruat, ſed potius confirmat*. Hoc proponere voluiſtis; ſed proſecutionem in calamo retinuiſtis. Nihil quippè contra ſolutionem eſt dictum à vobis: ſed rationes duas meas ſoluere tentaſtis. Tentatio tamen vana fuit.

CA-

CAPVT VIII.

Offenſores afferunt rationem Scoti contra Ferchium, ſed non eſſe contra Ferchium oſtenditur.

TAndem vltima quoque ratio ex actibus, & habitibus voluntatis deducta, quam vrgebat Scotus contra Platonicam circulationem, contra quoque Ferchianam militat. lib. de gener. cap. 324. col. 1 Offenſio num. 172

Neque de Platonica, neque de Ferchiana quicquam aufert Scoti ratio. Scotus arguit contra circulationem, quam aliqui impoſtores afferunt dicentes, ſtatis temporibus omnia eadem numero reditura, quò ad actus, paſſiones, ſubſtantias, accidentia. Hanc vos Platonicis imponitis opinionem, quam nemo Platonicus tenuit omnino: ſic Philoſophis grauiſſimis falſas opiniones imponitis, vt in eis refellendis videamini ſapientes. Tantum poteſt amor ſui in quibuſdam, vt viros celeberrimos obſcurent, quò ipſi clareſcant. In Ferchiana circulatione, verius dicite Ariſtotelicam, qua de corpore in corpus, vt de oculo in oculum migrat intellectus, nulla ſpecies, nullus habitus, nullus actus in præcedente corpore obtentus in nouum corpus affertur. Sed ſubſtantia intellectus ſola de oculo ſene in oculum iuuenem tranſit, conſtituens nouum compoſitum, & nouos actus eliciens. Lxxxv. 54. Defenſio.

Multi nanque habitus in voluntate generati in ſtatu coniunctionis permanebunt in ipſa in ſtatu ſeparationis & tandiù conſeruari poterunt, quouſque recurrente vice ſua iterum corpori vniatur. Et ſic iſte homo in eadem inclinabitur vitia, in quæ alter homo ex præcedenti corpore conſtitutus. Offenſio

Superius furioſa contentione volebatis, quòd homo conſtitutus ex eodem intellectu cum præcedente corpore corrupto, & homo conſtitutus ex eodem intellectu cum corpore de nouo genito, eſſet idem homo numero. Nunc veritate conuicti dicitis, quòd eſſet alter, & alter homo. Quare eſtis in redargutione. Hoc ſecundum verum eſt, primum autem dictum veſtrum eſt falſiſſimo falſius: imitor phraſim veſtram. 55. Defenſio. Redar.

Aſſeritis hoc argumentum veſtrũ eſſe Scoticum. Reuera neq; cum Ariſtotele, neque cum Scoto eſt.

Non cum Ariſtotele, quoniam amare, & odiſſe non ſunt operationes intellectus; ſed compoſiti, quo deſtructo, intellectus amare, aut odiſſe non poteſt 1. de anima 66. Non poteſt triſtari, aut gaudere, iraſci, vel timere 1. de anima 63. non poteſt miſereri, cogitare, addiſcere, reminiſci 1. de anima 64. Deniq; hæc dicere de anima intellectiua, eſt, ac ſi diceretis animam texere, vel ædificare.

Alio quoque fundamento hoc argumentum veſtrum labaſcit.
1. de generat. 56. Status coniunctionis, & ſtatus ſeparationis ſunt ſtatus oppoſiti in anima rationali: oppoſitorũ oppoſitæ ſunt cõditiones & affectiones quatenus huiuſmodi. Quando igitur anima tranſit ab vno ſtatu ad alium, omnia præteriti ſtatus accidentia deponit, & nuda procedit ad ſtatum oppoſitum: vt alternatim fungatur operationibus congruis huic, vel illi ſtatui. Nullus igitur habitus vel bonus, vel malus cum intellectiua recedente recedit de corpore: ſed intereunte corpore interit, vt ſuperius probatum eſt. Quare nullus habitus affertur in corpus nouum.

Deniq; ad incõueniens arguo: cũ .n. anima intellectiua in corpus innaſcitur, ex corpore multas prauas inclinationes concupiſcẽtiæ, & iracundiæ ſubit propter pugnã ſenſualis appetitus cõtra rationem, & corporis contra animam. Non ergo à Deo eſſet anima in corpus infundenda vnquam, ne à corpore, & ſenſu inclinetur ad iſta vitia. Id concludit veſtrum argumentum; ſiue enim inclinetur ex habitu accidentali, ſiuè ex corpore, & ſenſu ſubſtantiali, necnon & ex accidentibus horum: vtroq; modo eſt inclinatio ad vitia. Si hæc ergo inclinatio prohibet iteratam vnionem, prohibet & primam vnionem animæ cum corpore. Hoc ex veſtra doctrina ſequitur.

LXXXII. Non cum Scoto arguitis. Scotus enim diſputat contra aſſerentes animam neceſſariò eſſe habituram eoſdem actus numero. At circulatio Ariſtotelica actus, habitus, ſpecies in deſtructione hominis deſtructas, omninò irreparabiles ponit. Vnde non erunt iidem actus numero, neque in intellectu, neque in voluntate.

Hæc

Digitized by Google

Hæc igitur, & alia abſurda, quæ facilè conſideranti occurrent, ſequuntur in vera philoſophia, ac etiam Peripatetica ex animarum circulatione, quam Ferchius antiquatam, & obſoletam nuper ſuſcitauit. Offenſio

Aliud eſt vera philoſophia, aliud philoſophia Ariſtotelis. In 56. Defenſio. vera philoſophia nullum falſum, nullus error eſſe poteſt. In philoſophia non ponitur motus æternitas, nec ponitur circulatio animæ intellectiuæ de corpore humano in corpus humanum. Aeternitas motus eſt vnus error, ex quo ſequitur alter circulationis animorum. In philoſophia Ariſtotelis nonnulli errores irrepſerunt, non ex defectu philoſophiæ, ſed philoſophi. Vos Offenſores tenetis cum Ariſtotele mundum, motum, tempus eſſe æterna à parte ante, & poſt, qui ſunt ſex errores. Tenetis Deum neceſſariò agere ad extra; mancipatum eſſe cauſis ſecundis, animas intellectiuas eſſe mortales, intelligentias eſſe formaliter neceſſarias, æternas, actus puros, impeccabiles, naturaliter beatas, hoc eſt Deos multos, & alia quamplurima. Quæ tamen non omnia, pace veſtra, ſi pacem non oderitis, Ariſtoteles tenet philoſophicè; ſed populariter tantùm quædam ex his tenet. In meis Veſtigationibus Peripateticis philoſophiam Ariſtotelis quæro, veram philoſophiam non quæro. Extra propoſitum ergo loquimini, ſi de vera philoſophia promatis abſurda. Si de Peripatetica philoſophia deduxeritis, ad propoſitum quidem erit ſermo: ſed vos hactenus pauca propoſuiſtis, nulla probaſtis.

Hic iactatis alia eſſe abſurda. Sed aliud eſt iactanter loqui, aliud rationabiliter loqui.

Et quidem abſque neceſſitate; argumentum enim illud de infinitate animarum ex mundi æternitate, & animæ immortalitate deductum, quod ipſum in hanc fabuloſam impulit opinionem, faciliimè ſoluitur à Scoto 2. metaph. quæſt. 6. §. Ad rationes. Et Tromb. tractatu de plurific. animarum contra Auerroem art. 2. parte 2. in ſol. ad 6. quod multitudo animarum, quæ modo extarent, adhuc non foret infinita cathegorematicè ſed ſyncathegorematicè tantùm; quia et fieri poteſt, immò quotidiè, fit additio, ut diximus diſp. 10. phyſ. quæſt. 3. Quomodo autem infinitas ſyncathegorematica, quæ potentialitatem ſapit, Offenſio.

etiam in rebus actualibus poſsit reperiri, declaramus eadem diſp. quæſt. 1. art. 1. & diſput. 9. quæſt. 2. art. 6. ad 5.

Lib. xxvii. 57 De ſenſio. Circulationem animarum Ariſtotelicam multis titulis ignominioſis vos pro veſtra modeſtia vituperatis. Pythagoricam, fabuloſam, antiquatam, obſoletam dicitis, abſurdam. Quaſi non liceat par pari referre, ſi vellem. Veſtra opinio de animorum mortalitate Epicurea eſt, porcina eſt, exitialis, & abſurdiſſima ſupra omnem abſurditatem eſt, ſentina vitiorum eſt, fundamentum Atheiſtarum eſt. Malim ego Pythagoram authorẽ cum ſuis fabulis antiquitati admirandis, quàm Epicurum cum ſuis placitis ſuillis. Sed temperabo me, ne vobis ſimilis efficiar. Pro iure iniurias vos refertis, nolo ego maledictum pro maledicto referre. Indicaui tamen, quàm facilè ſit maledicere. Maledicentia in infinitum excreſceret pro vtraq; parte. Dicamus alia.

Antiquatam affirmatis migrationem animarum. Apud veſtrates antiquatam concedo, apud Ariſtotelicos nego. Duas proinde claſſes Peripateticorum facio in re noſtra. Prima eſt eorum, qui animam informatricem hominis dicunt eſſe corruptibilem: ſed intellectum vnum in omnibus hominibus ponunt, ſiuè ille ſit Deus, ſiuè alius à Deo. In qua ſententia ſunt Theophraſtus, Themiſtius, Auerroes, Aphrodiſeus, & ex latinis Iandunus, Zabarella, Vicomercatus, Piccolomineus, Gianinius, & alij plurimi. Hi omnes illum vnum intellectum de homine moriente in hominem naſcentem migrare docent. Hanc de migratione intellectus opinionem aſſerere obſoletam, & antiquatam eſt res manifeſtiſsimas negare, ſcilicet nimium frequentes, Aphrodiſei, & Auerroïs ſcholas.

Secunda eorum eſt, qui animã intellectiuam informantem ponunt, & intellectum aſtruunt eſſe partem, vel potentiam, vel differentiam animæ: ac proinde multiplicem intellectũ in multis hominibus. Ita tamen, vt intellectus de corpore humano in corpus humanum ſtatis temporibus migret. Simplicius, Theophilus Zimara, Cardinales ſapientiſſimi Beſſarion, & Contarenus, Auguſtinus Eugubinus, Iulius Cæſar Lagalla Viri doctiſſimi, Andreas Camutius theoricam ordinariam in gymnaſio

Simpl. & Zimara citatis in 3. de anima ad tex. 20. car. 327.

Tici-

Ticinenſi primo loco profitens, ita tenent: atque Ioannes Cottunius primæ Sedis philoſophus in vniuerſitate Patauina pro hac ſententia ex Ariſtotele plura congerit in lib. de trip. ſtatu animæ. Non igitur antiquatam, & obſoletam, ſed celebrem, & frequentem opinionem de migratione animarum reperio; & re vera ſuppoſita mundi æternitate hanc ſolam cum ſecunda claſſe tenendam credo, vt veriſſimè Ariſtotelicam. Quòd ſi, vel ſolus hanc opinionem excuderem, dum tamen ex Ariſtotele, non puderet, aut pigeret eam excogitauiſſe. Nulla enim magis à falſitate recedit, magis vt ad veritatem accedit, quàm iſta, non obſtantibus iniuſtiſſimis veſtris iniurijs.

Deinde reſponſionem vos faciliimam profertis, quam ego recipere debuiſſem ex Scoto; quamuis neq; Scotus, neq; Tromb. cathegorematici, vel syncathegorematici meminerit locis per vos citatis. Veſtigat. 6. Scotũ aſſertorẽ mortalitatis animæ reprobo. Nonne ridiculum eſt, vt illius recipiam dicta ex 2. metaph. quæſt. 6. cuius dicta reijcio?

Immò & hæc ipſa reſponſio, quam obtruditis, refutaui (ſuppreſſo nomine aliorum) Veſtigat. 6. num. 134. dum quæro in ſignato inſtanti, quot ſunt animæ, excluſa omni comparatione ad ante, & poſt.

Secundò. Sed neq; Scotus acquieuit huic ſuo reſponſo. Nam in 2. diſt. 1. quæſt. 3. l. dum reſpondet philoſophice, concedit cum Auicenna infinitatem actualem in accidentaliter ordinatis, vt in animabus (quam ſententiam aliquando & Aquinas 2. cont. gen. cap. 81. tenuit.) & in 4. diſt. 43. quæſt. 2. conſẽtit animæ mortalitatem dandam eſſe propter æternitatẽ motus præſuppoſitam. Certè nulla erat neceſſitas ſecundum vos, quia faciliima ſolutione data, conſequentiæ infirmiſſimæ eſſent. Cur id Scotus fecit? Quoniam hanc reſponſionem imbecillam deprehendit, & reiectam ex ſimili occaſione in 1. diſt. 2. quæſt. 2. Z.

Placet interea Ioan. Baſol. dictũ ex 4. diſt. 43. quæſt. 3. art. 3. referre de Ariſtotele circa immortalitatem animæ. *Nec puto*, inquit, *quòd Ariſtoteles habuerit eam pro certa, ſed puto, quòd fuerit totus dubius de ipſa; vnde & de hoc dubitando pluries loquebatur, & aliquando proyciebat verba hinc, vel inde ſecundum exigentiam*

Paulus Venetus apud ſueſſa. 5. phyſ. Beſſar. 2. contra calumniat. Platonis, cap. 7. Cõtaren. 2. de immortal. animæ. Phileta. lib. de diſſenſu Ariſt. à Platone cap. 9. Lagal. de immortalitate animæ lib. 3. cap. 10. Lxxxix. Camutius de humano intel. lib. 4. cap. 25. Eugub. 9. de perenni philoſ. cap. 10. qui & Simplicium affert. Cottun. de tripliciſtatu animæ diſput. 62. ſect. 9. c. 100. & diſp. 3. ſect. 3.

tiam ſuæ materiæ, quam tractabat. Pro immortalitate enim viden-tur eſſe illæ authoritates adductæ, licèt aliquæ magis, quàm aliæ. Sed pro mortalitate videntur principia eius eſſe; nam planum eſt, quòd poſuit mundum, & generationem hominum æternam eſſe 8. phyſ. & 1. de cælo. Similiter poſuit animam intellectiuam eſſe formam hominis, & numerari numeratione corporum 2. de anima. Sed po-ſuit vltrà, quòd impoſsibile eſt eſſe infinitum in actu, ſiue ſecundum magnitudinem, ſeu multitudinem 3. phyſ. Ex iſtis ſequitur animam eſſe corruptibilem. Si enim ponatur incorruptibilis, cum in infiniti ho-mines præceſſerint, & fuerint corrupti à parte ante, ſequitur, quòd maneant, & ſint infinitæ animæ in actu contra tertium principium. Et infra. *Et ideò puto, quòd finaliter ſi deduxiſſet ſua principia benè, poſuiſſet animam eſſe corruptibilem, & corrumpi ad corruptionem to-tius. Sicut etiam dicit in 3. de anima, quod intelligere corrumpitur, quodam interiori corrupto.* Hæc ille. Cernunt Peripatetici quan-ta cum laude, mortalitatis aſſertores Ariſtotelem excipiant. Melius quippè Ioannes Baſolius contulit Ariſtotelis principia, quam Ariſtoteles: melius concluſiones deduxit. Ariſtoteles namque non benè deduxit, quoniam animam corruptibilem ex ſuis principijs deducere debuit, cuius oppoſitum deduxit, & aſ-ſeruit.

Illud tamen ad rem eſt, quòd Baſolius auditor Scoti, ac di-
XCI. ſcipulorum amatiſſimus putat Ariſtotelem non potuiſſe ſe ex-tricare ab infinita multitudine animarum in actu per diſtinctio-nem *cathegorematici, & ſyncathegorematici.* Ignorauit ne forte Ba-ſolius hanc diſtinctionem? Non vtique; nam à Scoto didicerat. Sed non obſtante hac diſtinctione, ſuppoſita æternitate mundi, & immortalitate, Baſolius inquit, neceſſariò ſequi infinitum in actu: Vos dicitis non ſequi. Ego verò potius crederem dormi-enti Baſolio, quàm vobis vigilantibus.

Quin, & Sanctus Auguſt. 12. de Ciuit. Dei cap. 20. indica-uit hoc argumentum inſolubile. Si mundus ſit æternus, & ani-ma non reuerſura in corpus; ergo dabitur infinitus numerus ani-marum. *Quantuslibet nanque finitus fuiſſet numerus animarum, infinitis retrò ſæculis ſufficere non valeret, vt ex illo fierent homines, quorum eſſent animæ, ab iſta ſemper mortalitate liberandæ, num-*

quam

quam ad ea deinceps reditura. Nec ullo modo explicabitur, quomodo &c. Infinitus ſit numerus animarum. Sed quid faciemus de Ariſtotele? Nonne dicemus fuiſſe infeliciſſimo ingenio, infeliciſſimo ſeculo natum; quandoquidem facillimè vos ſoluitis argumentum, quod ille craſſiſſimę mentis Ariſtoteles Stagirita ſoluere neſciuit, & propter quod ſecundum Scotũ, & Scotiſtas totus dubius manſit? Cur non eſt natus Ariſtoteles tempore Belluti, & Maſtrij, vt ab eis facillimam ſolutionem diſceret argumenti, quod fuit difficillimum Ariſtoteli, & Ariſtotelicis ferè omnibus; immò & Scoto, & Scoti diſcipulo; vt propter illud Ariſtotelem eſſe conceſſerint in animæ immortaltate ponenda totum dubium.

Interim quando mentem Ariſtotelis veſtigo, in hac difficultate de animarum infinita multitudine, quæ ex æternitate motus ſequitur, excuſandus ſum. Ariſtoteles facillimam ſolutionem ignorauit, ignoraui & ego; ignorarunt & quamplurimi Ariſtotelicæ ſcholæ proceres, nimirum cæci cæcum ducem ſequentes. Tandem illuxerunt in vniuerſo duo luminaria magna Bellutus, & Maſtrius, qui doctiſſimos quoſque Peripateticos ſub difficultate argumenti palpantes in tenebris, nouo facillimæ ſolutionis ſplendore illuſtrent. Proſit vobis tantæ ſapiĕtiæ veſtræ tanta iactantia. XCI.

Et mirum eſt, quomodo hic author in Scoto, & Scotiſtis verſatiſſimus hanc ſolutionem non viderit, cum tamen omnes modos ſoluendi hunc nodum hucuſque excogitatos referre profiteatur cap. 11. Offenſio

Ne miremini mirabiles admiratores. Ego ſum verſatiſſimus inter non videntes; nam inter iſtos me collocatis. Sed tamen video impoſturam veſtram, cum dicitis, me profiteri referre omnes modos ſoluendi hunc nodum hucuſque excogitatos. Etenim in cap. 11. per vos citato ad finem numeri 136. ſcribo. *Hoc modo expendam vnam, vel alteram ex prædictis, aut alijs opinionibus.* Dixi ne, me referre omnes modos? Non vtiq;, ſed vos dixiſtis, at falsò dixiſtis. Modos verò iſtos reſpondendi legite apud S. Bon. 2. diſt. 1. quæſt. 2. Itẽ S. Tho. Aquinas 2. contra gentes cap. 81. ad 3. refert. Et 1. parte quæſt. 46. art. 2. ad 8. Tolet. 8. phyſ. quæſt. 2. Ragul. diſp. 21. cap. 12. & ſeq. 58. Defenſio. *Impoſtura.*

Et quando hæc ſolutio non placeret (cui tamen intellectus quicunque benè affectus acquieſcre debet) reſolutè dicimus ſatius eſſe in Ariſtotelis ſententia animæ mortalitatem tenere, quàm immortalitatem aſſerere, cum tam abſurda appendice tranſmigrationis animarum. Hoc enim turpius putamus abſurdum, vel ſaltem æquè turpe, & fidei noſtræ pernicioſius, quàm ſit ipſa mortalitas.

59. Defenſio. Intellectus benè, vel malè affectos vos noui medici intellectuum, ex veſtro intellectu iudicatis. Medemini, quæſo prius veſtris mentibus, & calamis virulentis. Quod vobis placet, alijs placere debere creditis: ſed veſtræ ſolutioni Ferrara 2. contra gen. cap. 81. car. 197. col. 1. non acquieſcit. Raguſ. diſp. 21. cap. 12. refutat ſolutionem, non acquieſcit. Cottun. de triplici ſtatu animę diſp. 6. ſect. 9. car. 196. non acquieſcit. Ponentes infinitum actu non acquieſcunt, vt Auicenna Algazel, Pererius, Licetus. Ponentes vnum intellectum in omnibus non acquieſcunt, vt Theophraſtus, Aphrodiſeus, Vicomercatus, Iandunus, Piccolomineus. Hi omnes malè affecti, vos ò fortunati, ſani eſtis.

XCII. Vlterius ſcribitis, ſatius eſſe in Ariſtotelis ſententia animæ mortalitatem tenere, quàm immortalitatem cum tranſmigratione animarum; quam ſententiam oneratis iniurijs *tam abſurdam, turpius abſurdum, quàm mortalitas, & fidei noſtræ pernicioſius*. O vtinam hæc, quæ dicitis, probaretis! Nunc ergo vana ſunt hæc, quòd ſententia de migratione animarum in Ariſtotele ſit tàm abſurda, immò abſurdior, turpis ac turpior, quàm ſit mortalitas. Certè Ariſtoteles expreſſit intellectum humanum non corrumpi 1. de anima 65. impaſſibilem 66. ſeparabilem, immixtum, impaſſibilem 3. de anima 19. ſeparatum immortalem, & æternum tex. 20. immaterialem tex. 14. permanere poſt compoſitum 12. metaph. 17. & alia plurima, quæ in 6. Veſtigat. allata ſunt. Oſtendite vos viciſſim textus illos, in quibus migrationem impugnauit. Verba, verba datis, nullam Ariſtotelis authoritatem profertis. Liceat mihi dicere conformiter ad Scoti dicta in primo diſt. 3. quæſt. 7. K. Quomodo alij erant cæci, & vos ſoli videntes, vt tam multi Græci, Arabes, Latini conceſſerint in Ariſtotelę migrationem; nec viderint contradi-

ctorium

ctorium in Ariſt. quod vos videtis; vnde iudicatis quidem, ſed ſine ratione iudicatis.

Nec dicat Ferchius ex hypotheſi tantùm aſſerere animarum circulationem, ſuppoſita nimirum æternitate mundi, quam abſolutè negat in Ariſtotelis ſententia, & qua negata, penitus labaſcit argumentum. Offenſio

Non poſſum vobis obtemperare, quoniam in Veſtig.6. num. 136. dixi reſolutè ab Ariſtotele philoſophicè negatam mundi æternitatem; ſed populariter ad oſtentationem eſſe affirmatam. Conditionatè verò dixi, ſuppoſita mundi æternitate circulationem eſſe dandam intellectiuæ de corpore in corpus eiuſdem ſpeciei. Itaque non poſſum vobis auſcultare. XCIII. 60. Defenſio.

Nam in hoc quoque ſenſu nos contra ipſum argumentamur, admiſſa nimirum illa hypotheſi, quam ad Ariſtotelis mentem veriſſimam demonſtrauimus diſput. 1. de cælo quæſt. 1. Offenſio

Argumentamur dicitis, ſed in his verbis offenſionis nullum argumentum profertis, quo oſtendatis ex illa hypotheſi non debere inferri circulationem animarum. 61. Defenſio.

Vnde inter defenſores immortalitatis animæ ad Ariſtotelis mentem fatemur hunc authorem præ alijs eſſe mirabilem. Offenſio

Promiſiſtis argumentum admiſſa hypotheſi. *Argumentamur* dicitis. Verùm neque in his verbis adeſt argumentum contra concluſionem, ſed inuectiua contra me, qui non ſum concluſio. 62. Defenſio.

Vult enim in prima reſponſione ad difficultatem illam, quòd Ariſtoteles neget, quod ex profeſſo docuit 8. phyſ. per totum, ſcilicet mundi æternitatem. Offenſio

Et rurſus Doctores extra propoſitum. Dicitis *argumentamur admiſſa hypotheſi*. Et nihil argnmentamini. Admitto hypotheſim ſiuè ſit vera, ſiuè falſa; & hypotheſi data, dico eſſe tenendam in Ariſtotele circulationem animarum declaratam. Argumentamini tandem. 63. Defenſio.

Et affirmat (Ferchius) quòd ſemper negauit, vel ſaltem nunquam aſſeruit, ſcilicet animarum circulationem. Offenſio

Argumentum maximè prodigum, maximè auarum. Maximè prodigum in prima parte, quia totum Ariſtotelem contra cir- 64. Defenſio.

 culatio-

culationem fundit, dicens, Ariſtoteles ſemper negauit circulationem animarum. Maximè auarum in ſecunda parte, quia totum Ariſtotelem rapit, dicens, Ariſtoteles nunquam aſſeruit circulationem animorum. Generalia idcircò facitis argumenta, quia ſpeciales textus adducere non valetis.

XCIV. Duplex antecedens proponitis in argumento, primum, *Ariſtoteles ſemper negauit circulationem animarum.* Secundum, *Ariſtoteles nunquàm aſſeruit eam*. Si ex primo argumentamini, principium petitis, & facitis propoſitionem omninò incredibilem. Si ſemper Ariſtoteles negauit circulationem, ergo nunquam ſcripſit aliquid aliud, ſed voluit ſaxum Siſyphi. In primo capite Ante prædicamenta de æquiuocis, vniuocis, denominatiuis agit; circulationem animarum non negat. Sic arguo. In primo, vel vltimo capite Logicæ non negauit circulationem animarum: in primo, vel vltimo phyſicæ non negauit: in primo, vel vltimo metaphyſicæ non negauit: in primo, vel vltimo ſcientiæ moralis non negauit: ergo non ſemper negauit. Immò eandem proſequor inductionem, & adiungo nec in alijs intermedijs textibus negauit; quarè veſtrum *ſemper* conuertitur in *nunquàm*. Mea inductio verificata eſt in octo capitibus citatis ſignatè, & veſtra propoſitio eſt falſificata.

Si ex ſecundo antecedente argumentamini, ſophiſma conſequentis eſt ab authoritate negatiuè. Probabitis interrogando, ſi aſſeruit, in quo textu aſſeruit? Reſpondeo, aliud eſt probare propoſitionem negatam, quod facere debetis: aliud eſt examinare reſpondentem, & cogere ad relinquendum officium reſpondentis, & recipiendum officium arguentis. Cautela ſophiſtica iam vobis eſt deponenda.

Offenſio *Profligatis itaq; circulatione, tùm Platonica, tùm Pythagorica, quomodocunq; ponatur, dicendum remanet, &c.*

65. Defenſio. Hic eſt finis veſtræ offenſionis contra me. Multa verò in his paucis falſa continentur.

XCV. 1. Profligata eſt à vobis non opinio Platonis, vel Platonicorum: ſed illa, quam non Scotus, ſed vos ipſis falsò impoſuiſtis.

2 Falſum eſt, vos quicquam dixiſſe contra migrationem Pythago-

thagoricam. Ad num. 168. proponitis. *Eiſdem ferè rationibus profligatur Pythagoreorum opinio de animarum circulatione.* Sed nihil prorſus cõtra Pythagoreos dicentes, illicò aduerſus circulationẽ Ariſtotelicã pugnare conamini vſque ad nu. 173. Quæ impugnatio, vt eſſet minus inuidioſa, per contemptum circulationem Ariſtotelicam appellatis Ferchianam. Nunc victoriam canitis de Pythagoreis, contra quos nullatenus pugnaſtis; tametſi multa falſa illis imponatis.

3. Falsò aſſeritis, rationes à Scoto allatas eſſe contra Pythagoreos. Nam ratio maximi anni ex periodo ſtellari in 36. millibus annis, non eſt Pythagoreorũ, vel Platonicorum, ſed aſſertore Ficino, eſt aſtronomorum.

Addo rationem illam, qua negatis orbes omnes reuerti poſſe ad idem punctum, quia orbes ſunt incommenſurabiles, eſſe directè contra Ariſtotelem, qui videtur fuiſſe primus inuentor anni maximi. Cenſorinus quippè de die natali cap. de annis maioribus. *Præterea, inquit, annus, quem Ariſtoteles maximum potius quàm magnum appellat: quem ſolis, & lunæ, vagarumq; quinq; ſtellarum orbes conficiunt: cum ad idem ſignum, vbi quondam ſimul fuerunt, vnà referuntur. Cuius anni hiems ſumma eſt cataclyſmos quam noſtri diluuionem vocant. Æſtas autem ecpyroſis, quod eſt mundi incendium. Nam in his alternis temporibus mundus, tùm exigneſcere, tùm exaqueſcere videtur. Hunc Ariſtarchus putauit eſſe annorum vertentium duorum millium CCCC.LXXX.IIII.*

Certè omnis proportio incommenſurabilis eſt irrationalis.
In cælo autem Ariſtoteles nil irregulare, nil caſuale, nil irra- XCVI.
tionale conceſſit, vt videre eſt in 2. de cælo ſæpius. Denique ponere circulationem vniuerſalem ſine regreſſu ab eodem ad idem eſt ponere circulationem non eſſe circulationem. Contra Ariſtotelem igitur aſſertorem anni maximi pugnatis, non contra Pythagoreos.

4. Pythagoras narrat, ſe primum fuiſſe Heraclidem, deinde Euphorbum, mox Hermotimum, inde Pyrrhum, denique Pythagorã. Ex quo conſtat, migrationem ſecundum Pythagoram eſſe in corpora diuerſa numero, non in eadem numero, vt vos illi imponitis. Sic Lactantius lib. 7. cap. 23. *Nàm Pythagoras*

tranſire

tranſire animas in noua corpora diſputauit. Ita Laertius,Philoſtratus lib.3. Zimara 1. de anima 53. Toletus in prologomenis de anima. Gianin. de ſtatu animæ poſt obitum cap. vltimo. Caſtro aduerſus hæreſes titulo *Anima*. Genethliaci quidam poſuere eaſdem animas in eadem corpora reuerſuras, apud Aug. 22. Ciuit. Dei cap. 28. non Platonici, non Pythagorei.

5. Ex eodem Laertio Euphorbus à Menelao vulneratus eſt tempore Troiani belli. Sed à bello Troiano vſque ad Pythagoram certiſſimum eſt, non interfuiſſe 36. mille annos. Ergo periodum veſtram non tenent Pythagorei.

6. Quando anima migrabat in corpus bruti, vel plantæ, non neceſſariò erat reditio ad eandem materiam, neque ad eoſdem actus, vt patet ex Laertio. At opinio, quam Scotus impugnat, tenet, neceſſariò reuerti ad eandem numero materiam, & eoſdem actus. Ergo nil contra Pythagoreos.

7. Nec argumentum de reminiſcentia militat aduerſus Pythagoreos. Quia Pythagoras animam in regreſſu omnium obliuionem incurrere aſſeuerabat: ſibi verò Mercurij dono memoriam migrationis relictam.

8. Nec ratio de libero arbitrio conficit. Migrantem etenim animam ex corpore humano in corpus plantæ non affirmabant liberè operari. Migrantem in aliud corpus humanum concedebant liberè operari, ſed operationes diuerſas ab ijs, quas in priori corpore. Nulla ergo ratio Scoti contra Pythagoræ opinionem valet. Itaque Platonicorum, vel Pythagoreorum opinio per vos non eſt profligata, ſed falſis impoſturis obſcurata.

Hæc hactenus ad mei defenſionem intra Peripateticos limites, exceptis digreſſionibus veſtri cauſa factis. An vos rectè impugnaueritis, an ego ſatis defenderim, prudens lector diiudicet.

DI-

DISCEPTATIO CATHOLICA PRIMA.

APPARATVS.

OMNIBVS modis offendit, qui voluntatem habet offendendi. Scripſi ego Veſtigationes Peripateticas intra limites Peripateticæ ſcholæ, & omnia ferè ex verbis Ariſtotelis enodare tentaui. Offenſores noluerunt limitibus, vel Philoſophiæ ſimpliciter, vel philoſophiæ Ariſtotelicæ contineri; ſed ad fidei catholicæ controuerſiam tranſcendere; volentes me, vel ſic, quoad poſſent, offendere. Non ſeruant ordinem, non methodum, non ſcientiarum diſtinctionem. Ordo eſt rerum parium, diſpariumque vnicuiq; ſua loca tribuens congrua diſpoſitio; quemadmodum ordinem deſcripſit B. Auguſtinus 19. de Ciuitate Dei cap. 13. Locus rerum ſacrarum eſt ſacer. Non ſunt miſcenda ſacra prophanis. Sacra dogmata in ſacra Theologia ſunt pertractanda non in philoſophia Ariſtotelis, & Ariſtotelicorum, inter quos multi ſunt hæretici, multi Turcæ, & Iudæi, multi infideles, qualis etiam Ariſtoteles fuit. Saluator noſter, & Dominus Ieſus Chriſtus Matthæi 7. appoſitè præcepit. *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas ante porcos: ne fortè conculcent ea pedibus ſuis, & conuerſi dirumpant vos.* Ariſtotelici ſolis ſenſibus ducuntur, vt principijs philoſophiæ ſuæ, & ex eis velut canes ſagaces veritatem naturaliter cognoſcibilem inſequuntur. Alij voluptates ſenſuum ſequentes, quæ

à Chri-

à Chriſto Domino ſupernaturaliter dictantur, vt ſacramenta, & dogmata, conculcant, & fœdant. Quamobrem ſacramenta Chriſti, & in primis ſacramentum ſacramentorum non eſt inter naturaliter inuenta ponendum. Methodus eſt, vt vnaquæque concluſio ex proprijs principijs probetur, defendatur, declaretur: niſi quatenus ſuperiori licet vti miniſterio inferioris. Philoſophia ratione naturali, & naturali lumine directa procedit. *Qualibet alia (ſcientia à Theologia) in genere cognitionis naturalis habet reſolutionem ſuam vltimò ad aliqua principia immediata naturaliter nota.* Chriſti doctrina ſupernaturali reuelatione, ac lumine colluſtratur. Quarè ex ſupernaturaliter dictatis naturales concluſiones probari nec debent, nec poſſunt. Scitè Scotus in prima Prologi annotauit in margine, ex ſupernaturaliter reuelatis non eſſe viam probandi aliquid contra Philoſophum. Quod ſubtilis Doctoris documentum ſi Offenſores attendiſſent, dum philoſophiam naturalem ſcribunt, ſupernaturalia aſſerta non temeraſſent tam crebrò. Ego pro viribus laboraui philoſophiam Ariſtotelis non miſcere cum doctrina Chriſti. Ariſtoteles non eſt Chriſtianus, neque Chriſtianæ veritates, aut præcepta, aut ſacramenta ex Ariſtotele, & ſequacibus ſunt poſtulanda. Proinde nunc ſeparatim, quæ ad doctrinam fidei Chriſtianæ ſpectant explorare conſtitui, vt aduerſariorum dicta confusè, examinentur diſtinctè. Et quoniam quædam circa fidei ſacræ doctrinam attulerunt, quæ ad totam Eccleſiam catholicam ſpectant. Quædam circa meam perſonam, qui ſingulari Dei gratia ſum Eccleſiæ catholicæ membrum, viſum eſt primo loco in re propoſita quærere cauſam fidei publicam, ſecundo cauſam meam priuatam dicere. Sit igitur prima Diſceptatio.

Nu Scot. prol. vltimat. 5. E.

3. d. 1. q. 3. B.

Vtrum mortalitas Animæ intellectiuæ magis pugnet cum fide catholica, quàm immortalitas eiuſdem animæ cum regreſſu ad corpus humanum.

CA-

CAPVT I.

In quo referuntur placita Offendentium, & aperitur ſtatus Controuerſiæ.

OFfenſores tanquam Alexandrei animæ mortalitatem magis approbant, quàm animæ immortalitatem cum regreſſu in corpus humanum: vnde in ſua offenſione ità loquuntur.

1. Offenſio. *Reſolutè dicimus, ſatius eſſe in Ariſtotelis ſententia Animæ mortalitatem tenere, quàm immortalitatem aſſerere, cum tàm abſurda appendice tranſmigrationis animarum.*

Hoc enim turpius abſurdum putamus, vel ſaltem æquè turpe, & fidei noſtræ perniciоſius, quàm ſit ipſa mortalitas.

1. Defenſio. Si rationem propter quam ità dicunt, & putant, attuliſſent, rationem illam, vel authoritatem referrem. Locuti ſunt ad placitum ſuum. Reliquerunt mihi onus arguendi contra illorum ſententiam, non onus reſpondendi ad argumenta ipſorum, quæ nulla faciunt.

Rurſus ità ſcribunt contra me.

2. Offenſio. 1. *Nec dicat Ferchius id ſentire in ſententia Ariſtotelis, ſuppoſita mundi æternitate: non autem ſecundum veritatem.*

2. *Nam candidiores Philoſophi de mente Ariſtotelis immortalitatem animæ defendunt, vt in ſtatu ſeparationis beari poſſit. Sed hanc non aſſequitur, ſi ponatur immortalis, & ſeparabilis cum debito regrediendi ad corpora ſemper.*

3. *Atque ideò nihil refert animam ſtatuere immortalem, & ſeparabilem hoc modo, vel abſolutè mortalem.*

4. *Ad quid enim hæc immortalitas, quæ animam in ſtatu meliori non ponit, quàm mortalitas ipſa?*

5. *Sanè minimè opus erat, vt tam prolixa diſputatione Ferchius Alexandreos aſſertores mortalitatis animæ inſectaretur, ac redargueret, ſi adeò exilem, & ſeruilem immortalitatem ei adſcribere volebat.*

6. *Nam tandem dat eis manus ad deſtruendum alium animæ ſtatum, in quo rectè geſtorum præmia referat, malè verò pœnas luat.*

7. *Vnde ſatius fuiſſet, quòd cum eis in animæ mortalitatem con-*

ſenſiſſet, quàm cum Pythagoreis in eius regreſſum ad corpora.

8. *Fabuloſior ſiquidem eſt animarum circulatio, etiam in ſola corpora humana, quàm ipſa mortalitas.*

9. *Et vtique ex Philoſophia potiores rationes habemus, & ex Ariſtotele plura, ac manifeſtiora loca pro animæ mortalitate, quàm eius circulatione.*

2. Defenſio. lib. 2. nu. 48. Hæc ſunt Offenſorum dicta, etiam alijs locis inculcata. In quibus conſilium dant, vt potius teneam cum Alexandreis animam rationalem eſſe mortalem, quàm eſſe immortalem cum regreſſu in corpora humana; quoniam immortalitatem cum regreſſu magis perniciosam fidei catholicæ, quàm ſit mortalitas putant. Concludunt nihil referre, ſi ſtatuitur anima mortalis abſolutè, aut immortalis cum regreſſu in ſola humana corpora.

Deinde imponunt mihi, ſed falsò, quòd manum dederim Alexandreis ad deſtruendum alium animæ ſtatum; quòd locutus ſim non ex ſuppoſita mundi æternitate, ſed ſecundum veritatem. Sed hæc duo ſpectant ad meam priuatam perſonam. Ad cauſam fidei catholicæ tria ſunt conſideranda.

Primum eſt, quòd aſſerunt in verbis vltimò relatis. *Nos habemus ex Philoſophia potiores rationes pro animæ mortalitate.*

Secundum *Nihil refert ſtatuere animam abſolutè mortalem, aut immortalem hoc modo, ſcilicet cum regreſſu. Hoc enim turpius abſurdum, vel æque turpe putant.*

Tertium eſt *Pernicioſior eſt immortalitas cum tranſmigratione animarum, quàm ſit ipſa mortalitas reſpectu fidei catholicæ.*

Ad iſta intelligenda aduerto, quòd philoſophia præcisè, & ſimpliciter ſumpta, & philoſophia Ariſtotelis diſtinguuntur, & rectè ab iſtis Authoribus, tùm in loco nunc relato, tùm etiam inferius in eadem offenſione dicentibus. *Hæc igitur, & alia abſurda, quæ facilè conſideranti occurrent, ſequuntur in vera philoſophia, ac etiam Peripatetica ex animarum circulatione.* Hactenus illi. Differunt itaque philoſophia vera, quæ ſimpliciter eſt philoſophia, & philoſophia huius, & illius hominis, putà Platonis, vel Ariſtotelis. Quoniam philoſophia dicta ſimpliciter, ideſt ſine addito, ſolùm ea, quæ vera ſunt, approbat: quæ falſa ſunt,

repro

reprobat. Nihilque affirmat eſſe verum, quod fidei catholicæ repugnet. Quod namque fides catholica docet, ſine dubio eſt verum: quod philoſophia ſimpliciter item docet, eſt verum; at verum vero conſonat, non repugnat: Quocirca nihil poteſt eſſe verum in philoſophia, & falſum in theologia, vel è contra.

Hinc ſequitur, quòd quæcunque concluſio in philoſophia ex ratione naturali probatur eſſe vera, illa concluſio non poteſt eſſe contradictoria ſupernaturali theologiæ. Hæc rata ſint.

Philoſophia ſecundum quid ſiuè cum addito, huius, vel illius hominis poteſt approbare falſum, & reprobare verum ex errore hominis. Sic in philoſophia Platonis, ſic in philoſophia Ariſtotelis plura ſunt, quæ pugnant contra fidem catholicam. Qui errores non ex ratione philoſophiæ incurrunt, ſed ex errore humani ingenij, quod ex defectu ſuo quandoque approbat falſa pro veris, & reprobat vera pro falſis. Hoc apud omnes philoſophos eſt confeſſum, dum vnus contendit, alterum erraſſe: vnde natum eſt adagium. Facilius conuenire horologia, quā Philoſophos.

Hinc deducitur, quòd quæcunque concluſio eſt probata ratione in philoſophia ſimpliciter, illa concluſio eſt vera: quæ autem eſt probata in philoſophia alicuius hominis non ſemper eſt vera, neque ratio illius eſt vera; nam ratio ſophiſtica eſt, quæ concludit falſum: ſed ratio ſophiſtica non eſt ratio, niſi æquiuocè, ſicut homo mortuus eſt homo æquiuocè. Vnde reſtat, vt in vera philoſophia, & ſimpliciter dicta omnis ratio, vel ſit dialectica, vel demonſtratiua. Dialectica eſt impotentior, demonſtratiua eſt potior. Quando igitur Offenſores mei dicunt ſe habere rationes potiores pro mortalitate animæ intellectiuæ, aſſerunt illam propoſitionem, *anima intellectiua eſt mortalis* eſſe veram, & probatam demonſtratiuè. Hæc circa primum aſſertum illorum.

Quod attinet ad ſecundum, & tertium in Veſtigatione mea 6. num. 136, ſcripſi. *Illud moneo, nos quædam diſputare ex hypotheſi, quædam reſolutè. Reſolutè ſuſtineo in Ariſtotele, motum, ac mūdum non fuiſſe ab æterno: atq; adeo animas intellectrices cum corporibus incipere, cum corporibus tamen deſinentibus non deſinere, ſed perpetuas fore.*

 Hoc

Hoc reſolutè teneo: non quod Offenſores mihi attribuunt per calumniam, quòd ego ſuſtineam ſecundum veritatem animarũ circulationem.

Veſtig. 6. num. 136 *Ex ſuppoſitione poſſumus quærere, ſi Ariſtoteles poſuit ab æterno motum, & mundum: qua ratione ille commodiſsimè loqui potuerit iuxta ſua principia; in quibus principijs, vel placitis certiſsimum eſt contineri iſtud aſſertum: Anima eſt immortalis.*

Quapropter non reſolutè in Ariſtotele, nec reſolutè ſecundũ veritatem, vt Aduerſarij mihi imponunt, diſputo; ſed ſuppoſita mundi æternitate (pro vt multi putant ab Ariſtotele creditam) migrationem animarum de corpore humano in corpus humanũ Ariſtoteli tribuo, ſicuti ante me Eminentiſſimi Cardinales, atq; doctiſſimi Beſſarion, & Contarenus cenſuerunt, cum alijs pluribus. Vnde ſcribo ad numerum 145. *Etenim conceſſa motus æternitate, ineuitabile eſt non errare circa animam rationalem: quare aut neganda eſt æternitas motus cum Ariſtotele, aut ea data, minor error eſt Ariſtoteli adſcribendus. Quatenus ergo Philoſophus in 1. de anima 53. & 2. de anima 26. reprobat migrationem animarum, eam reprobo: quatenus non reprobat, ſequar.* Hinc naſcitur controuerſia, Vtrum mortalitas animæ rationalis ſit maior error in philoſophia, ſit pernicioſior hæreſis in theologia, quam migratio animarum de corpore humano in corpus humanum. Offenſores iudicant, magis pernicioſam eſſe immortalitatem animæ cum migratione animarum, quàm mortalitatem abſolutè, aut ſaltem æquè pernicioſam, & æquè turpem immortalitatem cum migratione, & mortalitatem abſolutè, ſicut Alexandrei ponunt. Ego verò longè minorem errorem in philoſophia, & longe minus pernicioſam hæreſim in theologia exiſtimo immortalitatem cum migratione in corpora eiuſdem ſpeciei tantùm, quàm ſit ipſa mortalitas. Sanè, vel ex ipſo authore opinionum fugienda magis eſt mortalitas. Author ſceleſtæ huius hæreſis, & erroris fuit Alexander Aphrodiſeus infidelis, & fidei Chriſtianæ aduerſarius. Authores meæ ſententiæ ſunt duo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, vita, doctrina, dignitate ſpectatiſſimi, præter alios duos Auguſtinum Eugubinum, & Andream Camutium ardentes fidei Chriſtianæ Zelatores: quemadmodum ex eorum li-

bris

bris patet. Declarato ſtatu controuerſiæ in tribus dictis, iam incipiamus ſuſceptam diſputationem.

CAPVT II.

Comparantur mortalitas Animæ, & immortalitas cum regreſſu adiuncto: & oſtenditur deterior eſſe mortalitas ex Concil. Lateranenſi.

AD cognoſcendum, vtrum pernicioſior ſit fidei catholicæ mortalitas animæ intellectiuæ, an immortalitas cum regreſſu in humana corpora tantùm: fundanda eſt comparatio harum rerum in decreto Sacri Concilij Lateranenſis ſub Leone decimo ſeſſ. 8. vt habetur tomo 5. Conciliorum, cart. 106. Itaque ex illo Concilio verba integrè huc transfero, & ſunt iſta. *Cum itaque diebus noſtris Zizaniæ ſeminator, antiquus humani generis hoſtis, nonnullos pernicioſiſsimos errores à fidelibus ſemper exploſos, in agro Domini ſuperſeminare, & augere ſit auſus: de natura præſertim animæ rationalis, quòd videlicet mortalis ſit, aut vnica in cunctis hominibus; & nonnulli temerè philoſophantes, ſecundum ſaltem philoſophiam verum id eſſe aſſeuerent, contra huiuſmodi peſtem opportuna remedia adhibere cupientes, hoc ſacro probante concilio damnamus, & reprobamus omnes aſſerentes animam intellectiuam mortalem eſſe, aut vnicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes: cum illa non ſolùm verè, per ſe, & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, ſicut in canone felicis recordationis Clementis Papæ quinti prædeceſſoris noſtri in generali Viennenſi Concilio edito continetur. Verùm & immortalis, & pro corporum, quibus infunditur, multitudine ſingulariter multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda ſit. Quod manifeſtè conſtat ex Euangelio, cum Dominus ait: Animam autem occidere non poſſunt. Et alibi. Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Et cum æterna præmia, & æterna ſupplicia pro merito vitæ iudicandis repromiſerit: aliàs Incarnatio; & alia Chriſti myſteria nobis minimè profuiſſent: nec reſurrectio expectanda foret, ac ſancti, & iuſti miſerabiliores eſſent (iuxta Apoſtolum) cunctis hominibus. Cumque verum*

mortalitas animæ eſt error.
1. Pernicioſiſſimus.
2. Semper exploſus.
3. Peſtis.
4. Damnatus.
5. Reprobatus.

6. Damnatiſſ. hæreſis. *rum vero minimè contradicat. omnem aſſertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omninò falſam eſſe definimus, & vt aliter dogmatizare non liceat, diſtrictius inhibemus: omneſq; huiuſmodi erroneis* 7. Deteſtabilis. *aſſertionibus inhærentes, veluti damnatiſſimas hæreſes ſeminantes,* 8. Abhominabilis. *per omnia, vt deteſtabiles, & abhominabiles hæreticos, infideles, catholicam fidem labefactantes, vitandos, & puniendos, fore decernimus.* 9 Hæreticalis. Hactenus Concilium.

10. Infidelis. Tres errores ſummus Pontifex damnat cum Concilio.

11. Fidei labefactans. Primus eſt, Anima rationalis eſt mortalis.

Secundus, Anima rationalis eſt vnica in cunctis hominibus.

12. Vitandus. Tertius, Duæ prædictæ aſſertiones ſunt veræ, ſaltèm in philoſophia.

13. Puniendus. Iam probo, vos Offenſores eſſe in hoc tertio errore. Quod enim ex principijs philoſophiæ, dictæ ſimpliciter probatur per rationes potiores, illud eſt verum, & per ſe verum, & neceſſarium, atque demonſtratum. Sed vos de vobis ipſis affirmatis diſtinguendo philoſophiam præcisè, & ſimpliciter à philoſophia Ariſtotelis. *Habemus rationes potiores in philoſophia pro mortalitate*, ergo mortalitas animæ rationalis ſecundum vos eſt vera in philoſophia ſimpliciter. Eſt veritas demonſtrata, neceſſaria, & per ſe vera. Quæ Concluſio tanquam hæreticalis eſt à Concilio damnata.

Amplius, quoniam mortalitatem animæ cum Alexandreis à me teneri optatis in Ariſtotele, & veluti ſalubrius conſilium ad eam adhortamini: obſeruo, Alexandrum Aphrodiſeum in homine vltra materiam ponere duas ſubſtantias, vnam, quæ eſt forma informans, & mortalis, atque iſtam appellat animam intellectiuam propter intellectum poſſibilem: alteram ſubſtantiam ponit eſſe intellectum agentem, & hunc immortalem, & vnicum in cunctis hominibus, qui fuerunt, qui ſunt, & qui erunt; quare & migrationem illius intellectus agentis de corpore hominis morientis in corpus hominis de nouo geniti docet. Quæ opinio in re non diſſidet ab opinione Auerrois: nam & ipſe ponit intellectum aſtantem eſſe vnum in omnibus hominibus, & de homine mortuo in recens genitum commigrantem: ponit & aliam formam hominis informatricem, & iſtam mortalem. Differunt

ferunt autem aliquo modo, quoniam ille vnicus intellectus aſſiſtens toti ſpeciei humanæ apud Alexandrum eſt Deus, apud Auerroẽ eſt aliud à Deo: Sed tamen conſpirant in vnitate intellectus. Formam informantem Alexander appellat animam intellectiuam, Auerroes cogitatiuam: conueniunt tamen in mortalitate formæ conſtituentis hominem, quæ in rei veritate eſt anima intellectiua.

Quapropter in hac opinione veſtra, Offenſores mei, ambas hæreſes à ſummo Pontifice, & à Concilio generali damnatas mihi offertis, quando ad mortalitatem cum Alexandreis tenendam adhortamini. Itaque tres iſtas hæreſes damnatiſſimas incurritis, quarum tertia eſt propria veſtra, dum rationes potiores reperiri pro mortalitate aſſeritis, pro qua reperiri non poſſunt, niſi ſophiſmata. Duæ priores ſunt Alexandreorum, quas mihi tenendas ſuadetis. At opinio de immortalitate animæ quã ego in Ariſtotele teneo, libera eſt à duabus damnatiſſimis hæreſibus, teneo enim immortalitatem animæ, non mortalitatem, teneo multitudinem quàm maximam animarum, non vnicam animam: atq; circulationem, ſeù regreſſum in corpora eiuſdem ſpeciei, apertiſſimè dixi eſſe errorem, & abſurdum Veſtigatione 6. num. 135., & num. 145. & ſecundum veritatem negandam, num. 131. Neq; dixi hoc poſſe probari rationibus, vel potentibus, vel potioribus in philoſophia. Immò dixi reſolutè loquendo, quòd nec in philoſophia Ariſtotelis hunc errorem admitto, ſed ſolùm conditionatè, ſi ſupponatur æternitas mundi: tunc enim danda eſt circulatio animarum in corpora humana tantùm.

Hinc eluceſcit nitida comparatio. Mortalitas animæ, vt à vobis ponitur, tres hæreſes pernicioſiſſimas, & damnatiſſimas continet: mea opinio, nullam iſtarum, ergo veſtra opinio de mortalitate animæ eſt pernicioſior fidei catholicæ.

Prima ratio probans mortalitatem animæ perniciosiore eſſe.

Præterea titulos, quibus Conciliũ Lateranenſe mortalitatem animæ rationalis notat, animaduerto, pro vt in margine adnotatum eſt.

Mortalitas animæ rationalis eſt error pernicioſiſſimus.

Semper exploſus à fidelibus.

Peſtis

Peſtis.
Damnatus.
Reprobatus.
Damnatiſſima hæreſis.
Deteſtabilis.
Abominabilis.
Hæreticalis.
Infidelis.
Fidem labefactans.
Vitandus.
Puniendus.

Oſtendite mihi ex aliquo Concilio generali, vel ex aliquo Pontificio decreto, Immortalitatem animæ intellectiuæ cum regreſſu in corpora humana eſſe tot infamibus titulis notatam: tuncque concedam, quòd immortalitas cum regreſſu ſit perniciosior contra fidem catholicam, quàm ſit mortalitas. Vos oneraſtis opinionem meam titulis, quòd ſit tàm abſurda, & abſurdior, quàm mortalitas, turpius abſurdum, perniciosius fidei; ſed vos non eſtis ſummus Pontifex, neque Concilium. Immò Concilium non modò perniciosiorem, ſed pernicioſiſſimam vocat mortalitatem animæ rationalis, & verè eſt peſſima omnium opinionum, quæ de anima haberi poſſunt.

2. *ratio.* Secundò probo, mortalitatem eſſe deteriorem ſic. Illa hæreſis, quæ expreſsè damnata eſt à ſummo Pontifice, & à Concilio generali pernicioſior eſt, & fidei, & fidelibus, quàm ſit illa, quæ non eſt expreſsè damnata. Eſt enim prior aſſertio multò impudentior contra fidem, & caput fidelium. Mortalitas animæ rationalis, & vnitas intellectus in cunctis hominibus ſunt duæ hæreſes expreſsè damnatæ à ſummo Pontifice, & Cōcilio generali, vt iam relatum eſt. Regreſſus animarum rationalium in corpora humana tantùm, non reperitur expreſsè damnatus. Etenim Alphonſus de Caſtro aduerſus hæreſes titulo *Anima*, hæreſi octaua proponit opinionem Pythagoræ transferentis animam rationalem in corpus alterius ſpeciei etiam, vt bruti, vel plantæ: & contra illam hæreſim nullum decretum Pontificium, nullum decretum Concilij affert. Ita quoque Cardinalis

nalis Toletus ad finem prolegomenorum in primum de anima memorat hanc hæreſim de translatione animæ rationlis ex corpore in corpus cuiuſcunque ſpeciei, neque affert contra illam hæreſim aliquod Concilium, vel decretum Pontificis. Sic neq; Prateolus in hæreſi Albanenſium. Qui ſi habuiſſent tale decretum Pontificis, aut Concilij, non erant omiſſuri illud in confutanda hæreſi. Si ergo tranſmigratio in corpus cuiuſcunque ſpeciei non inuenitur expreſsè damnata: multò minus erit expreſsè damnatus error de regreſſu animæ immortalis in corpus eiuſdem humanæ ſpeciei ſolius. Non igitur æquè perniciosa eſt mortalitas animæ ex vna parte, & immortalitas cum regreſſu ex altera parte, ſed longè perniciosior, & impudentior eſt mortalitas animæ rationalis.

Tertia ratio. Error expreſſè repugnans expreſſo conſenſui ſanctorum Patrum eſt magis pugnans contra fidem, quàm error, contra quem non reperitur conſenſus Patrum. Contra mortalitatem animę conſenſus Patrum expreſſus eſt, & collectus eſt apud Iodocum Coccium in theſauro cath. tomo 2. lib. 1. de natura homins art. 2. toto ad cart. 15. vbi oſtendit ab exordio Eccleſiæ vſque ad noſtra tempora conſenſum Patrum, & græcæ, & latinæ Eccleſiæ pro immortalitate animorum contra mortalitatem. Sed & in Articulo primo eiuſdem libri plures adſunt authoritates Patrum ad idem. At contra regreſſum animæ rationalis immortalis in corpora cuiusuis ſpeciei Alphonſus, atque Toletus locis ante relatis vnum tantum citant, S. Athanaſium. Iodocus verò lib. de natura hominis indicato art. 1. etiam affert S. Gregorium Nyſſenum addo ego S. Epiphanium hæreſi 5. Igitur multò magis, & Sanctæ Eccleſiæ, & Sanctis Eccleſiæ Patribus repugnat mortalitas quæ ſemper exploſa eſt à fidelibus, teſte Leone 10. quàm repugnet immortalitas cum regreſſu in corpus humanum; quę à nullo Patrum exploſa eſt, dum ſola ponitur, ſed à duobus, vel tribus reijcitur, dum ponitur ſimul regreſſus in corpora humana, & beſtiarum, & plantarum. 3. ratio.

CAPVT III.

Rationes Concilij Lateranenſis contra mortalitatem animarum conferuntur cum regreſſu.

SAcrum Concilium Lateranenſe non ſolùm reprobauit damnatiſſimam illam animæ mortalitatem: verùm etiam probationes attulit, quibus appareat iuſtiſſima eſſe ſententia Concilij.

Primo loco profert Concilium ſacras ſcripturas contra mortalitatem animę intellectiuę. Ex quo loco catholico formo quartum argumentum demonſtratiuum, quòd mortalitas animę ſit pernicioſior, quàm immortalitas cum regreſſu in corpora humana ſola.

4. ratio. Ille error, qui in ſacra ſcriptura immediatè, & expreſſè damnatur, atquè, vt aiunt, formaliter excluditur, longè deterior eſt, quàm error non immediatè, non expreſſè, non formaliter, ſed virtualiter tantùm excludendus.

Sed mortalitas animę intellectiuę plurimis locis veteris, & noui teſtamenti reprobata eſt immediatè, & formaliter.

Probo ex Veteri.

GEneſi 37. *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum.*

Iob 21. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.*

Eccleſ. 12. *Puluis reuertatur in terram ſuam, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.*

Baruch 3. *Exaudi preces mortuorum Iſrael.*

2. Machabeorum 12. *Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.*

Sapient. 3. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis, & cæt.*

Sapient. 2. Inducuntur mortalitatis aſſertores dicentes. *Ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus, quaſi non fuerimus.* Suppo-

ſita

ſita mortalitate, cum Epicuro pariter concludunt. *Venite ergo, fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creatura, tanquàm in iuuentute celeriter. Vino pretioſo, &c.* Atqui Sapiens illos ſanctiſſimè redarguit, inferens. *Hæc cogitauerunt, & errauerunt, neq; mercedem ſperauerunt iuſtitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarum. Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, ad imaginem, &c.* Creauit inexterminabilem, ſcilicet, ſecundum animam; & pulchrè ſapiens docet, mortalitatis aſſertores, nec ſibi ſperare mercedem iuſtam, neque animabus ſanctorum cultum exhibere, cum eas, ſcilicet, non credant reperiri. Sed qui legerit attentè illud capitulum, inueniet, hunc errorem de mortalitate animæ potiſſimùm egiſſe radicem in illis, qui Chriſtum Dominum Dei filium morti turpiſſimæ addixerunt: nam ex immaniſſima hæreſi immaniſſima ſcelera profluunt, deſperatio ſalutis propriæ, contemptus ſanctorum, Chriſti Domini odium atrociſſimum.

Ex nouo Teſtamento.

MAtthæi 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.*

Lucæ 12. *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent amplius, quid faciant. Oſtendam autem vobis, quem timeatis; timete eum, qui poſtquam occiderit, poteſt mittere in gehennam.*

Ioannis 12. *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.*

Apocal. 6. *Vidi ſub altare animas interfectorum propter verbũ Dei.*

Philippenſes 1. *Deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto.*

2. Cor. 5. *Dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino: audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe apud Deum.*

Hæc pauca ex plurimis, quæ poſſent afferri, ſatis reuincunt mortalitatem animæ immediatè, & formaliter refragari ſacræ ſcripturæ.

Sed contra ponentes immortalitatem animæ cum regreſſu in corpus vel hominis, vel beſtiæ, vel plantę, nullum ſcripturæ locum attulerunt Caſtrenſis, vel Toletus, vel Iodocus. Sed ſolum rationes naturales qualeſcunque ergo multo magis eſt contra Chriſtianam fidem, & fidelibus pernicioſa magis eſt mortalitas animorum, quàm immortalitas cum regreſſu.

Deinde Concilium Lateranenſe arguit ex iuſtitia retributiua Dei, quoniam ſcriptura ſacra repromittit æterna præmia, & pœnas æternas pro merito vitæ.

5. ratio. Exquo loco quintum promo argumentum. Ille error eſt pernicioſior contra fidem catholicam, qui omninò negat poſt hanc vitam pręſentem, præmium, & pœnam, & æternam, & temporalem: quàm qui omnia iſta non negat. Mortalitas autem animæ rationalis ſecundum Alexandreos omninò negat poſt hanc vitam præmium, & pœnam, ſiuè hæc ſint æterna, ſiuè tēporalia. Sed animæ immortalis regreſſus in corpus non negat eſſentiam præmij, & pœnæ; ſed ſolùm durationem æternam: & in hac negatione eſt error natus propter mundi æternitatem. Igitur longè pernicioſior eſt mortalitas animæ, quàm regreſſus.

Dices, quomodo diſtinguuntur hæc duo, retributio iuſta, & duratio æterna?

Reſpondetur, facillimè cognoſcitur diſtinctio; nam pœna iuſta poteſt eſſe, ſed temporalis; ergo aliud eſt iuſta pœna, aliud æternitas pœnæ. Sic dico de præmio.

Præterea Scotus in 4. diſt. 49. quæſt. 6. N. quærit, vtrum duratio perpetua ſit de ſubſtantia pręmij. Et reſpondet loquendo de ſtricta iuſtitia, *Deus nulli noſtrum propter quæcunq; merita eſt debitor perfectionis reddendæ tàm intenſæ propter exceſſum illius perfectionis vltra illa merita. Sed eſto, quòd ex liberalitate ſua determinaſſet meritis conferre actum tàm perfectum, tanquàm præmium, tali quidem iuſtitia, qualis ſcilicet decet eum, ſcilicet ſupererogantem in præmijs. Tamen non ſequetur ex hoc neceſſariò, quòd per illam iuſtitiam ſit reddenda perfectio perennis, tanquàm præmium; immò abundans retributio fieret in beatitudine vnius momenti.* Et ibi ſtatuit viſionem, & fruitionem Dei ex iuſtitia dari; ſed perpetuitatem ſuperaddi ex liberalitate. Idem proportionaliter do-

cet de pœnis. Sanè beatitudo eſt permanens, cuius eſſentia in inſtanti tota eſt. Duratio autem eſt extrinſeca tanquam accidens per accidens, ſiuè ſit æuum, ſiuè tempus.

Tunc ad propoſitum. Si anima poſt mortem hominis corrumpitur, impoſſibile eſt, vt præmium temporale, aut æternum, pœnam temporalem, aut æternam ſubeat; quarè in mortalitate animæ quatuor negantur veritates catholicæ, eſſe ſubſtantiale animæ poſt mortem, duratio perpetua in eſſe ſubſtantiali, eſſe eſſentiale præmij, & pœnæ, atque duratio quæuis, vel pęnæ, vel præmij. Ex quibus D. Ioannes Chryſoſtomus homilia quarta de prouidentia, vt notat Melchior Canus lib. 12. de locis theologicis cap. 15. cart. 895. infert ex mortalitate negari Dei prouidentiam erga homines: & hęc eſt quinta hæreſis adiuncta, vt mortalitas animorum, & honorem Deo eſſentialem, & animę ipſi eſſentiale, & accidentale auferat. Aſt animę immortalitas non ponit primã hęreſim, vel ſecundam, nàm poſt obitum hominis concedit eſſe ſubſtantiale ipſius animę, & perpetuam durationem ipſius eſſe. Non negat beatitudinem, vel miſeriã animę ſeparatę quò ad ſubſtantiam pręmij, vel pœnæ, neque in Veſtig. 6. vnquam negaui hoc, immò num. 99. indicaui terminum pulcherrimum ipſius animę eſſe Deum. Quarè neque ex neceſſitate intuli vnquam, Deum non habere prouidentiam erga homines: ſolùm durationem pręmij, & pœnæ perpetuam ponere non potui propter æternitatem motus ſuppoſitam. Quocirca mortalitas animæ ſecum affert quinque hęreſes narratas, immortalitas cum regreſſu, ſolum vnam ex iſtis. Deterius eſt totum, quàm vna pars ſola in malis: ergo deterior eſt mortalitas, quàm regreſſus cum immortalitate.

Adde ſextum argumentum. Si namq; Deus neque præmiũ, neque pœnam poſt hanc vitam poteſt ipſi animæ rationali retribuere, ergo neque in hac vita poterit anima meritum vel demeritum habere. Igitur mortalitas negat meritum, & demeritum, præmium, & pœnam: regreſſus in corpora eiuſdem rationis hęc non neceſſariò negat. Immò ſi quodcunque meritum huius vitę, beatitudine vnius momenti poteſt compenſari abundanter, quantò magis poterit beatitudine per multa ſęcula con- 6. ratio

tinuata

tinuata in ſtatu ſeparationis? Quinimò in regreſſu ad corpus nouum poterit cum Ariſtotele ſeruari iuſtitia Dei, vt animę iuſtę in corpus regredienti, detur corpus benè diſpoſitum ad ſcientias, & virtutes: offerantur eidem animę probi amici, opes moderatę, honores ampli, quibus, ſi iuſtè vtatur, accumulet ſibi maiora pręmia. Hoc in ſanctorum votis eſſe D. Auguſt. ſermone 44. de ſanctis affirmat. *Si millies*, inquit, *poſſet mori, non putabat ſe hanc dignè poſſe aliqua ratione promereri*. Ea propter ſi in malis minus malum eſt habere partes, quam totum: minus cum fide repugnat vna hęreſis in accidente ſolo durationis, quàm ſex hæreſes, quarum illa vna eſt modica pars.

Sextò Concilium ſubdit tertiam rationem contra mortalitatẽ animorum his verbis. *Aliàs incarnatio, & alia Chriſti myſteria nobis minimè profuiſſent*.

7. ratio. Rationem ad propoſitum erigo. Illa aſſertio, quæ funditus tollit, & fidem catholicam, & Authorem fidei Chriſtianę, pernicioſior eſt, quàm quę non facit hoc; Atqui mortalitas ab Alexandreis accepta eſt huiuſmodi, immortalitas cum regreſſu nequaquam. Mortalitas ergo eſt pernicioſior, & ſimpliciter pernicioſiſſima. Probatur minor. Qui firmiter crediderit, quòd anima rationalis eſt mortalis, quodque hęc aſſertio eſt probata potioribus rationibus in philoſophia ſimpliciter dicta, is philoſophus audiens Chriſtũ dicentem animam non poſſe occidi, ſtatim iudicabit Chriſtum eſſe mendacem, qui dicat non poſſe occidi animam, quæ in dies ſingulos occidit cum corpore, & cum interfectione corporis interit. Audiens item Chriſtum promittentem præmia, vel comminantem pœnas poſt hanc vitam, mendacem, & ſeductorem aſſirmabit, qui ſpe falſorum bonorum ſuos credentes priuet veris, & ſolis bonis præſentis vitæ: timore falſorum malorum vera mala, quæ præſentia ſunt, ſubire doceat: atque hoc inſigni mendacio ſe, & ſuos infamiſſimæ, & atrociſſimæ morti dedat. Si autem Chriſtus eſt mendax, & mendacij conuictus, non ei credendum eſt, dum mentitur ſe eſſe Filium Dei, vel natum de Virgine, vanaque eſt fides catholica.

Vana, quòd ſit crucifixus, & mortuus pro ſalute hominum.

Immò

Immò mortuus dicetur propter delictum grauiſſimum de immortalitate prædicata, quo magnam vniuerſi partem ſeduxit.

Vana fides, quòd anima eius deſcenderit ad inferos, vel redierit in corpus proprium: vel quòd in anima, & corpore aſcenderit ad cælos.

Vana, quòd ipſe iam deſtructus, ſit iudicaturus, quodq; mortui iam & anima, & corpore ſint iudicandi: immò hoc eſt figmentum monſtruoſiſſimum contra veritatem demonſtratam, quòd anima ſit mortalis, quòd mortui non reſurgant.

Vana fides de locis animarum poſt mortem, cum enim animæ non ſint: nec poſſunt habere paradiſum, nec purgatorium, nec limbum, nec infernum.

Denique vana eſt fides de remiſſione peccatorum in ſalutem animæ.

Vana ſunt figmenta, quæ dicuntur ſacramenta: hæc enim apponuntur corpori, vt proſint animæ ad ſalutem perpetuam, vti breuiter Tertullianus in lib. de Reſurrectione carnis. *Caro abluitur, vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt anima conſecretur. Caro ſignatur, vt anima muniatur. Caro manus impoſitione adumbratur, vt anima ſpiritu illuminetur. Caro corpore Chriſti, & ſanguine veſcitur, vt anima de Deo ſaginetur.* Hæc omnia vana ſunt, quæ animæ nihil proſunt.

Poſtremò Eccleſia non eſt conuocatio hominum ſanctorum; ſed hominum, qui ſeducti ſunt, & ſeducunt ſe ipſos, atque alios, ac priuant ſe bonis præſentibus, & futuris. Exilia, tormenta, mortes, denique mala omnia, & miſerias tolerant, vt rectè Apoſtolus dixerit, *ſi in hoc mundo tantùm ſperantes ſumus in Chriſto, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Acutè Melchior Cano dixit, qui nō credunt animæ immortalitatē, eos neq; Euangelio, neque ſcripturis credere. Ego verò exiſtimo, eos neq; Deo credere, neque Deum: ſed ex anima mortali proximum eſſe lapſum ad tyranidem contra homines, ad atheiſmum contra Deum. Regreſſus autem animæ immortalis in corpora non aufert cognitionem ſubſtantiæ ſeparatæ, qualis eſt Deus, immortalis, & inuiſibilis: non aufert ſpem futuri boni, vel timorem futuri mali, immò diſponit ad iſta: non conuincit Chriſtum, & Chriſtianos

1. cor. 15.

men-

mendacij, ſed confirmat veracitatem, quòd anima non poteſt occidi, atque ideò diſponit ſaltem remotè ad myſteria chriſtiana recipienda.

7. Concilium Lateranenſe adiungit. *Nec reſurrectio expectanda foret*. Vt autem hoc argumentum intelligatur, noto duobus modis poni poſſe mortalitatem animę.

Prima ſpecies huius hęreſis eſt, quòd anima ſimul moriatur cum corpore, ſed ſimul cum corpore ſit reſurrectura. Quæ fuit hęreſis Arabicorum ex Auguſtino de hęreſibus cap. 86. Caſtren. tit. *Anima*, hæreſi 7. Prateolo verbo *Arabici*.

Secunda ſpecies eſt, quòd anima moriatur ſimul cum corpore, & neutrum vnquam reſurgat. Hæc hæreſis in veteri teſtamento fuit Saduceorum Matth. 22. In nouo teſtamento fuit Hermanni RiſuiK Holandrini, qui & propter hanc hæreſim, & alias ſimiles combuſtus eſt. Alexandrei, & vnuerſaliter Ariſtotelici tenent, ſemel corruptum non poſſe idem numero reparari.

Caſtrenſ. tit. Anima.

Hanc ſpeciem damnat Conciliũ Lateranenſe, nam ex Ariſtotelis gymnaſio ſunt, qui tenent mortalitatem animæ, & vnitatem intellectus: & hi reſurrectionem vniuerſaliter negant, tùm Chriſti reſurrectionem vt capitis, tùm etiam aliorum hominum, qui ſub Chriſto ſunt. Mortalitas animæ rationalis propter hoc aufert etiam iſtos articulos fidei, & prorſus vanam facit fidem catholicam. Dicente Apoſtolo in 1. Cor. 15. *Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra.*

Regreſſus verò, vel migratio animæ tationalis in corpus, tribus modis poteſt contingere.

Primus eſt, quòd intellectiua exiens de corpore humano reuertatur in corpus quoduis, vel eiuſdem, vel alterius ſpeciei, vt in corpus beſtiæ, vel arboris. Quam opinionem Pythagoras ponebat. Et hæretici Albanenſes eam tenuerunt ex Caſtro tit. Anima, hæreſi 8. & ex Prateolo vocabulo Albanenſes. Caſtro tribuit etiam hanc hęreſim Albigenſibus, ſed in vocabulo *Albigenſes* Prateolus diſcors videtur. Gnoſticis, & Manichęis impingit eundem errorem Iodocus in theſauro catholico tom. 2.

cap.

cap. 1. S. Epiphan. hęreſi 5. Stoicis aſcribit.

Secundus modus eſt ponere animam intellectiuam migrare de vno corpore humano in aliud corpus humanum. Quæ ſententia eſt error; ſed apud collectores hæreticorum, vel hæreſum non inuenio aliquem eſſe iſtius erroris inſimulatum.

Tertius modus eſt, vt anima intellectiua migrans de corpore humano vno reuertatur in idem corpus numero, ſicut anima Lazari Ioann. 11. redijt ad proprium corpus. Qui regreſſus eſt de fide catholica, & in Chriſto, & in omnibus per Chriſtum 1. Corinth. 15. *Per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum: & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.*

Nunc duo ſunt argumenta. Aſſertio deſtruens articulum de reſurrectione Chriſti, & articulum de reſurrectione carnis vniuerſaliter, & conſequenter deſtruens articulum de vita æterna, eſt pernicioſior, quàm quæ non deſtruit; ſed mortalitas animæ ab Alexandreis poſita deſtruit hos tres articulos ex authoritate Concilij Lateranenſis. Immortalitas animæ cum regreſſu in corpus non deſtruit hos tres articulos, immò accedit ad fidẽ de reſurrectione; ita vt Offenſores mei, vel decepti, vel decipientes dixerint, à me poni, quòd per regreſſum eiuſdem animæ in corpus poſuerim, poſſe reparari idem corpus numero, & eundem numero hominem, & hoc naturaliter. Quod certè non dixi; nam cum Ariſtotele loquens, debeo dicere, quod ſemel deſtructum eſt, poſſe redire idem ſpecie naturaliter, non poſſe redire idem numero. An autem ſupernaliter id fieri poſſit, Ariſtoteles dicere non potuit. Alexandrei verò noſtri neque naturaliter, neque ſupernaturaliter id fieri poſſe, tenent. 1. ratio.

Verum eſt tamen, quòd ponens regreſſum in aliud corpus numero, facilè concedet regreſſum in idem corpus numero, & eiuſdem rationis. Quoniam eiuſdem formæ ſpecie ad eandem materiam ſpecie eſt eadem per ſe proportio, ſeù ratio. Ad hanc, vel illam materiã ſolo numero differentem, eſt per accidens determinatio ex D. Bonau. in 4. diſt. 43. quæſt. 5. & Ricardo diſt. 43. art. 1. quæſt. 3. At verò magis hoc Durandus aſſeret, qui nullam de materia rationem habet, immò ſi eadem numero for-

ma ſit, putat quamcumq; materiam, vel materiæ portionem eſſe eandem materiam numero, 4. diſt.44. quæſt. prima: quare opinio de regreſſu magnoperè diſponit ad fidem de reſurrectione: mortalitas animæ Alexandreorũ ſpem omnem reſurrectionis excludit. Atrocior ergo, & peſtilentior eſt mortalitas animæ.

8. principalis. Secundò, & erit octauum principale. Illa eſt aſſertio perniciosior in fidem catholicam, quæ & ſecundũ genus, & ſecundum omnes ſpecies fidei aduerſatur, quàm, quæ neque ſecundũ genus, neque ſecundum omnes ſpecies opponitur fidei, ſed ſecundum vnam ſpeciem eſt hæretica, ſecundum aliam eſt catholica, ſecundum tertiam media eſt. Mortalitas animæ intellectiuæ in genere, & in omni ſpecie hæretica eſt, damnata eſt, fidei deſtructiua eſt. Immortalitas cum regreſſu in corpus non eſt in genere damnata, neque in omni ſpecie: ſed in prima ſpecie, vel modo ſuperius dicto de regreſſu in corpus cuiuſcunq; ſpeciei, eſt hæretica: in tertia ſpecie de regreſſu in idem corpus numero, eſt de fide catholica: in ſecunda ſpecie de regreſſu in idem ſpecie, non numero corpus, medio modo ſe habet. Quia de facto Deus non ponit animam vnam in plura corpora, nec ſimul, nec ſucceſſiuè; ſimpliciter tamen poteſt ponere in plura corpora diuiſim, ac ſucceſſiuè.

Quocirca multi Theologi, qui negant de facto fuiſſe Mundum ab æterno, ſed aſſerunt de poſſibili, quòd potuit eſſe ab æterno; volentes declinare infinitam multitudinem actualem animarum, dicunt, Deum in tali caſu inſtituturum fuiſſe diuerſum ordinem rerum, vnde vel eadem anima in plura corpora poneretur ſucceſſiuè: vel animæ ſucceſſiuè annihilarentur, cum ſint ſuaptè natura immortales, vel generatio hominum ab æterno non fuiſſe futura. Annihilatio animæ non placet mihi, ſicut neque mortalitas. Suppoſito itaque quòd mundus fuiſſet factus ab æterno, Deum fuiſſe translaturum animam de vno corpore in alterum corpus, vti Plato dicebat, tenent.

Argentina 2. diſt. 1. quæſt. 2. art. 2. ad 11.
Ferrara contra gentes lib. 2. cap. 81.
Gregorius de Valentia tomo primo diſp. 3. col. 828.
Herueus 2. diſt. 1. quæſt. 1. apud Toletum 8. phyſ. quæſt. 2.

Hi

Hi Theologi, & alij cum eis agnoſcunt non pugnare cum ratione animæ intellectiuæ, aut cum ratione diuinæ iuſtitiæ regreſſum animarum in corpus eiuſdem ſpeciei, ſed numero diuerſum. Nec eſt mirandum, quoniam beatitudo duplex eſt, vel æterna, vel ad tempus; & beatitudo ad tempus tantæ eſt dignitatis, vt vel vnico momento data, ſit retributio nedum ſufficiens, ſed etiam abundans ſuper omnia merita humana. Igitur hi catholici theologi data ſuppoſitione, quòd mundus ſit æternus, putant eſſe probabilem opinionem, quòd animarum circulatio detur in corpora humana tantùm: ſed mortalitatem, nunquã in anima intellectiua probabilem eſſe dicunt, aut volunt.

CAPVT IV.

Alijs etiam rationibus probatur deterior eſſe mortalitas animæ immortalitate eiuſdem cum regreſſu.

NOno pricipaliter argumentor. Si anima intellectiua interit ad interitum totius, ſicut cæteræ formę intereunt: ſimiliter anima intellectiua generabitur ex ſemine, & maſculo, ſicut cęteræ animæ, neque erit anima intellectiua facta de nihilo à Deo ſolo: pręſertim apud Alexandreos negantes factionem ex nihilo. Etenim quod non eſt deſtructibile, niſi per annihilationem, non eſt producibile, niſi per creationem, vt ſcholaſtici volunt; atqui mortalitas animę intellectiuę ponit animam corrumpi, ſicut cęterę formę corrumpuntur, & non ponit annihilari animam, nàm & ſecundum veritatem à Deo non annihilatur, igitur mortalitas etiam errat in origine animæ, à quo errore longè abeſt immortalitas cum regreſſu. 9. ratio.

Decimò, Mortalitas Alexandreorum, præter corpus ponit in homine duas ſubſtantias ex parte actus, vnam informantẽ, quæ eſt corruptibilis, & non migrat de corpore in corpus: quę item multiplicatur ad multitudinem corporum. Alteram aſſiſtentem, quæ eſt immortalis, vnica in omnibus hominibus, & migrat de corpore in corpus. 10. ratio.

Quæro iam, an Offenſores præter animam informantem, &

mortalem, teneant cum Alexandreis, & alijs Peripateticis aliquid immortale in homine, an non? Si non ponunt aliquid immortale, tenent opinionẽ peiorẽ, quàm omnes alij Peripatetici, Quoniam omnes Peripatetici, quos legerim, vel audiuerim. conuicti authoritatibus Ariſtotelis aliquid immortale ponunt in homine. Hoc eſt ſignum manifeſtum, quòd Ariſtoteles poſuit animam intellectiuam eſſe immortalem. Cum enim nunquã in Ariſtotele legamus, quòd homo conſtet, niſi ex anima, & corpore, ſcilicet, ex forma, & materia; poſuit autem Ariſtoteles conſtanter in homine aliquid immortale, & æternum: illud immortale eſt anima intellectiua; nàm corpus manifeſtè eſt corruptibile, & mortale. Verùm Offenſores mei ad Alexandreorum opinionem hortantur, dicentes, ſatius fuiſſe cum Alexandreis conſentire in animę mortalitatem abſolutè. Quarè cum Alexandreis tenent vnum intellectum in cunctis hominibus, & migrationem illius intellectus de corpore humano in corpus humanum.

Corollarium eſt. Offenſores incidunt in regreſſum animorum, quem fugiunt; & ponunt immortalitatem intellectus cum regreſſu, qui eſt error ille, quem damnant: & magis perniciosũ, quàm mortalitatem animæ iudicant: & prǽtereà ponunt mortalitatem animæ, ponunt vnitatem intellectus, ponunt duas ſubſtantias in homine ex parte animæ. Plures errores ponunt, 1. animæ mortalitatem 2. intellectus vnitatem, 3. dualitatem formarum vitalium, 4. migrationem intellectus. At verò immortalitas cum regreſſu, pro vt ponunt Beſſarion, & Contarenus ex ſuppoſitione æternitatis mundi cum præcitatis authoribus, ponit ſolùm regreſſum, ergo pauciores errores contra fidem, immò vnum ſolum errorem ponunt ex tàm multis poſitis ab Alexandreis offenſoribus.

11. ratio. Vndecimò, Ex intellectualitate, & libertate infertur in principio intelligendi, & volendi eſſe immortalitas. Ità quidem inferunt Apoſtoli in conſtit. Apoſtolicis lib. 6. cap. 11. cart. 113. in 1. tomo Conciliorũ. *Animam in nobis confitemur expertem corporis, & immortalitate præditam: neq; interitu deleri, vt corpora: ſed immortalem eſſe, vt potè rationis participem, & ſui compotem*

Sini;

Similiter, & in Deo, & in Angelis ex intellectualitate vt prædicato quidditatiuo concluditur immortalitas: quarè eodem modo in anima intellectiua concludetur. Sed ex negatione conſequentis ad negationem antecedentis eſt bona conſequentia: igitur ex negatione immortalitatis in anima humana ſequitur, quòd anima hominis non ſit rationis particeps, neque libera, vel ſui compos. At iſtæ ſunt duæ hæreſes, vna Lutheri, & Caluini negantis liberum arbitrium in homine: altera beſtialis, quæ negat homini intellectum contra ſcripturam dicentem Pſalmo 31. *Nolite fieri, ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus.* Qui ergo æquiparat hominem beſtijs in animę mortalitate, æquiparat etiam in irrationalitate, & conſtituit hominem vnam malam beſtiam eſſe, vel potius ipſe eſt mala beſtia, qui hoc aſſerit. Perniciosior eſt igitur mortalitas, quàm immortalitas cum regreſſu, quę ponit animam eſſe rationalem, & à beſtijs diſtinguit hominem.

Duodecimò, S. Auguſtinus tres rerum gradus ponit in 2. de libero arbitrio cap. 3. to. 1. & 83. quęſt. quęſt. 51. to. 4. Eſſe, Viuere, Intelligere: qui gradus diſtincti in creaturis, ſunt idem in Deo ex eodem Auguſtino tomo 3. lib. prętitulato quęſtiunculę excerptę de Trinitate. Mortalitas animæ poſt hominis mortē rapit ipſi animæ intellectiuæ omnes hos gradus, rapit perpetuitatem iſtorum graduum: immortalitas cum regreſſu in corpus neminem aufert ex iſtis gradibus, immò concedit gradus omnes, & perpetuitatem in eis. Peior ergo eſt, & perniciosior, & contra philoſophiam naturalem, & contra Theologiam ſupernaturalē mortalitas. 12. ratio.

Immò S. Auguſtinus in 3. de libero arbitrio cap. 5. ait *Quapropter non te moueat, vt quod tàm vituperentur animæ peccatrices, vt dicas in corde tuo, melius fuiſſe, ſi non eſſent.* Et ibi plura. Scotus diſt. 50. quęſt. 2. magis appetit eſſe in pœnis, quàm non eſſe. Igitur ex D. Auguſtino melius eſt, ſi anima ſit, etiam ſi ſit in peccato, & damnatione: quàm ſi non ſit vllo modo. Quocirca immortalitas cum regreſſu, ſiuè ponat animam cum beatitudine, ſiuè cum miſeria actualis culpæ, & pœnæ, ſiuè in neutro ſtatu, ſed in puris naturalibus, qualis eſt in infantia hominis,

minus

minus malum ponit, quàm mortalitas.

13. ratio. Tertiodecimò, Hinc ex 3. Top. loco 8. arguere licet. *Quod ſimpliciter bonũ eo, quod alicui bonum, eligibilius.* Immortalitas verò eſt omnibus animabus rationalibus bona: immortalitas cũ felicitate perpetua non omnibus animabus, ſed animabus iuſtis; eligibilior ergo eſt immortalitas, mortalitas fugibilior.

Quod ineſt per ſe ſecundo modo, eſt & magis neceſſarium, & melius eo, quod per accidens ineſt. Immortalitas ex ſui natura, & ſaltem per ſe ſecundo modo, & neceſſariò competit ipſi animæ intellectiuæ; beatitudo eſt accidens per accidens, nam & ſecundum plures Theologos ad beatitudinem ſupernaturalem nõ eſt inclinatio naturalis. Beatitudo verò naturalis, quam ſolam cognouit Ariſtoteles in Deo, & Intelligentijs eſt perpetua, in homine eſt temporalis; quarè & in anima hominis: quod enim incipit eſſe, deſinit eſſe 1. de cælo.

14. ratio. Quartodecimò, ex ablatione cõparemus. Mortalitas aufert animæ intellectiuæ, & ſubſtantiã, & accidentia omnia. Immortalitas cum regreſſu concedit illi ſubſtantiam perpetuam, concedit accidentia multa ſecundum ſtatus varios ſeparationis, & coniunctionis, in quibus benè, vel malè eſſe poſſet.

Mortalitas aufert ab anima poſt hominis obitum, bonum tẽporale, & perpetuum: præſens, & futurum: naturale, & ſupernaturale; eſſe, & benè eſſe. Immortalitas cum regreſſu minimè.

Mortalitas omnem virtutem perimit, ſummũ bonum, & ſummum malum hominis in ſola præſenti vita ponit. Igitur ab ipſo bene eſſe totius compoſiti menſurat virtutem, & vitium, & cum Epicuro dicit. Ede, bibe, lude, poſt mortem nulla voluptas. Et S. Auguſt. 6. Confeſſionum cap. poſtremo, tomo 1. poſita morte animæ, dat palmam Epicuro. Sed de virtutibus, & vitijs per hanc deterrimam ſententiam de mortalitate peremptis, legatur Toletus Cardinalis 3. de anima quæſt. 16. Immortalitas autem etiam cum regreſſu hæc non peragit mala, nec aufert bona oppoſita.

15. ratio. Quintodecimò. Ad extremum, minus pugnat cum ratione naturali, & ſupernaturali regreſſus in corpus, quàm mortalitas ani-

mæ

mæ intellectiuæ. Probo de naturali ratione. Nam præſtantiſſimi quique philoſophorum Ionicæ, & Italicæ philoſophiæ, & AEgyptiæ immortalitatem animæ ſtatuerunt, vt Mercurius Trimegiſtus, Pherecides Syrus, Thales, Anaxagoras, Socrates, Pythagoras, Plato, Ariſtoteles, Empedocles, vt ferè ſolus Epicurus oppoſitum dixerit: propter quod, & communiter contemptus fuit à ſapientibus. Migrationẽ intellectiuæ de corpore in corpus attulere Trimegiſtus, Pythagoras, Plato, Socrates, & vt mihi quidem videtur, etiam Ariſtoteles, reſtringens ſe ad ſolam migrationem de corpore in corpus eiuſdem ſpeciei, ſicut ſenſitiua de oculo ſenis migrat in oculum iuuenis. Quam reſtrictionem etiam Trimegiſtus fecit in libro, cui titulus, Clauis, apud Gianniniũ de ſtatu animę poſt hominis obitũ. cap. vlt.

S. Gregorius Nyſſenus lib. 2. de anima cap. 7. *Ethnici omnes, qui animam immortalem dixerunt, animarum tranſmigrationem vnanimi conſenſu aſtruunt, circa formas animarum diuerſi*, ex Paganin. Gaudentio de Pythagorica anim. tranſmigratione cap. 3.

Indorum ſapientes Pythagoram ſequuntur, vt Philoſtratus libro 3. de Apollonio Thianeo.

Profectò ſuppoſita mundi æternitate in via Ariſtotelis, hæc ſola ſententia eſt ſuſtinenda, vt magis conſona textibus Ariſtotelicis, vt minus noxia fidei Chriſtianæ, vt minus diſſona à ratione naturali.

Probo idem de lumine ſupernaturali; nam ſapientes multi, planè addictiſſimi fidei catholicæ, Beſſarion, & citati ſuperius num. 88. in hanc ſententiam propendent. Quin ſi mundus eſt, vel eſſet ab æterno, in animarum migrationem conueniunt, vt in opinionem probabilem ſupracitati Theologi Herueus, Ferrarienſis, Argentina, Valentia. Ergo ex tot philoſophorum, atque Theologorum authoritate magis, & naturali, & ſupernaturali lumini coaptatur animarum regreſſus, quàm mortalitas.

Nec propterea regreſſum, vt eſt ab Ariſtotele ponendus, omninò conſentit cum fide catholica; quoniam neq; ęternitas mundi, quæ ſupponitur, cum fide conſentit. Principio autem falſo exiſtente, neceſſariò, ac per ſe ſequuntur falſæ concluſiones, licèt

per

per accidens aliquando verum colligatur. Falſa eſt igitur, & à fide exorbitans animarum circulatio cum Ariſtotele poſita tres ob cauſas.

Prima eſt, quia poſita mundi æternitate, ponit omnes animas ab æterno, atque adeò ante corpora. Quam ſententiam vt Ariſtotelicam defendit nuper Fortunius Licetus Vir doctiſſimus, & inter Peripateticos exercitatiſſimus in lib. de immortalitate animorum. Poſſet tamen euitari cauſa hæc, tenendo cum S. Thoma, & ſequacibus in ſententia Ariſtotelis, quòd anima incipiat cum corpore, ſed poſt corpus remaneat, vt probabiliter videtur colligi ex 12. met. 16. & 17. Oppoſitum tamen mihi videtur in Ariſtotele verius.

Secunda cauſa. Quia vna anima eſſet plurium hominum: non quidem anima vna omnium hominum, neque plurium hominum ſimul tempore, ſed ſucceſſiuè. In Concilio Lateranenſi quidem directè damnatur vnitas intellectus in cunctis hominibus; ſed obliquè indicatur hoc, quod verum eſt de fide ſecundum ordinem præfixum à diuina ſapientia in hoc mundo; nempè ſingulas animas ſingulis hominibus correſpondere. Quia verò oppoſitum eſt poſſibile ex natura rei, ſcilicet ab anima vna informari multa corpora humana, vel etiam omnia ſucceſſiuè; ideò rationi naturali non repugnat iſta migratio in corpora humana, ſed repugnat rationi ſupernaturali, non quidem de poſſibili; ſed de facto ex ſolo decreto diuinæ voluntatis.

Tertia, quia beatitudo, ac damnatio ſecundum iſtam poſitionem ponitur temporalis: quod item eſt contra decretum diuinæ voluntatis de danda beatitudine, & miſeria perpetua. Fortè, & alia deducentur incommoda; nam dato vno inconuenienti, multa ſequuntur: nunquam tamen tot, ac talia, quot, & qualia ex mortalitate animorum deducentur.

Denique iſta conditionalis. Si mundus fuiſſet ab æterno, Deus inſtituiſſet, vt anima intellectiua de corpore humano in corpus humanum migraret: eſt à pluribus Theologis catholicis recepta. Ergo mea opinio conditionalis non eſt contra fidem catholicam. Mortalitas animæ eſt omninò contra fidem catholicam: quę quidem mortalitas neque abſolutè, neque conditionatè

natè ponenda eſt. Si autem depuretur conditio ſupradictę cõditionalis meę, vt multi philoſophi, ac Theologi credunt ab Ariſtotele fuiſſe depuratam conditionem, dum poſuit mundũ æternum: tunc ſecundum Ariſtotelem ponenda eſt migratio animarum, qualem ego poſui. Nec hoc eſt contra fidem catholicam, niſi quatenus conditio depurata non eſt.

CAPVT V.

Ad argumenta per Offenſores allata reſponſio catholica datur.

AD obiectiones, quas Offenſores attulerunt, pridem reſpõdi ſecundum Ariſtotelem: nunc reſpondendum eſt ſecundum fidem catholicam.

In primo loco dicunt, immortalitatem animæ cum regreſſu in corpora humana tantùm eſſe turpius abſurdum, & pernicioſius fidei noſtræ, quàm ſit mortalitas animæ intellectiuæ.

Reſpondetur hoc dictum eſt, non probatum. Quinimmo mortalitas animæ eſt in ſe multò turpius abſurdum, & fidei noſtræ catholicæ longè pernicioſius, quemadmodum probatum eſt. 1. Defenſio.

Secundò dicunt. *Candidiores Philoſophi de mente Ariſtotelis immortalitatem animæ defendunt, vt in ſtatu ſeparationis beari poſſit. Sed hanc non aſſequitur ſi ponatur immortalis, & ſeparabilis cum debito regrediendi ad corpora ſemper.*

Reſpondetur de beatitudine ſupernaturali negatur prima propoſitio: nam falſi ſunt philoſophi, qui de mente Ariſtotelis ponunt ſupernaturalem beatitudinem; de qua S. Paul. 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illum.* De naturali negatur ſecunda propoſitio, quoniam intellectus humanus ſiue coniunctus, ſiue ſeparatus eſt immediatum ſubiectum felicitatis ſpeculatiuæ; hoc eſt ſui optimi ſtatus; ſed cum diſcriminæ ex 12. met. 38. & 51. aſſequitur enim intellectus humanus optimum ſtatum 2. Defenſio.

Mmm ad

ad tempus: intellectus diuinus illum ſtatum habet per totum æternum.

Deinde, ſi anima non poteſt beari propter regreſſum: poterit ne beari propter mortalitatem Alexandreorum? Non vtique; nam ex mortalitate animi aufertus actus, & potentia, ad beatitudinem vtranque, perpetuam, & temporalem: ex immortalitate cum regreſſu ponitur potentia, & actus ad felicitatem naturalem, & potentia ad ſupernaturalem beatitudinem, non æternam; ſed ad tempus. At peius eſt deſtruere actum, & potentiam ad ambas, quàm actum in parte negare.

Aliter, diſtinguo beatitudinem ſupernaturalem quò ad eſſentiam, & quò ad circunſtantiam perpetuitatis. Qui ponit animã immortalem cum regreſſu, non negat potentiam ad eſſentiam beatitudinis, negat potentiam, vel actum perpetuitatis. Potentia eſt, vel logica, quæ eſt ex rationibus formalibus terminorũ; vel realis proxima, vel remota. Potentia realis remota attenditur ex ratione potentiæ paſſiuę, & actiuæ ad beatitudinem eſſentialem eliciendam, vel recipiendam: & hoc in reſpectu ad potentiam Dei abſolutam: potentia realis proxima attenditur in ijſdem potentijs actiua, & paſſiua in reſpectu ad potentiam Dei ordinatam ſecundum leges à diuina ſapientia, vel voluntate præfixas.

Scot. 2. d. 7. q. 1.

Theologi ſuſtinentes illam conditionalem: ſi Deus feciſſet mundum ab æterno, ſtatuiſſet migrationem animarum rationalium de corpore in corpus humanum tantùm: conſequenter debent concedere, quòd Deus ſtatueret beatitudinem eſſe ad tẽpus, non perpetuam. Nam ſicut in præſenti ordine rerum dantur præmia æterna, & temporalia, pœnæ æternæ, & temporales; ità ſimpliciter potuit Deus alium ordinem ſtatuere, in quo ſint omnia præmia, & omnes pœnæ ad tempus. Quo dato in anima ſeparata eſſet non ſolùm potentia remota ad beatitudinẽ; ſed etiam ad perpetuitatem beatitudinis: eſſet etiam potentia proxima ad beatitudinem ſupernaturalem temporariam; ſed ſolùm negaretur potentia proxima ad perpetuitatem, non ex natura rei, ſed ex mero decreto diuinæ voluntatis. At non eſt contra fidem catholicam dicere, Deum, qui ſtatuit beatitudinem cũ

perpe-

perpetuitate, poſſe ſtatuere beatitudinem ad tempus; etenim perpetuitas nec ex ratione ipſius beatitudinis, nec ex ratione iuſtitiæ retributiuæ eſt debita meritis humanis: ſed ex ſola liberalitate Dei donatur ſecundum Scotum 4. diſt. 49. quæſt. 6. N. Quod autem Deus liberaliter donat, poteſt non donare. Itaq; immortalitas cum regreſſu nihil ponit contra fidem catholicam in tali ſuppoſitione mundi æterni iuxtà prædictos Theologos: ſed mortalitas nimis multa fidei catholicæ repugnantia ingerit, dum negat potentiam proximam, & remotam, realem, & logicam ad eſſentiam, & circumſtantiam beatitudinis ſupernaturalis, immò & naturalis.

Tertiò, Obijciunt. *Atque ideò nil refert animam ſtatuere immortalem, & ſeparabilem hoc modo, vel abſolutè mortalem.* 3. Defenſio.

Reſpondetur, nego nil referre. Vos dicitis, non probatis, probatio mea ſit ex D. Auguſtino ponente, Eſſe Viuere, Intelligere, & hoc perpetuo tempore in anima. Iſta quatuor ponuntur per immortalitatem cum regreſſu. Per mortalitatem abſolutè tolluntur. Quatuor iſtæ negationes trium graduum, & durationis valdè differunt ab oppoſitis affirmationibus. Vita immortalis, & mortalis valdè differunt. Ex his immortalis vita mihi placeat, vobis mors placeat.

Quartò probant dicentes. *At quid enim hæc immortalitas, quæ animam in ſtatu meliori non ponit, quàm mortalitas ipſa?*

Reſpondetur: hæc interrogatio videtur hæreticalis: qua vtetur. Hermanus RyſuiK. Immortalitas animæ in limbum, vel in infernum damnatæ, non ponit animam in ſtatu meliori, ſed in ſtatu deteriori; ergo ad quid hæc immortalitas? Quarè non datur immortalitas talis.

Secundò, ſenſus iſtius interrogationis eſt. Immortalitas cum regreſſu non ponit animam in meliori ſtatu, quam mortalitas abſolutè. Sed hæc propoſitio eſt contra S. Auguſtinum aſſerentem, quòd eſſe, viuere, intelligere, & hoc cum perpetuitate ſint melior ſtatus, quàm opppoſita. Pugnat etiam cum Scot. 4. diſt. 50. quæſt. 2. B. Verè tamen hæc propoſitio eſt petitio principij.

Tertiò, mortalitas animæ intellectiuæ pernicioſiſſima eſt in

fidem catholicam; nam ponit animam in nullo ſtatu, ſeu ſubſtantiali, ſeu accidentali, & Euangelio aduerſatur omninò. Immortalitas cum regreſſu non eſt talis, quantum ad eſſe ſubſtantiale animæ, quantum ad naturales actiones, & paſſiones. Quantum ad liberationem à pugna ſpiritus cum carne, ab anguſtijs præſentis vitæ, quæ non eſt minima pars beatitudinis ſupernaturalis. Apocalypſis 21. *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis ſanctorum, & mors vltra non erit. &c.* Quò verò ad poſitionem boni, ponit hæc immortalitas poſſibilitatem, & capacitatem ad beatitudinem ſupernaturalem, ideſt viſionem, & fruitionē Dei, vel ſaltem non negat, & ità non aduerſatur, ſicuti mortalitas, quę ponit impoſſibilitatem, & liberationis à malo, & receptionis boni.

Soluitur argumentum hoc vt lib. 1 defenſ. num. 59. & 60. Prima q. prol. fuſius 4. d. 49. q. 8. E.

Quartò, Interrogatio *ad quid?* præſupponit, quòd nullus ſit finis, gratia cuius anima immortalis ponenda eſt, niſi beatitudo ſupernaturalis. Quod falſum eſt; nam beatitudo ſupernaturalis non eſt finis pro cauſa finali, ſed eſt finis pro obiecto potentiæ, vel pro actu attingente obiectum, vt Scotus diſtinxit; licèt ergo anima non beatificetur, adhuc eſt aliqua cauſa finalis, propter quam immortalitas ei competit, vt conſtat de anima exiſtente in limbo, & inferno; habent enim duas cauſas extrinſecas finem, & efficientem, nec beatitudinem habent.

Quintò, Obijciunt: *Sanè minimè opus erat, vt tam prolixa diſputatione Ferchius Alexandreos aſſertores mortalitatis animæ inſectaretur, & redargueret, ſi adeò exilem, & ſeruilem immortalitatem ei aſcribere volebat.*

Reſpondetur: maximè opus erat, vt falſi Chriſtiani ſub mentito Ariſtotelis mantello non poſſent defendere propria infidelitatem de mortalitate animæ; vt Chriſtiana iuuentus venerabili Ariſtotelis nomine delinita, non incideret in opinionem de mortalitate: atque vtinam in aliquos Religioſos non irrupiſſet hæc hæreſis. Omnes, & ſingulę propoſitiones hæreticales, & fidei catholicæ repugnantes pro viribus ſunt reijciendæ. Itaque immortalitas, etiam in minimo gradu perceptibili multò melior eſt, quàm mortalitas. Et eſſe ſubſtantiale animæ eſt ſimpliciter perfectius, quàm beatitudo, quæ eſt perfectio ſecunda, iuxta Scotum 4. d. 49. quæſt. 2. C.

Exi-

Exilem verò, & ſeruilem eſſe immortalitatem cum regreſſu ad corpus, eſt propoſitio ſuſpecta de hereſi: nam quòd anima ſeparata ſit cum debito regrediendi ad corpus, *eſt de fide tàm in beatis, quàm in miſeris*. Hoc autem nec eſt ſeruile, nec exile: immò eſt præcellentiſſimum Chriſti beneficium, reſtituere omnibus hominibus eſſe ſubſtantiale totius compoſiti, perfectionem formalem corpori, atque animæ perpetuam communicationem ipſius eſſe. Exile, & ſeruile hoc donum dicunt, qui Chriſti beneficia non cognoſcunt. Apoſtolus id exaggerat in prima ad Corinth. 15. tanquam vniuerſaliſſimum Redemptoris beneficium, quod in omnes, etiam damnatos effunditur. *Per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur*. Regreſſus verò in idem corpus numero, vel aliud corpus numero, non eſt per ſe varians ſpeciem in genere naturę, & tantūdem extenditur immortalitas, ſi ad idem corpus regreſſus ſit, vt in Lazaro, quantum ſi ad aliud corpus numero; vndè vel ſunt ęquè exiles, vel æquè eminentes. Sed ſeruata natura, poteſt aſpirari ad donum gratię, quod facit immortalitas cum regreſſu, etiam ad aliud corpus: at mortalitas deſtruit naturam, & gratiam, & gloriam. Peior ergo eſt mortalitas.

Sextò, aiunt. *Nam tandem dat eis manus ad deſtruendum alium animæ ſtatum, in quo rectè geſtorum præmia referat, malè verò pœnas luat*.

Reſpondetur, Vos mortalitatis aſſertores, vel ſuaſores certè deſtruitis alium animæ ſtatum: me verò deſtruere; eſt per quàm falſum, cum in tota 6. veſtigat. hoc ſtabiliam, duos eſſe ſtatus animę rationalis, alterum coniunctionis, alterum ſeparationis. Do igitur alium ſtatum.

De pręmijs, & pœnis, quòd iſta negauerim in 6. veſtigat. eſt merum mendacium veſtrum, & grandis calumnia: liberè loquor; nàm S Hieronymus in epiſtola ad Pamachium ſcribit. *Neminem volo in hæreſi eſſe patientem*. Non patiar à vobis mihi attribui hæreſim. Si attendatis, quod reſolutè dixi de mundo æterno, & de anima immortali: illud eſt ſimpliciter conſentiens cum fide catholica. Si quod conditionatè dixi, id cū

mul-

multis doctoribus catholicis dixi.

Non tractaui de pœnis, & præmijs in 6. Veſtig. quicquam, neque de ipſis meritis, & demeritis. Primo quoniam Alexandrei de iſtis nihil curant, aut loquuntur.

Secundò, quia nolui tranſcendere de genere in genus hoc eſt de ſcientia ſpeculatiua, & metaphyſica ad ſcientiam actiuam, & moralem.

Tertiò, quoniam 6. Veſtigatio eſt prolixa, vt vos dicitis, & vobis magis videtur prolixa, quia contra vos eſt. Nolui prolixiorem facere ad extraneam diſputationem tranſeundo.

Quartò, manebat me grauis diſceptatio cum Giannino de ſtatu animæ ſeparatæ, quæ non poterat haberi, niſi ſtabilito ſtatu ſeparationis, quem ille verbis oſtentat, re ipſa negat.

Quintò, naturalia tractabam; ſed meritum, vel demeritum, præmium, & pœna naturaliter non cognoſcuntur, ſi Scoto creditis in theorematibus dicenti. *Non poteſt probari animam rationalem eſſe immortalem; & per conſequens non poteſt probari reſurrectio, nec vita æterna bonorum, nec pœna æterna malorum.* Aſſentitur Mauritius in illum locum, & Zerbus in 12. metaph. quæſt. 2. Si ego ſupernaturalia ibi tractauiſſem, eratis ſine dubio reprehenſuri, quòd ſupernaturalia naturali Philoſopho aſcripſiſſem. Quia tacui, dicitis me negauiſſe, & reprehenditis; ſiuè ergo affirmarem præmia, & pœnas, ſiuè negarem, veſtras reprehenſiones non potuiſſem effugere. Conquerebatur, & Dominus Lucæ 7. Quod manducans, & bibens non placeret Iudæis: non manducans, & non bibens per Ioannem, etiam non placeret. Iuſtificata eſt ergo ſapientia ab omnibus filijs ſuis. Si affirmo, reprehenditis, ſi nego, reprehenditis. Nec affirmaui, nec negaui præmia, vel pœnas, & adhuc reprehenditis. Ineuitabilis eſt veſtra reprehenſio. Ergo faciam, vel dicam quod bonum eſt, Deo iuuante: quicquid vos dicatis, vel dicere conemini.

In 1. prol. cap. de meritis. Quolib. 14. de præmijs.

Septimò ingerunt; *Vnde ſatius fuiſſet, quòd cum eis in animæ mortalitatem conſenſiſſet, quam cum Pythagoreis in eius regreſſum ad corpora.*

Fabuloſior ſi quidem eſt animarum circulatio, etiam in ſola corpora

pora humana, quàm ipſa mortalitas.

Reſpondetur. Veſtra propoſitio: Anima eſt mortalis, eſt hæretica, & ſimpliciter damnata in Concilio Lateranenſi. Mea conditionalis, ſi mundus fuit ab æterno, animarum circulatio in ſola corpora humana poteſt ſuſtineri: eſt à pluribus Doctoribus catholicis tanquam catholicâ recepta. Et ſi dicatur hoc eſſe ab Ariſtotele aſſertum, eſt extranea à ratione catholici, vel hæretici. Si ergo ſatius eſt ſuſtinere damnatiſſimam, & pernicioſiſſimam hæreſim de animæ mortalitate, quàm conditionalem propoſitionem catholicam, vel ſaltem non hæreticam, Cenſores fidei iudicent.

Diſceptatio catholica præſens, qua comparauimus mortalitatem animæ à vobis Alexandreis propoſitam, & immortalitatem animæ cum regreſſu à me conditionatè poſito in ſola corpora humana, manifeſtè patefacit, quòd regreſſus non ſit fabuloſior, quàm mortalitas. Sed mea diſceptatio eſt cum probatione, veſtra hæc argumentatio ſine probatione. Non enim probatis, quòd iſte regreſſus ſit fabuloſior.

Malum deinde iſtud veſtrum conſilium eſt de tenenda mortalitate cum Alexandreis. Tenere mortalitatem cum eis eſt eſſe inimicum Crucis Chriſti, habere Deum pro ventre, terrena ſapere reſoluendo in terram corpus, & animam, gloriam in confuſionem vertere, hominem, & iumentum æquare cum ſtulto illo dicente. *Vnus eſt interitus hominum, & iumentorum, & aqua vtriuſque conditio. Quis ſcit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum?* Stultus ille in dubium vertebat animæ rationalis mortalitatem. Alexandrei ſtulto ſtultiores ſine dubio mortalem aſſerunt: ſummum bonũ, & ſummum malum hominis in præſenti vita tantùm ponunt, omnem virtutẽ chriſtianam perimunt, ſacramenta Chriſti contemnunt, Euangelium, & ſcripturas ſubſannant, ſemina Atheiſmi ſerunt. Malum conſilium Offenſores mei mihi datis, quale ne ſtultus ille quidem dare auſus eſt. Conſilium illud vobis retinete: immò omninò reijcite, ſi Chriſtiani, ſi Ariſtotelici, ſi homines eſſe vultis.

DIS-

DISCEPTATIO CATHOLICA SECVNDA.

Vtrum Chriſtiano liceat alicuius infidelis, vel hæretici opinionem quærere, & oſtendere eam opinionem eſſe illius abſque iniuria fidei catholicæ.

CAPVT I.

Licere, ex propria, & ex aliena ſententia opinionem ſuſtinere, & quomodo liceat.

DVOBVS modis concluſiones proponimus defendendas. Quandoque enim concluſionem, ſiuè poſitionem ex noſtra ſententia proponimus: quandoque poſitionem alienam, & ex aliena opinione. In primo caſu quid nobis videatur dicere debemus, & in diſſerendo probabilia ſequi, improbabilia declinare. Quando autem poſitionem alienam ſuſtinemus, tunc oportet ſagaciter conijcere, quid ſecundũ poſitionem propoſitam ſit concedendum, aut negandum: quidque ſecundum authorem poſitionis prædictæ. Sic Ariſt. de hoc ſecundo genere diſputationis. 8. Top. loco 51. ait. *Si ponatur probabile, vel improbabile reſpondenti ad ſe ipſum: quod videtur, aut non videtur iudicando ponendum, vel non ponendum. Si verò alterius opinionem tuetur reſpondens, manifeſtum, quòd ad illius intelligentiam aſpiciendo ponere ſingula debet, & negare. Quare, & qui curant extraneas opiniones (vt bonum, & malum eſſe idem, vt Heraclitus inquit) non dantur non adeſſe ſimul contraria: non quia non videantur eis hæc, ſed*

ſed quia ſecundum Heraclitum ſic dicendum. Ex qua monitione apparet, me in Veſtigationibus Peripateticis non debuiſſe exponere quid ſit verum, aut falſum ſimpliciter: neque quid ſit verum, aut falſum ſecundum meā ſententiam ſed iuxtà titulum operis, & inſtitutum officij mei fuerat inquirere, quid Ariſtoteles dixerit, affirmauerit, vel negauerit: & quid ſecundum Ariſtotelis poſitionem ſit affirmandum, vel negandum. Qui autem exigunt, vt dicerem, quid Chriſtus, vel Chriſtiana eccleſia ſentiant: quid Scotus & Scotiſtæ; iniuſtè poſtulant. Neq; enim Ariſtoteles eſt Chriſtus, vel Scotus. In Chriſto veritas eſt indefectibilis. Ariſtoteles eſt homo defectibilis, ſed paganus philoſophus. Scotus defectibilis, & Chriſtianus. Terminos propoſitos tranſgredi non licet, niſi grandi cum cauſa, & valdè rara.

Si autem in defendenda poſitione aliqua, concedatur aliquod abſurdum: cauere debet reſpondens, ne propter ſui defectum conſequatur abſurdum. Nam ſi abſurdum ſequatur propter poſitionem ſuſceptam, & propter authorem poſitionis, tunc reſpondens id, quod ipſe iudicat abſurdum, debet concedere tanquam non abſurdum: nec ſui debet habere rationem, ſed authoris, cuius poſitiones ſuſtinet. Illuſtre dat exemplum Philoſophus. Si quis cum Heraclito proponat iſtam poſitionem defendendam *Idem eſt bonum, & malum:* ipſe conſequenter tenetur concedere, quòd duo contraria poſſint ſimul eſſe in eodē ſubiecto. Hoc abſurdum accidit quidem, at non ex proponente, ſed ex poſitione propoſita. Hoc mihi accidit in veſtiganda mente Ariſtotelis Veſtigat. 6. lib. 2. cap. 14. vbi dixi, ſuppoſita mundi æternitate ad aures Ariſtotelis, ſequi plures errores iuxtà diuerſos Ariſtotelis ſequaces. Ex illis erroribus accepi vnum de regreſſu animarum circulari ex vno corpore in aliud corpus eiuſdem ſpeciei, ſcilicet in corpus humanum. Hoc abſurdum accepi, non quia mihi id videatur verum: ſed quia iuxtà poſitionem æternitatis motus, oportet concedere ex conſequentibus illud, quod eſt minus improbabile. Ità enim mon. Ariſtoteles 8. Top. loco 44. Debuerunt ergo mei Offenſores oſtendere inter illa abſurda, quæ in feruntur circa animam rationalem

nalem ex ſuppoſita mundi æternitate in ſententia Ariſtotelis circulationem animarum eſſe, vel minus probabilem, vel magis abſurdam. Voluerunt fortaſſe hoc facere, ſed non potuerunt. Illorum robur eſt in colligendis aliorum ſcriptis, non in excogitandis iis, quæ ſcribenda ſunt. Debuerunt ergo expectare, vt exercitatus aliquis Peripateticus contra me ſcriberet ex Ariſtotele, & arguendo, & reſpondendo. Tunc enim valuiſſent plena manu argumenta, & reſponſa proferre. Properanter ſcribere voluerunt, ſed parum proſperè valuerunt ſcribere.

Deſperantes igitur in ſchola Peripatetica victoriam, ex philoſophia in theologiam, ex Ariſtotelica ſchola in Chriſtianam doctrinam litem mouerunt. Atque me tanquam allatorem perniciosæ ſententiæ contra fidem noſtram in ius vocarunt. In præcedente diſputatione catholica de prætenſa mortalitate animæ ab Offenſoribus mihi oblata tanquam meliore opinione, quam mihi ſuadere cupiunt: & de mea ſententia pro immortalitate animæ rationalis, etiam cum regreſſu in corpus, copioſè dictum eſt. Satis igitur mea cauſa defenſa eſt, quod attinet ad fidem catholicam. Nunc Supereſt etiam meam perſonam defendere. Chriſtianus enim ſum, in mea infantia baptizatus, in fide catholica enutritus, & Dei gratia, & pietate parentum. Deinde altus, & educatus in theologia ſeraphica D. Bonauenturæ Doctoris Eccleſiæ primarij: à quo conatus ſum fidei catholicæ normam inuiolabilem diſcere, probare, defendere. Si autem & Ariſtotelis opiniones veſtigare placuit, in hoc nihil aduerſus fidei catholicæ regulas commiſi, quicquid iſti Offenſores obliquè tentent accuſare. Sit igitur.

Concluſio. Chriſtiano homini licet hominis infidelis, vel hæretici ſententiam quærere, & eam talem eſſe oſtendere, idq; abſquè iniuria fidei catholicæ.

Probo hoc, quoniam S. Auguſtinus Vir catholicus, & ſacrorum Doctorum præcipuus frequenter hoc fecit, vt in lib. 6. de Ciuit. Dei à cap. 2. per multa capita Varronis pagani doctrinam inquirit, & proponit. Et lib. 8. Platonicorum doctrinam diligenter proſequitur, & inquirit. Nec enim poterat eorum erro-

res

res confutare, niſi prænoſceret: neque prænoſcere, niſi antea legeret, & attentè illorum ſententias veſtigaret. Nec item poterat à Gentilibus dicta benè, ac verè ſeligere, & in obſequium Chriſti pro ſe accipere, niſi libros illorum legeret, inueſtigaret, iudicaret accuratè. Auguſtinus quidem in Platonicis ſententijs colligendis maximè incubuit; quoniam ſuo tempore Platonici erant notiores, & ex philoſophis quilibet titulum Platonici potius optabat, quàm Peripatetici, Stoici, vel Epicurei, ex 8. de Ciuit. Dei cap. 12.

Noſtro tempore Ariſtoteles præualet, & pauci ſunt, qui ſcientiæ rationali, naturali, morali dent operam, qui Peripatetici vocari non velint. Ideò conſultiſſimum eſt Chriſtiano Theologo Ariſtotelis ſenſa penitus cognoſcere, vt quæ benè dicta ſunt in Chriſti obſequium accipiantur: quæ malè dicta, & caueantur, & refutentur. Si ergo hoc licuit S. Auguſtino, non eſt illicitum Chriſtiano idipſum facere.

2. Præterea S. Th. in libris contra gentes frequenter id facit, & ſignatè lib. 2. cap. 78. quærit, An ſecundum Ariſtotelem intellectus agens ſit ſubſtantia ſeparata, an aliquid animæ; & 2. contra gentes cap. 61. an ſecundum Ariſtotelem intellectus poſſibilis ſit aliquid ipſius animæ informantis. Et in eo libro frequenter Platonis, Auerrois, Alexandri, Galeni, Auicennæ explicat opiniones. Neque in hoc aduerſatur fidei, ipſe fideliſſimus catholicæ fidei propugnator. Quarè, & cuilibet Chriſtiano doctori, & mihi quoque licitum fuit quærere, vtrum ex Ariſtotelis ſententia anima intellectiua ſit forma ſeparabilis à corpore, vel inſeparabilis. Et ſi eſt ſeparabilis, an cum regreſſu in corpus, an non, ſiuè id abſolutè, ſiuè conditionatè quæratur.

Deinde & Scotus ipſe in 4. ſent. diſt. 43. quæſt. 2. quæſiuit, vtrum ſecundum Ariſtotelem anima ſit immortalis, vel mortalis. Ità in quolibet. 7. Vtrum Deus ſit cauſa effectiua omnium ex Ariſtotele: quolibet 21. vtrum ſtante mundi æternitate, poſſit aliquis eſſe benè fortunatus, & quamplures diſputationes fecit ex ſententia Ariſtotelis, quas referre eſſet onerosum. Non igitur ſecundum Thomiſtas, vel Scotiſtas eſt illicitum quærere ſen-

ſum Ariſtotelis in philoſophia: cum ipſi hoc faciant, vbi minus congruit, ſcilicet in theologia.

3. Vlterius hoc eſt neceſſarium ad defenſionem veritatis catholicæ aduerſus infideles, & hæreticos, eorum libros videlicet diligenter examinare: ne ſi falsò eis aſcribantur ſententiæ, quas non dicunt; iactent ſe iniuſtè oppugnari: nos ignaros, negligentes, falſarios, calumniatores vocent, atq; ità cauſa fidei, & hominis fidelis deterior fiat. Amplius ne & quãdoq; ipſæ rationes fruſtra contra aduerſarium ferantur in re, in quà non eſt aduerſarius.

4. Nec ſolùm hoc eſt neceſſarium ad veritatis defenſionem ſed etiam ad defenſionem hominis. Multoties quippè imponũtur alicui doctori opiniones, quas ille non poſuit, immò quandoq; quas oppugnauit. Ea propter in philoſophia, & theologia tàm multæ ſunt controuerſiæ de ſenſu authorum. Sic in 12. Confeſſionũ D. Auguſtinus cum quibuſdam diſputat de ſenſu Moyſis in illis verbis. *Deus fecit Cælum, & terram.* Sic inter Thomiſtas de ſenſu D. Thomę: inter Scotiſtas de placito Scoti: inter Peripateticos de Ariſtotelis ſententia maximè vigent controuerſiæ. Quamobrem & ego tanquam Ariſtotelicus duas veſtigationes inſtitui, vnam de factione ex nihilo, alteram de forma ſeparabili, vt in his vindicarem Ariſtotelẽ ab ijs, qui minus rectè oppoſitas ſententias illi attribuunt. Neque in hac parte, dum explico, has eſſe ſententias Ariſtotelis, aliquid contra fidem catholicam facio, quoniam Ariſtoteles extra fidem catholicam eſt: quem pleraq; dicere contra fidem catholicam, nemo eſt ferè ex Theologis, qui non conſentiat. Pręterea Aegidius Romanus Theologus, ac philoſophus celeberrimus errores ex Ariſtotele collegit; idem fecit author Directorij Inquiſitorum, nempè vt cogniti errores poſſint à Chriſti fidelibus euitari. Quod & ego feci in veſtigat. 4. quando ex Ariſtotele oſtendi, *Deos eſſe multos*; quod ipſũ naturalibus rationibus refutaui. Nã vt Scotus ad marginem primæ quæſtionis prologi notauit, & 1. diſt. 1. quæſt. 1: ex reuelatis non eſt via diſputandi contra Philoſophũ. Non eſt neceſſe autem, vt eodem lib. errores, & referantur, & refellantur: quemadmodum S. Auguſtinus in lib. de hæreſibus.

pp. 432

ad Quod vult Deum, & S. Ioannes Damaſcenus in lib. itidem de hæreſibus multas hæreſes, & hæreſiarchas proferunt, neque tamen eiſdem in libris confutant.

Veruntamen Offenſores contra fas, & ius contendunt, me non ſecundum Ariſtotelem, ſed ſecundum veritatem eſſe locutum. Atque adeò obduratè contendunt, vt neque permittant à me dici reſponſionem iſtam. Sic nanque imperant. *Nec dicat Ferthius id ſentire in ſententia Ariſtotelis, ſuppoſita mundi æternitate, non autem ſecundum veritatem*. Verùm huius imperatoriæ prohibitionis ſi rationem poſcas aliquam, nullam reddunt: quarè reſponſione digni non ſunt.

Sanè ex decurſu mei libri lector ſincerus, etiam me non dicentè, cognoſcet: me non ad placitum meum, ſed ad placitum Ariſtotelis omnia ponere. Illud affero exemplum. Si quęratur, an mundus ſit æternus: & aliquis probet, æternum eſſe ex Ariſtotele, vel afferendo textus immediatè, vel rationes ſuper textibus fundatas: talis iurè cenſebitur ſecundum Ariſtotelem loqui, non ſecundum proprium ſenſum, non ſecundum veritatē. Si autem præter rationes Ariſtotelis, etiam proprias conſtruat rationes ad probandam concluſionem illam. *Mundus eſt æternus*; iam non ſolùm Ariſtotelicam, ſed etiam propriam opinionem prodit, & ſuſpicionem probabilem ingerit, quòd ipſe eam ſentiat concluſionem, pro qua probanda, vel defendenda ex propria induſtria laborat: non ſentiat illam, contra quam pugnat, & propugnat. Hoc annotato, conuertat lector oculos ad veſtigationem 6. cap. 10. & 14. libri 2. atque examinet, vtrum aliquam meam rationem inueniat ad probandam iſtam conditionalem, *Si mundus ſecundum Ariſtotelem ſit æternus, ergo circulatio animarum rationalium in corpora humana tantùm, eſt ponenda*. Non inueniet vtiquè, me ex meo ingenio vllam rationem erexiſſe ad probandam illam conditionalem: ſed ſolùm dediſſe viam ad reſpondendum, & eam ex Ariſtotele dediſſe. Tunc apertiſſimè cognoſcet, me ſecundm Ariſtotelem eſſe locutum, non ſecundum veritatem. Meum eſt ſolùm hoc iudiciū, quòd circulatio in corpora eiuſdem ſpeciei humanæ ſit minor error, quàm ponere animam eſſe mortalem, aut vnam in omnibus

nibus hominibus, aut negare eam eſſe informantem, aut deniquè ponere animas actu infinitas; nàm iſta quatuor, & pugnãt cum Ariſtotelis doctrina, de qua tunc loquebar: & pugnant cum Chriſti doctrina(de qua nunc loquor)multò magis, quàm animarum circulatio prædeclarata. Atque iſta ſufficiant pro præſenti capite.

CAPVT II.

Poſitionem reſolutè, & conditionatè poſſe ſuſtineri abſq; fidei catholicæ iniuria.

SEcundò, diſtingui debet quæſtionis genus: duplex quippè genus enunciationis in diſputationem poteſt adduci, altera enim eſt enunciatio reſoluta, altera conditionata. Exemplum eſt in Theologia promptiſſimum, & ſuperius indicatum ex 1. diſt. 11. Si quæritur, vtrum Spiritus ſanctus producatur à Filio: Theologi reſpondent reſolutè, Spiritus ſanctus producitur à Filio. Si quæratur conditionatè ſic, ſi Spiritus ſanctus non producatur à Filio, diſtinguetur ne realiter ab eo? In cõditionali hac ſcholaſtici ſunt diuiſi: S. Tho. & Bonauentura ſcholaſticorum Theologorum principes, & primarij Eccleſiæ doctores reſpondent conditionatè, ſi Spiritus non producitur à Filio, non diſtinguitur realiter ab eo. Si quis ex hoc dicto aſſereret ſanctos Bonauenturam, & Thomam non ex ſuppoſitione ſecundum Theodoritanos, ſed ſecundum veritatem tenere, quòd ſpiritus ſanctus non producitur à Filio, quodque non diſtinguitur realiter ab eo. Quis quæsò, Vir catholicus talem ſuſtineret impoſtorem, calumniatorem, ſuſurronem? Vtrunque diſputare ſalua fide catholica licet: & in quæſtione reſoluta veritas ſententiæ attenditur, in quæſtione conditionata veritas connexionis, iuxta S. Auguſt. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 33. & ſequentibus.

Ità quoque in 3. ſent. quæritur, ſi Adam non peccaſſet, an Verbum incarnatum fuiſſet. Alij Theologorum aiunt, alij negant: nullus tamen aſſerit Adam non peccauiſſe, aut Verbum in

carnem

carnem non veniſſe. Ita S. Paulus Apoſt. 1. cor. 15. diſputat reſolutè *Chriſtus reſurexit*. Conditionatè. *Si mortuorum reſurrectio non eſt, neque Chriſtus reſurrexit. Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt, & fides veſtra.* Sic in re noſtra catholici ſcholaſtici quærunt, vtrum mundus fuerit ab æterno: & ad quæſtionem reſolutam reſolutè reſpondent, non fuiſſe. Quærunt conditionatè, An ſi Mundus fuiſſet ab æterno, ſit concedenda circulatio animarum rationalium de corpore humano in corpus humanum. Quam ſententiam conditionalem vt probabilem ponunt prædicti Theologi Argentina, Ferrarienſis, Valentia, Herueus, Eugubinus, & alij: neque tamen fidei catholicæ ſe præiudicare credunt. Quamuis enim iuxtà ordinem in hoc vniuerſo ſtatutum nõ detur regreſſus animarum in corpus aliud numero: tamẽ ſi mundus fuiſſet ab æterno, fuiſſet inſtitutus alius ordo cum regreſſu tali, ne infinitas animarum exurgeret. Itaq; vtrũq; genus quæſtionis ſalua fide catholica poteſt agitari, & diſputari.

Nũc iterũ pono mea verba ex Veſtig. 6. num. 136. *Illud moneo, nos quædã diſputare ex hypotheſi, quædã reſolutè. Quædã condiſionatè Reſolutè ſuſtineo in Ariſtotele, motum, ac Mundum non fuiſſe ab æterno, atque adeò animas intellectrices cum corporibus incipere, cum corporibus tamen deſinentibus non deſinere, ſed perpetuas fore.*

Ex ſuppoſitione poſſumus quærere, ſi Ariſtoteles poſuit ab æterno motum, & Mundum, qua ratione ille commodiſsimè loqui potuerit iuxtà ſua principia, in quibus principijs, vel placitis certiſsimum eſt contineri iſtud aſſertum, Anima eſt immortalis.

Poſtquam excuſſi aliquas ſententias ad numerum 143. Dico *In eam veni opinionem, vt Ariſtoteli concedenda fuerit circulatio animarum in corpora humana tantùm, quemadmodum ad numerum 125. & 126. ſuperius indicaui.* Non potui clarius, aut breuius Ariſtotelis ſententiam, & meam de Ariſtotele patefacere; tùm reſolutè, tùm conditionatè.

Reſolutè cum Ariſtotele teneo mundum ab æterno non fuiſſe. Offenſores mei dicunt ſe demonſtrauiſſe, mundũ ab æterno fuiſſe in Ariſtotele. Si ego dicam aduerſus eos. *Nec dicant Bellutus, & Maſtrius, ſe id ſentire in ſententia Ariſtotelis, non autem ſecundum*

dum veritatem: meritò id facerem, ſicut ipſi contra me faciunt immeritò. Scio tamen poſſe hoc dici ſecundum Ariſtotelem, nec propterea eſſe dictum ſecundum veritatem.

Verùm in hoc ipſorum dicto tria mihi non probant ur.

Primum, ſi de propoſitione hac *Mundus eſt æternus* aſſerant ſe demonſtrare: hæc aſſertio illorum ſapit hæreſim. Quod enim eſt per ſe demonſtratum, eſt per ſe verum, ergo per ſe vera erit hæreſis; quod repugnat Concilio Lateranenſi.

Secundum ſi de Ariſtotele dicant ſe demonſtrauiſſe, quòd putauerit mundum eſſe ab æterno: præter ſuperius dictum, quòd ſingulare contingens non eſt demonſtrabile; expendo prædicatum *Putauit mundum eſſe ab æterno*, hoc totum prædicatum non poteſt demonſtrari, niſi partes totius vniri ſit per ſe notum, vel demonſtratum eas vniri. Sed æternum eſſe non poteſt vniri cum mundo, nec vt per ſe notum, neque vt demonſtratum per aliud, immò neque eſt demonſtrabile, quia veritati catholicæ repugnat iuxta regulam Concilij Lateranenſis. Igitur illa propoſitio Offenſorum rurſus pugnat cum Concilio.

Tertium, quia ex æternitate mundi dixi neceſſariò ſequi aliquem errorem circa animam rationalem, pro vt teſtantur S.Th. 2. contra gentes cap. 81. S.Bonauentura 2. diſt. 1. quæſt. 2. Toletus Cardinalis 8. phyſ. quæſt. 2. Raguſeus diſp. 16. Perip. cap. 16. & alij multi. Offenſores autem cart. 324. col. 1. num. 172. nulla neceſſitate dicunt, me duci ad hanc opinionem de regreſſu animarum, nec vllum abſurdum ſequi concedunt. Profectò ex propoſitione falſa, & hæretica per ſe ſequitur falſum aliquid, & hæreticum, per accidens poteſt ſequi verum. Si igitur iſti Offenſores nullum falſum ſequi cõcedunt, ergo videntur tenere, quòd illa propoſitio, Mundus eſt ab æterno, non ſit falſa, nec hæretica.

Secundo reſolutè dixi cum Ariſtotele. Animam incipere eſſe cum corpore hominis, ſed cum homine deſinente non deſinere. Hoc dictum ſtatuit animam immortalem, & cum fide catholica ſentit, tùm in origine animæ à parte ante, tùm in immortalitate à parte poſt.

Qua in re animaduerto, quàm artificioſè Offenſores, & eorũ conſortes mortalitatem animæ ſuadeant mihi, & lectoribus No-

lunt

Noluſt dicere abſolutè *Anima eſt mortalis*, ne puniantur. Sed verſutè hoc dicunt: quoniam omnes authoritates, & rationes pro immortalitate, id eſt pro veritate catholica factas diligentiſſimè ſoluunt; rationes, & authoritates, quas poſſunt contra veritatem catholicam aggerant. Pro mortalitate ſedulò agunt, pro immortalitate nihil, ſed veritatem exarmatam ſine vlla ratione ad probandum, ſine vlla ratione ad reſpondendum ponunt; ac ſi dicerent hæc opinio ſine ratione proponitur, vt à vobis tanquã à beſtijs irrationalibus credatur.

Nolunt affirmare mortalem animam ſub propria perſona, ſed ſub perſona Ariſtotelis dubitantis. Si quæras: dubitat ne Ariſtoteles pro mortalitate cum ratione? Statim proferunt principia demonſtratiua Ariſtotelis. Si quæras item, dubitat ne pro immortalitate cum ratione? Muti tacent. At non eſt credibile Ariſtotelem, qui omnium philoſophorum maximè cum ratione proceſſit, dubitaſſe ſine ratione. Nequè credibile eſt rationes dubitandi pro immortalitate friuolas fuiſſe, quia friuolas rationes facilè ſoluiſſet logicorum omnium acutiſſimus: immò oportuit illas rationes fuiſſe valdè efficaces quæ æquè ponderarent principijs demonſtratiuis, vel etiam præponderarent: ſiquidem ab Ariſtotele extorſerunt, vt ſæpè, & expreſſè ſcriberet intellectus immortalitatem, mortalitatem nunquàm. Quã tamen mortalitatem ſine vllo periculo exprimere poterat, ſicuti expreſſit Epicurus. Dicant igitur nobis Offenſores ex Ariſtotele non ſolùm rationes pro mortalitate, ſed etiam pro immortalitate. At nullas pro immortalitate colligunt, ab alijs collectas deſtruunt. Quare, obſecro, tanta diligentia pro mortalitate animi, tanta negligentia pro immortalitate? Quare? Quia mortalitas in eorum animis dominatur, & creditur; ideò pro mortalitate tantopere laborant. Sub prætextu Ariſtotelis dubij mortalitatem indubiam faciunt, quam probant, quam defendunt, etiam ſine Ariſt. Immortalitatem ab omnibus deſertam indubitanter volunt, quemadmodum ipſi eam omnino deſerunt. Hoc eſt artificium illorum, periculoſius, an pernicioſius; neſcio.

S. Bonauen. quæſt. 2. prolog. declarat periculum proponendi veritatem catholicam ſine vllis rationibus. Nam rationes pro-

babiles valent ad confundendum aduerſarios fidei, ad conſolandum perfectos in fide: ad fouendum infirmos in fide. *Si enim viderent rationes ad fidei probabilitatem deficere, & ad oppoſitum abundare: nullus perſiſteret*. Sic iuuentus Chriſtiana ſtudijs dedita, ſed vt plurimum in fide infirma propter adoloſcentiam, offenditur magnoperè, vt ferè nullus perſiſtat: dũ tot pro mortalitate machinas, & ad probandum, & ad defendendum attẽdit: nullas pro immortalitate cernit. Vndè ſe magis credere dicerent Scoto, & Ariſtoteli, qui cum ratione probant, quàm ſcripturis ſacris, quæ dicunt multa, & nihil probant.

Hanc ergo ſuaſionẽ pro mortalitate mihi ab aduerſarijs oblatã reſpuo; atq; in mea veſtigatione 6. & authoritates, & rationes Ariſtotelis plures adductæ reuincunt, & in rei veritate, & in Ariſtotelis ſententia, animam intellectiuam ſeparabilem eſſe, & immortalem. Quicquid Offenſores mei dicant.

Conditionatè verò ſuppoſita mundi æternitate, dixi circulationẽ animarum eſſe errorem, ſed minorem, quàm ſit mortalitas animæ ab Alexandreis poſita. Non eram intentus, quando illa ſcribebam circa fidem catholicam, ſed circa doctrinam Ariſtotelis. Nunc autem diſponente Deo, factum intelligo, vt meę opinionis authores ſint duo S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales Eminentiſſimi dignitate, doctrina Peripatetica, & Chriſtiana ſapientiſſimi, immaculatæ vitæ ſplendore fulgentiſſimi: ſub quorum infulis mea opinio tuta erit à calumnia in ſchola Ariſtotelis. quibus adde, tàm multos alios in ſchola Peripatetica celebres. Adde & Theologos conditionalem illam defendentes: ſolùm illa conditio depuratur ſecundum Ariſtotelem conditionatè, non autem abſolutè.

Conſtat, me eſſe locutum, non reſolutè, ſed conditionatè, ex æternitate motus ſuppoſita.

Conſtat, me non eſſe locutum ex mea ſenten tia, ſed coniectando, quid Ariſtoteles eſſet dicturus: quod idem plures fideles, & catholici ante me fecerunt; ex quibus item conſtat, quàm ſincerè in ſchola Ariſtotelis proceſſerim, quamquè inoffenſè erga fidem catholicam.

AD-

ADDITIO AD LIBRVM QVARTVM.

CAPVT I.

Authoritates contra mortalitatem animi ab Offenſoribus adductæ conſiderantur.

LEgi ex lib. de anima Belluti, & Maſtrij diſputationis primę quæſtionem decimam, quæ de animæ intellectiuæ immortalitate tractat.

Quæſiui potiores illas rationes pro mortalitate in philoſophia, quas Offenſores, promittitis, nec inueni. *lib. 4. de. fenſ. num. 14.*

Quæſiui potiores rationes, & authoritates pro mortalitate in Ariſtotele; quales inueni, tales referam, & reſoluam; ne quis credat Ariſtotelem pro mortalitate ſcripſiſſe.

Obſeruo primò, vos Offenſores in tota quæſtione ad probandam veritatem iſtam, *Anima intellectiua eſt immortalis* nullam prorſus rationem feciſſe: omnes tamen rationes, quas collegiſtis pro veritate, quantum in vobis eſt, deſtruxiſſe: vt videamini ad veritatem deſtruendam, & deſerendam inermem, nati. Solùm attuliſtis authoritatem ad oſtendendum, quòd illa enuntiatio eſt de fide. Sed quantum deferatis in Theologia, vel Philoſophia authoritatibus, ſuperius lib. 1. num. 126. apparuit. Quia tamen defenſio præſens inſtituta eſt circa veſtigationes Peripateticas, hoc eſt circa mentem Ariſtotelis exquirẽdam, nolo extra lineas egredi.

Quid de Ariſtotelis dicatis ſententia, reſcribo ad num. 134. Quæ ad rem ſunt. De Ariſtotele autem ſic loquimini.

Magis tamen ad immortalitatem inclinauit, quia immortalitatem expreſſè pluries aſſeruit, licet non demonſtrauerit. Offenſio

Mortalitatem verò nunquàm, ſed ſolùm ex quibuſdam principijs & propoſitionibus deducitur.

Ex hac offeſione tres elicio propoſitiones veſtras.

1. Ariſtoteles magis ad immortalitatem inclinauit. In qua contra Scotum dicitis in 3. ſent. diſt. 27. G. ſcribentem de Ariſtotele. *Dubitat animam eſſe immortalem, & magis videtur declinare ad partem negatiuam.* Negat veſtram concluſionem Scotus, quarè & veſtram probationem ex ſequenti propoſitione ve- 1. Defenſo.

ſtra eſſet negaturus.

2. Immortalitatē Ariſt. expreſſè pluries aſſeruit, mortalitatē nunquam. Hoc mecum dicit is in veſtigatione 6. ſed partem ſecundam contra Scotum, qui in 4. diſt. 43. quæſt. 2. K. expreſſam authoritatem ex 1. de anima profert. *Tamen poneretur (intellectus) ſimpliciter corruptibilis, iuxta illud primi de anima. Intellectus corrumpitur in nobis, quodam interiori corrupto.* An autem citatio vera ſit, dictum eſt lib. 4. num. 36.

3. Mortalitas animæ intellectiuæ ſolùm deducitur ex quibuſdam principijs, & propoſitionibus. Ita quidem ex principijs quibuſdam, ſed per fallaces conſequentias deducitur, vt monui veſtigatione 6. num. 96. Qua ratione ſi concludimus, Ariſtotelem eſſe dubium, etiam concludemus in nulla concluſione eſſe certum: quia nullus eſt in Ariſtotele locus, quin à doctis Peripateticis ex alio aliquo impugnetur. Exploremus tamen has potiores authoritates, & rationes, quas habetis, prout retuli ex vobis in hoc lib. 4. num. 34. pro mortalitate in Ariſtotele.

Has autem in lib. de anima dicta diſput. 1. quæſt. 10. num. 153. exaraſtis.

Offenſio *Vndecimò, inſtari poteſt oſtendendo, Ariſtotelem ex profeſſo mortalitatem ſuſtinuiſſe. Primò authoritatibus, quia ſæpè ait in phyſicis agere de formis corruptibilibus, vt primo phyſ. 83. & 2. phyſ. 17. ait, formam ſola ratione ſeparabilem.*

2. Falſò citatur 2. phyſ. textus 17. Citari debuit textus 12.

2. Defenſio. Reſpondetis tamen ad iſtas authoritates, ne ſint contra veſtram propoſitionem ſecundam. Et reſponſio eſt in veſtra quæſt. ad num. 154.

Reſp. ad 1. authoritates illas ſolùm dubietatem Ariſt. concludere, præſertim quia non tàm clarè loquuntur, quin explicari poſsint.

Ad primas enim duas, dicimus eſſe propoſitiones indefinitas, vel loqui de formis corruptibilibus, ideſt corruptibilium.

3. Defenſio. Ex his reſponſionibus prima eſt mea in veſtigatione 6. num. 28. *in 2. phyſ. 12. indicatur, quamuis in textu propoſitio ſit indefinita de forma, non vniuerſalis.*

Secunda eſt mea in veſtig. 6. num. 44. *De phyſicis tamen, & cor-*

corruptibilium (ſic lege ex Græco) formis poſterius dicendum. Vaticinatus ſum, dum lib. 4. defenſionum componerem num. 36. vos multa ex mea veſtigatione 6. furtim recepturos.

Sub num. 153. 8. *phyſic.* 92. *Quæ per accidens ſe mouent, eſſe corruptibilia.* O[illegible]

Reſponderis ſub num. 154. *Quomodo explicatur tertia,* vt ſcilicet hæc tertia authoritas ſoluatur, ſicuti duæ priores.

Riſi, quando vidi citationem 8. phyſicorum 94. cum in illo libro non ſint, niſi 86. textus, in quo vos 92. reperiſtis. Hanc obiectionem à me non reperiſtis ſolutam, aut citatam. 4. Defenſio.

Operoſiorque eſt obiectio, quàm vt tribus verbulis veſtris enodari queat. Sic autem in 8. phyſic. 52. eſt ſcriptum. *Non eſt autem idem moueri ſecundum accidens à ſeipſo, & ab altero. Moueri enim ab alio & eorũ, quæ ſunt in cælo, quibuſdã principijs ineſt, quæ ſecundũ plures feruntur lationes: alterum autem corruptibilibus ſolũ.*

In quo textu prædicatum, quod ineſt, eſt *Moueri per accidens à ſeipſo*: Subiectum, cui ineſt, eſt *corruptibilia.* Tunc inquiro, an prædicatum ſit magis commune, an æquale, an minus commune, quàm ſubiectum? Si dicamus eſſe magis commune, ergo & ipſis corruptibilibus, & alijs etiam incorruptibilibus inerit illud prædicatum, quod eſt contra textum, *ſolis corruptibilibus.* Si prædicatum ſit ęquale, propoſitio erit conuertibilis: ſi prædicatum ſit minus, propoſitio item conuerſa erit vera vniuerſaliter. Sit itaque ex textu talis maior excerpta. Omne, quod mouetur per accidens à ſeipſo, eſt principium corruptibile. Sed anima rationalis mouetur per accidens à ſeipſa per primum de anima 61. Igitur eſt corruptibile principium.

Non itaque valet prima gloſſa veſtra, quòd in textu ſit propoſitio indefinita, immò quia propoſitio excluſiua infert vniuerſalem de terminis tranſpoſitis; iſta eſt ex textu propoſitio, *Sola principia corruptibilia mouentur per accidens à ſeipſis*: infertur itaque maior vniuerſalis. Omne, quod mouetur per accidens à ſeipſo, eſt principium corruptibile: vel quæcunque mouentur per accidens à ſe, ſunt principia corruptibilia.

Non item valet ſecunda gloſſa, quòd in textu ſit corruptibilium, immò in textu eſt *corruptibilibus ſolis ineſt*, etiam in Græ-

co. Nimis velociter textus ſoluitis, ſed inuoluitis potius.

Reſpondeo, de principijs, quæ ſint corpora, ſermo eſt, ſicuti ſunt orbes cæleſtes, de quibus in textu, ſicuti mouentia ſubcæleſtia, quæ mouentur à ſe per accidens, quia ſunt in moto, vt nauta in naui, auriga in curru. Conſule ad hoc textus 8. phyſ. 27. & 28. Qui plura volet ſuper illo textu, legat generoſos Ariſtotelis vindices, Licetum lib. 1. de immortalitate animorum cap. 25. & Cottunium de triplici ſtatu anim. diſp. 5. ſect. 10.

Offenſo Quartò contra immortalitatem obijcitis ſub num. 153. Et 7. *met. in fine ait, partes, quæ manent in toto, eſſe elementares, & materiales.*

Reſpondetis ad num. 154. *Ad 4. dicimus, formam quoque eſſe elementum, ideſt principium.*

Vel quòd ibi ſolùm erat ſermo de principio materiali.

5. Defenſio. In hac reſponſione ſunt tres defectus. Primus, quia in veſtigatione 6. num. 97. notaui Scotum falsò citantem 7. met. vlt. poſuiſſe in textu, quæ in textu non ſunt. Hic pro Scoto defendendo tacuiſtis.

2. quia in textu expreſſè Ariſtoteles ponit formam non eſſe elementum, neque ex elementis, quod Scotus in concluſionibus ſeptimi met. concluſione 46. & 8. met. concluſione 8. notat.

3. quia textus vltimus ſeptimi met. principaliter ſcribitur ad probandum, quòd in ſubſtantijs, præter elementa, & materiam, atque partes materiales, & elementares, detur forma ſubſtantialis, quæ eſt eſſentia, ſeù ſubſtantia rei. Textus exponitis, ſed textus non legitis.

Offenſio Ad num. 153. pro mortalitate. *Et 12. met. 39. docet noſtrã beatitudinem non eſſe perpetuam.*

Et 3. Etic. cap. 6. poſt mortem nihil boni, aut mali poſſe accidere.

Reſponditis num. 154. *Ad 5. & 6. loqui de beatitudine totius coniuncti, non animæ.*

6. Defenſio. Has obiectiones, longè accuratius ſimulque reſponſiones tractarunt Raguſ. diſp. Peripatet. 21. cap. 5. & 11. Cottun. de triplici ſtatu in diſput. 5. ſect. 1. argum. 4. & 12. ad quæ reſpondet eadem diſput. ſect. 9. cart. 139. & ſect. 10. cart. 144. De

veſtro

veſtro igitur nihil boni eſt; mali autem eſt, quòd ſolutiones mutilas ſine comprobatione tuliſtis. Legatur textus 3. Ethic. cap.9.(citatis ſextũ) *Nihilque amplius homini mortuo neque bonum, neque malum eſſe videatur:* de compoſito igitur, non de anima cum loquatur, argumentum potiorem non habet efficaciam.

Ex num. 153. *Item 2. de anima 26. animam, ait non poſſe ſine corpore eſſe.* Offenſio

Et 3. de anima 39. phantaſmate indigere ad intelligendum.

Reſpondetis ad num. 154. *Anima non eſt ſine corpore aptitudine, quia ſemper eſt pars.*

Nec intelligit, dum eſt coniuncta, ſine phantaſmate.

Argumentum primum, & reſponſio ſunt in veſtigatione 6. num. 112. & 113. Sed reſponſio eſt probata à me, non à vobis. 7. Defenſio.

Ad alterum ex 3. de anima legatur veſtigat. 6. num. 114. & conferatur cum inermi, ac præuaricante reſponſione veſtra. Sic poterit cognoſci, quantum diſtent æra lupinis.

Tandem ſunt duæ authoritates clariſſimæ: vna in primo de cœlo 116. vbi negat id, quod incipit eſſe, poſſe perpetuari. Offenſio

Reſpondetis ibidem. *Authoritas primi de cœlo, niſi explicetur de eo, quod per ſe generatur, quale eſt compoſitum: vrget pro oppoſita parte, maximè quia videtur Ariſtoteles vniuerſaliter locutus.*

In 6. veſtigat. num. 42. ad argumentum Portij prædictum, data eſt veſtra prior, hoc eſt, mea reſponſio. Eademque num. 98. & 99. ad Scoti argumentum repetita, atque defenſa eſt. 8. Defenſio.

Num. 153. *Altera* (authoritas) *in 3. de anima 20. vbi ponit intellectum poſſibilem corruptibilem.* Offenſio

Reſp. num. 154. *vltima explicatur de imaginatiua, quam intellectum vocat propter propinquitatem.*

Hæc declaratio de intellectu paſſiuo, ideſt imaginatiua eſt in veſt. 6. cap. vlt. Retuli autem in lib. hoc 4. ad num. 34. hæc veſtra. *Et vtique ex philoſophia potiores rationes, & ex Ariſtotele plura, ac manifeſtiora loca pro animæ immortalitate, quàm eius circulatione habemus.* 9. Defenſio.

Profectò exiſtimabam vos abditiſſimas quaſdam, & penitus reconditas Ariſtotelis authoritates, eaſq; potentiſſimas habere. Sed quantum cernere quiſque poteſt ex octo locis Ariſtotelis col-

collatis, non applicatis: ſeptem à libris acroamaticis produxi ego, vos à me ſcripſiſtis cum ſolutionibus: vnum ex Cottunio, & Liceto, ſed à me prætermiſſum, quia non fuerat obiectum ab aduerſarijs. Exotericos locos benè ſolutos à Gianninio, non attigi; quos tamen ſupra citati authores, Raguſeus, Cottunius, Licetus explicare. Vos nihil de nouo, nihil de veſtro: nihil potiorum virium: immò illas, quas retuliſtis authoritates, non applicando, & explicando impotentes reddidiſtis.

CAPVT II.

In quo rationes Offenſorum pro mortalitate animi conſiderantur.

PRæter Ariſtotelis loca, rationes etiam duas affertis in veſtra diſput. 1. quæſt. 10. de anima, num. 153.

Offenſio *Tum 2. vulgatiſsima principia apud Ariſtotelem ſunt mundi æternitas, & infiniti repugnantia; at ſuppoſita immortalitate, dicendum, vel quòd eſſet infinitum in actu, quia iam infinitæ generationes hominum præceſsiſſent, quod repugnare etiam rebus ſpiritualibus oſtendimus diſput.* 10. *phyſica, &c. vel dicendum, quòd mundus non eſſet ab æterno contra ipſum Ariſtotelem* 8. *phyſic. & alibi.*

Reſp. ad num. 154. *Ad ſecundum variæ ſunt reſponſiones Doctorum. Ferchius citatus duas tradidit, prima eſt, in ſententia Ariſtotelis, mundum non eſſe ab æterno.*

Secunda, ſuppoſita mundi æternitate, concedit tranſmigrationem animarum, non quidem in corpore cuiuſcunque ſpeciei, vt Pythagorici aſſerebant, ſed eiuſdem ſpeciei, &c.

§. 1. Num. 155. *Sed quòd prima reſponſio ſit falſa, de mente Ariſtotelis oſtendimus diſp.* 1. *de cælo num.* 37.

§. 2. *Et certè miramur, qua fronte Ferchius audeat negare mundi æternitatem eſſe aſſertum Ariſtotelicum, dum Ariſtoteles ipſe ex profeſſo tot rationibus comprobarit, immò & demonſtraſſe putauerit.*

10. Defenſio. Primò per fallaciam duas tantùm, reſponſiones à me datas commemoratis; nàm in veſtig. 6. à num. 134. varias affero reſponſiones, & num. 137. vnam affero, neque reprobo: num. 138. aliam

aliam, quam euertere nolo, ſed ſolùm dubitationes circa illam, vt ſoluantur, propono: quod & Scotus non rarò fecit, in magnis difficultatibus ſcribens, *ſolutionem quære*.

Secundò. Prętenditis vos oſtendiſſe, falſam eſſe meam primã reſponſionem: at non eſt periculum, vt præter iactantiam probationis, etiam probationem attuleritis. Noui vos. Et ex decurſu horum librorum defenſionis idem poterit lector prudens deprehendere. Dicta tamen veſtigatione 6. num. 136. ſatis reſpondent vobis. Donec veſtigatio de certo mundi initio exeat in lucem, ſi Deus iuuerit. Iam olim eſt exacta.

Tertiò miramini, qua fronte negem, mundi æternitatem eſſe aſſertum Ariſtotelicum. Si vos frontem haberetis, forſan in me frontem non quæreretis.

Dicam tamen, qua fronte. Nego id ea fronte, qua Gulielmus Vorilon, Scoticæ reſtaurator ſcholæ in 2. diſt. 1. art. 2. ſcripſit. *Sed de opinione Ariſtotelis quid dicendum? Aliqui dicunt, & ſatis probabiliter, quòd argumenta, quæ facit in* 8. *phyſ. ad probandũ mundi æternitatem, ſolùm fecit exercitij ſtudio, non ex intentione. Vndè & in primo Topic. dicit, quòd problema eſt, an mundus ſit æternus. Sed quicquid ſit, ille iniquus Auerroes maculam poſuit in gloriam philoſophi, quia vult in ſuis commentis, quòd expreſſè poſuerit æternitatem mundi, &c.*

Ea item fronte nego cum Ariſtotele mundi æternitatem, qua Scotus in 4. diſt. 43. quæſt. 2. contra expreſſa Ariſtotelis verba docet, Ariſtotelem non aſſeruiſſe, ſed dubitaſſe de animæ intellectiuæ immortalitate: & hoc propter quædam principia, vel propoſitiones, vt vos quoque dicitis, ex quibus oppoſitum deducitur. Itidem & ego doceo, Ariſtotelem philoſophicè tenere determinatum mundi initium, populariter æternitatem mundi, & cæli, vt potè Deorum; idque teneo propter quædam principia, & propoſitiones, ex quibus refutatur æternitas. Quas propoſitiones & vos inſpicietis, ſi pacato animo, & æquo Ariſtotelis dicta expenderitis.

Cætera, quæ ſcribitis ad ſcommata pertinent.

Secunda reſponſio iàm fuit tanquam fabuloſa refutata diſput. 5. *de* offenſio *gen. quæſt.* 7. *art.* 2. *Negligamus igitur has reſponſiones tanquàm*

fra

Errata Correcta.

Fac.	Linea	Errata	Correcta
199	25	ſtatim	ſtatuit:
202	16	im	iam.
210	13	ocutionis	loquutionis.
217	24	labore	labori.
219	35	Mayronem	Maiorem.
222	31	auert:	aufert.
225	7	citato	citatum.
228	13	naturali	naturalis.
251	8	aliqua	aliquo.
270	11	ſeparatè	ſeparata.
271	31	fallacet	fallaces.
293	8	diolſſuit	diſſoluit.
297	29	extrani	extrahi.
323	4	velij	velit.
329	33	moyo	modo:
335	16	maph.	metaph.
336	8	aſſignaior	aſſignatur.
350	2	quid	quidem.
350	12	congerititio	congerit.
369	1	quid	quia.
369	9	corporoſe	corpore.
369	4	inconnexa	inconnexas.
373	34	probabiti	probabitis.
373	35	coim	enim.
379	2	ratione	rationes:
380	25	deditis	dediſti.
381	18	explicato	explicatu:
382	23	ſemeluelet	velſemel.
387	4	eſſe	eſſet.
388	1	corporis	corpori.
390	21	uum	ſuum.
391	11	fuerai	fuerat.
393	18	pro	per
395	2	proprijs	proprij.
396	24	corpus	in corpus.
397	16	Ea	Et
400	13	reminiſcetur	reminiſcemur:
400	17	corruptibili	corruptibilis.
400	18	corruptibilis	corruptibili.
400	35	ſeparati	ſeparato.

RESTAURO del LIBRO ANTICO
Cav. G. DI GIACOMO
PESCARA 1969
Digitized by Google

Digitized by Google